UNIVERSA PHILOSOPHIA ARISTOTELICO-THOMISTICA,

Veterum, Recentiumque, præſertim Maignani, Carteſii, Gaſſendi, &c. placita non ſegniter excutiens.

AUTHORE

P. F. JOANNE SYRI UVADANO

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

Utriuſque Lombardiæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum Alumno.

TOMUS QUARTUS

ETHICAM, ET METAPHYSICAM COMPREHENDENS.



VENETIIS, MDCCXIX.
Sumptibus Andreæ Poleti.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Quæſtionum, Articulorum, Concluſionum, & §§. hujus quarti Tomi.

AD *Ariſtotelis Ethicam Commentaria.* folio 1.

Quæſtio prima. *De ultimo Hominis Fine, qui eſt Beatitudo. Præambulum.* 2

Articulus primus. *In quo ſita ſit eſſentialiter Beatitudo formalis, ideſt eſſentia Beatitudinis formalis.* §. 1. 3

§. 2. Concluſio. *Beatitudo formalis quò ad eſſentiam, non in plurium potentiarum operatione ſita eſt, ſed in una duntaxat; Et hæc eſt intellectus operatio, nimirum Dei viſio.* 4

§. 3. *Diſſolvuntur adverſariorum argumentationes.* 6

Articulus ſecundus. *Num Voluntas in Patria poſſit odio habere, vel ſaltem non amare Deum clarè viſum.* §. 1. ibid.

§. 2. *Concluſio negans quò ad utramque partem.* 7

§. 3. *Adverſantium argumenta diſſolvuntur.* 8

Quæſtio ſecunda. *De Actibus humanis.* ibid.

Præloquium. *De quidditate, & multiplicitate actus voluntarii.* ibid.

Articulus unicus. *Quænam ſint, quæ voluntario obſtant.* §. 1. 9

§. 2. Prima Concluſio. *Violentia voluntarium ſimpliciter adimit.* ibid.

§. 3. Secunda Concluſio. *Metus tametſi cadens in conſtantem virum ſit, & cauſa totalis, non reddit actum involuntarium ſimpliciter, ſed duntaxat ſecundùm quid.* ibid.

§. 4. Tertia Concluſio. *Concupiſcentia non reddit aliquid involuntarium. Imò eſtò ſecundùm aliquam rationem minuat, & faciat minùs voluntarium; tamen ſecundùm aliam rationem auget, & facit magis voluntarium.* 10

§. 5. Quarta Concluſio. *Ignorantia antecedens cauſat involuntarium contrariè ſimpliciter; Ignorantia verò concomitans cauſat involuntarium ſolùm privativè, licet ſimpliciter tale; Et Ignorantia conſequens cauſat involuntarium privativè tantùm ſecundùm quid.* 11

§. 6. *Proponuntur rationes pro hac concluſione.* 12

§. 7. *Solvuntur argumenta, quæ militant contra hanc ultimam Concluſionem.* ibid.

Quæſtio tertia. *De Actibus Voluntatis.* 13

Percenſentur Actus Voluntatis. ibid.

Articulus unicus. *Quid ſit Fruitio.* §. 1. ibid.

§. 2. Concluſio. *Fruitio non eſt amor, ſed eſt delectatio ex amore, & præſentia rei amatæ cauſata.* 14

§. 3. *Oppugnantium argumenta ſolvuntur.* ibid.

Quæſtio quarta. *De Ethiſi, hoc eſt, moralitate humanorum actuum.* fol. 15

Articulus primus. *Num humanorum actuum moralitas in libertate ſita ſit.* §. 1. 16

§. 2. *Actus humani moralitas quo ad eſſentiam ſita eſt in relatione ad regulas moris, concurrente libertate ut conditione neceſſariò requiſita.* ibid.

§. 3. *Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.* ibid.

Articulus ſecundus. *Num moralitas ſit intrinſeca actui interno, & in quo ſita ſit.* §. 1. 17

§. 2. Concluſio. *Moralitas actus interni voluntatis ſita eſt non in aliquo puro rationis, nec mera in extrinſeca denominatione: ſed in aliquo intrinſeco reali, ipſi actui realiter ſuperaddito, nempe ordine tranſcendentali, importando pro formali etiam relationem rationis.* 18

§. 3. *Adverſantium objecta cum ſolutionibus.* 19

Articulus tertius. *A quonam proximè, & immediatè habeatur moralitatum ſpecies in Voluntatis actibus.* §. 1. 21

§. 2. Concluſio. *Proximum, ac immediatum ſpecificativum moralitatis actus eſt ſolum objectum, ſecundùm quod objectivè habet eſſe in genere moris, non verò natura rationalis, lex, aut voluntas.* ibid.

§. 3. *Adverſantium argumentationes diſſolvuntur.* 22

Articulus quartus. *Quænam ſint morum regulæ.* §. 1. 23

§. 2. Concluſio. *Prima moralitatis regula formalis eſt lex æterna in mente Divina exiſtens; ſecunda verò eſt lex naturalis, ſive rationis dictamen; non autem rationalis natura ſecundùm ſe, ut rationis dictamen antegreditur.* ibid.

§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 24

Quæſtio quinta. *De Speciebus Moralitatis.* 25

Articulus primus. *Quot, & quæ ſint moralitatis ſpecies.* §. 1. ibid.

§. 2. Concluſio. *Non tantùm bonitas, & malitia, verum & indifferentia eſt inter moralitatis ſpecies ſupputanda.* ibid.

§. 3. *Argumentationes Adverſariorum diſſolvuntur.* ibid.

Articulus ſecundus. *Num idem numero actus poſſit eſſe in ſpecie boni, & mali moralis ſimul.* §. 1. 26

§. 2. Concluſio. *Nequit idem numero actus eſſe ſimul bonus, & malus moraliter, nec etiam diverſis ex principiis; ſalva oppoſitæ ſententiæ probabilitate.* ibid.

§. 3. *Solvuntur oppugnantium argumenta.* fol. 27
Articulus tertius. *Num idem actus moralis poſſit ſimul habere vel duplicem bonitatis, vel duplicem malitiæ ſpeciem.* §. 1. 29
§. 2. Concluſio. *Poteſt idem actus humanus duplicem habere vel bonitatis, vel malitiæ moralis ſpeciem; unam nimirum ex objecto, & alteram ex finem operantis.* ibid.
§. 3. *Solvuntur oppugnantium argumenta.* 30
Articulus quartus. *Quænam moralitatis ſpecies ſit eſſentialis actus habenti duas, unam ex objecto, alteram ex fine, vel circunſtantiis.* §. 1. 31
§. 2. Concluſio. *Quoties actus duas ſortitur moralitatis ſpecies, ex objecto unam, & ex fine, aut circunſtantiis alteram; ea, quæ ex objecto habetur, eſt eſſentialis, quæ verò ex fine, aut circunſtantiis eſt ei accidentalis.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 32
Articulus quintus. *Extare numqueat actus humanus neuter; ideſt indifferens, tum in ſpecie, tum in individuo? ſive tum quo ad rem, tum quo ad modum.* §. 1. 33
§. 2. Concluſio. *Extare poſſunt, ac extant actus humani indifferentes ſecundum ſpeciem, neutiquam in individuo, per ſe loquendo.* 34
§. 3. *Inſenſorum argumenta diſſolvuntur.* 36
§. 4. Quæres. *Num ſaltem per accident poſſit dari actus indifferens in Individuo?* 37
Articulus ſextus. *Num actus externus addat aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interno.* §. 1. 38
§. 2. Concluſio. *Actus exterior non addit formaliter interiori nequitiam, vel bonitatem.* ibid.
§. 3. *Inſenſorum argumenta diſſolvuntur.* 39
Quæſtiuncula *De Paſſionibus.* 41
Conſideratio prima. *De nomine, & Quidditate Paſſionis, ejuſque origine.* ibid.
Conſideratio ſecunda. *De Paſſionum diviſione.* ib.
Quæſtiuncula altera. *De Virtutibus.* 42
Conſideratio prima. §. 1. *De nomine, & quidditate Virtutis.* ibid.
§. 2. *De Virtutum Diviſione.* 43
Virtutes Theologicæ. *Theologicis de virtutibus nonnulla dicere nos manet.* 44
§. 3. *De Virtutibus, quæ ſunt partes integrantes virtutum Cardinalium, vel eis adjunctæ.* ibid.
Primò. *De virtutibus, quæ ſunt partes integrales Prudentiæ, necnon de aliis virtutibus, quæ ſunt eis adjunctæ.* ibid.
Secundò. *De Virtutibus Juſtitiæ conjunctis.* 45
Tertiò. *De Virtutibus Temperantiæ junctis.* ibid.
Quartò. *De Virtutibus, quæ Fortitudini ſunt junctæ.* ibid.
§. 4. *De his, quæ virtutibus adverſantur, nimirum de Vitiis.* 46
Primò. *De Vitiis adverſantibus virtuti Prudentiæ.* ibid.
Secundò. *De Vitiis Juſtitiæ obverſantibus.* ibid.
Tertiò. *De Vitiis, quæ Temperantiæ adverſantur.* fol. ibid.
Quartò. *De Vitiis Fortitudini adverſantibus.* 47
Quintò. *De Vitiis, quæ adverſantur primæ Theologicæ virtuti, nimirum Fidei.* ibid.
Sextò. *De Vitiis, quæ Spei Theologicæ adverſantur.* ibid.
Septimò. *De Vitiis, quæ Charitati adverſantur.* ib.
§. 3. *De Mediocritate Virtutis.* ibid.
§. 4. *De Virtutum connexione.* 48
§. 5. *De ſubjecto Virtutum.* ibid.

Ad Metaphyſicam, ſive Philoſophiam Entis Prolepſis.

Quæſtio prima. *De Metaphyſicæ Prodromis.* 51
Præloquium. *In quo quatuor traduntur, 1. Quòd Metaphyſica ſit Scientia. 2. Quòd ſit ſimpliciter Speculativa. 3. Quòd non ſubalternet ſibi cæteras ſcientias. 4. Quod ſit reliquis ſcientiis naturalibus præſtantior.* ibid.
Articulus primus, *Num ens per accidens, & ens rationis ingrediantur primarium Metaphyſicæ objectum.* §. 1. 52
§. 2. *Concluſio abnuens quò ad utramque partem.* ib.
§. 3. *Adverſantium argumenta diſſolvuntur.* 53
Articulus ſecundus. *Utrum non ſolùm ens, quod eſt ſubſtantia, verum & ens, quod eſt accidens, nec ſolùm ens creatum, verùm etiam ens increatum congrediatur ad conſtandum primarium Metaphyſicæ objectum.* §. 1. 54
§. 2. *Concluſio annuens.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.
Sciſcitaberis. *Num etiam ens ſupernaturale ut tale poſſit ingredi metaphyſicæ objectum.* 55
Articulus tertius. *Num ens reale ut ſic abſtrahens à creato, & increato ſit primarium Metaphyſicæ objectum.* §. 1. 56
§. 2. *Concluſio annuens quò ad utramque partem.* ib.
§. 3. *Solvuntur Adverſantium argumenta.* ibid.
Quæſtio ſecunda. *De Ente cognito.* 57
Articulus primus. *Num ſingulare materiale pro hoc ſtatu ſit primo cognitum ab Intellectu noſtro cognitione ſimplici confuſanea.* §. 1. ibid.
§. 2. *Concluſio negans.* 58
§. 3. *Adverſantium argumenta ſolvuntur.* 59
Articulus ſecundus. *Num primò cognitum ab Intellectu noſtro pro hoc ſtatu cognitione ſimplici confuſanea ſit ſpecies ſpecialiſſima, an verò prædicatum entis.* §. 1. 60
§. 2. Concluſio. *Primò cognitum ab Intellectu noſtro pro hoc ſtatu cognitione ſimplici confuſanea non eſt gradus ſpeciei ſpecialiſſimæ, benè verò eſt gradus entis.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 61
Articulus tertius. *Num primò cognitum ſit ens in tota ſui latitudine.* 63
Quæſtio tertia. *De Ente eſſentiali.* ibid.
Articulus unicus. *Num rerum eſſentiæ ſint ab æterno quid actuale poſitivum præter Deum* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Eſſentiæ rerum ab æterno in ſeipſis ni-*

Digitized by Google

ſis nihil ſunt, nullumque habent eſſe reale actuale poſitivum etiam actualitate ſolius eſſentiæ præter Deum. fol. 64
§. 3. *Adverſantium argumenta ſolvuntur.* 65
§. 4. Percontaberis. *Undè ſumatur, ſeu in quo ſita ſit rerum poſſibilitas.* 68
Quæſtio quarta. *De Ente exiſtente.* 69
Quæſtio quinta. *De Ente ſubſiſtente.* ibid.
Quæſtio ſexta. *De Ente Tranſcendente Univoco, & Analogo.* ibid.
Quæſtio ſeptima. *De Ente affecto Affectionibus in communi.* ibid.
Articulus primus. *Num Ens habeat proprietates reales, & quomodo ab eo diſtinguantur. §. 1.* ibid.
Articulus ſecundus. *Utrum non ſolum* Unum, Verum, & Bonum, *verùm etiam* Res & Aliquid *ſint entis realis proprietates. §. 1.* 71
§. 2. Concluſio. Res & Aliquid *nequeunt dici proprietates etiam tranſcendentales entis ab aliis diverſæ, ſpectata proprietate ſecundùm adæquatum proprietatis conceptum.* ibid.
§. 3. *Obverſæ partis argumenta ſolvuntur.* ibid.
§. 4. Sciſcitaberis primò. *Quem ordinem invicem præfatæ ſervent proprietates.* 72
§. 5. Percontaberis ſecundò. *Num extent aliæ paſſiones Entis.* ibid.
Quæſtio octava. *De Ente affecto affectionibus in particulari. Et primò: De Ente uno, ſeu de Unitate tranſcendentali.* ibid.
Articulus unicus. *Quid ſit illud, quod unitas addit ad ens, ſeu in quo formaliter ſita ſit unitas tranſcendentalis. §. 1.* ibid.
§. 2. Concluſio. *Unitas tranſcendentalis ſuperaddit enti virtualiter duntaxat explicitè quid poſitivum, ſed & formaliter eſſentialiter negationem diviſionis, ſive indiviſionem in ſe connotat.* 73
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.
§. 4. *Solvuntur argumenta contra 2. & 3. p. Concluſionis parata.* 75
Quæſtio nona. *De Ente diſtincto.* 76
Articulus primus. *Num ſint admittendi modi realiter diſtincti à rebus, adeoque diſtinctio realis modalis. §. 1.* ibid.
§. 2. Concluſio. *Neceſſariò admittendi ſunt modi condiſtincti à rebus, adeoque modalis admittenda venit realis diſtinctio.* 77
§. 3. *Diſſolvuntur Argumentationes ex adverſo factæ.* ibid.
Articulus ſecundus. *Utrum non tantùm à creatis, verùm & à Divinis prædicatis realiter identificatis depellenda ſit diſtinctio formalis ex natura rei Scotica. §. 1.* 79
§. 2. Concluſio. *Inter prædicata realiter identificata in creatis, & à fortiori in Divinis, ſive inter attributa ad Eſſentiam, aut ad invicem comparata, ſive inter eſſentiam & relationes, nulla extat ante intellectum diſtinctio formalis actualis ex natura rei.* ibid.
§. 3. *Infenſorum argumenta diſſolvuntur.* fol. 81
Articulus tertius. *Sit ne admittenda diſtinctio virtualis etiam intrinſeca tum in creatis, tum in Divinis. §. 1.* 82
§. 2. Concluſio. *Extat diſtinctio virtualis etiam intrinſeca tum in creatis, tum in Divinis, nec ſolùm inter abſoluta, & relativa, verùm etiam inter abſoluta inter ſe.* 83
§. 3. *Adverſantium argumenta ſolvuntur.* 84
Quæſtio decima. *de Ente vero, & falſo.* 87
Articulus primus circa veritatem objectivam. *Num veritas ſita ſit in conformitate ad Intellectum Divinum, vel creatum. §. 1.* ibid.
§. 2. Concluſio. *Veritas tranſcendentalis ſita eſt in ipſa entitate, ut fundante relationem conformitatis primariò ad intellectum divinum, & de ſecundariò ad creatum; ipſa entitate importata in recto, & relatione de connotato. Et hæc relatio, ſi ſit veritas tranſcendentalis, eſt relatio tranſcendentalis; ſi ſit veritas ſpecialis, eſt relatio prædicamentalis.* 88
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.
Articulus ſecundus circa veritatem formalem.
§. 1. *Num una, eademque mentalis propoſitio in materia contingenti formaliter vera, queat de vera evadere falſa, & è converſo.* 90
§. 2. Concluſio. *Propoſitio aliqua mentalis una, & eadem in materia contingenti abſolutè prolata poteſt abire de vera in falſam, & è contra.* 91
§. 3. *Solvuntur oppugnantium argumentationes.* 92
Articulus tertius circa falſitatem. *§. 1. Num extet falſitas in rebus, an verò in ſolo intellectu.* 93
§. 2. Concluſio. *In rebus ſive naturalibus, ſive artificialibus, nulla extas falſitas, ſed duntaxat in voluntariis, & in Intellectu.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 94
Quæres quomodo opponantur verum, & falſum. ibid.
Quæſtio undecima. *De Ente bono, & malo.* 95
Articulus primus circa bonitatem. *In quo ſita ſit formaliter Bonitas. §. 1.* ibid.
§. 2. Concluſio. *Ratio formalis bonitatis non eſt ſita in integritate rei; nec in relatione ad aliud, quod non ſit appetitus & voluntas, ſed in entitate connotante convenientiam primariò ad divinam, de ſecundariò ad creatam voluntatem.* ibid.
§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur.* 96
Percontaberis. *Quotuplex ſit bonum.* 98
Articulus ſecundus circa malum. *§. 1. In quo ſitum ſit; num detur in rebus; & quomodo cauſetur malum?* ibid.
§. 2. Concluſio. *Non extat malum tranſcendentale in rebus, hocque eſt pura negatio; benè verò extat in rebus malum peculiare, hocque eſt privatio, & non negatio: nec per ſe, ſed duntaxat per accidens cauſatur, ſaltem quantùm eſt ex fine operis. Suminus autem cauſam per accidens, non prout idem eſt, ac cauſans per alium, ſed cauſans præter intentionem.* 99

§. 3. Sol-

§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta*. fol. ib.

Sciſcitaberis. *Quotuplex ſit malum*. fol. 100

Quæſtio duodecima. *De Ente individuo*. ibid.

Articulus primus. *Quodnam ſit principium radicale intrinſecum phyſicum individuationis in ſubſtantiis materialibus*. §. 1. ibid.

§. 2. Prima Concluſio. *Primum, & radicale principium individuationis in ſubſtantiis materialibus non eſt ipſa eſſentia, nec aliqua negatio, nec ipſum agens extrinſecum; nec accidentium collectio; nec exiſtentia, aut ſubſiſtentia*. 101

§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur*. 102

§. 4. Secunda Concluſio. *Nequit forma ſubſtantialis eſſe radicale individuationis principium in ſubſtantiis materialibus*. 103

§. 5 *Solvuntur Adverſantinm argumentationes*. 104

§. 6. Tertia ſtatuitur Concluſio. *Non benè per hæcceitatem explicatur principium primum, & radicale individuationis*. 105

§. 7. *Solvuntur Scotiſtarum argumenta*. ibid.

§. 8. Quarta Concluſio. *Materia prima ut quantitate obſignata eſt primum, & radicale individuationis principium in ſubſtantiis, quæ ex ipſa, & forma conſtituuntur*. 106

§. 9. *Solvuntur Infenſorum argumenta*. 107

Articulus ſecundus. *Num per formalem, vel per radicalem quantitatem fiat iſta materiæ obſignatio. Et quomodo fiat*. §. 1 110

§. 2. Concluſio bimembris. *Quantitas radicalis, at non formalis, eſt illa, per quam materia ſigillatur, ut ſit individuationis principium: nec ad hoc dandus venit modus ullus ſuperadditus*. ibid.

§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur*. ibid.

Articulus tertius. *Quodnam ſit radicale principium individuationis ſubſtantiæ ſpiritualis incompletæ, nimirum Animæ rationalis*. §. 1. 112

§. 2. Concluſio. *Animæ rationalis individuatio deſumitur per ordinem ad materiam quantitate obſignatam*. ibid.

§. 3. *Adverſantium argumenta diſſolvuntur*. ibid.

Articulus quartus. *Quodnam ſit radicale individuationis principium in ſubſtantiis creatis immaterialibus completis, nimirum in Angelis*. §. 1. 114

§. 2. Concluſio. *Radicale individuationis principium in Angelis eſt ipſa forma Angelica completè immaterialis, ut irreceptibilis in materia, irreceptibilitate fundante gradum, non præcisè ſpecificum, verùm etiam individualem*. 115

§. 3. *Adverſantium ſolvuntur argumenta*. 116

Articulus quintus. *Quodnam ſit radicale individuationis principium accidentium*. §. 1. 118

§. 2. Concluſio. *Primordiale, ac radicale principium individuationis accidentium univerſim eſt ſubjectum ipſum reduplicativè ut eis appropriatum ſive (ut aliorum utar phraſi) formaliter inſpectum*. ibid.

§. 3. *Infenſorum argumenta diſſolvuntur*. ibid.

Articulus ſextus, & ultimus. *Num plura accidentia ſolo numero diſtincta queant eodem in ſubjecto contubernium habere*. §. 1. fol. 121

§. 2. Concluſio. *Nec ſupernaturaliter queunt plura accidentia ſolo numero diſtincta eidem coincubare ſubjecto*. ibid.

§. 3. *Adverſantium argumenta ſolvuntur*. 122

Quæſtio tertiadecima. *De Ente à materia privativè ſejugato, id eſt de Anima ſeparata*. 124

Articulus primus. *Num ſtatus ſeparationis ſit naturalis, vel præternaturalis Animæ rationali*. §. 1. ibid.

§. 2 Concluſio. *Status ſeparationis, non abſolutè, ſed duntaxat ex ſuppoſitione eſt Animæ rationali connaturalis; ſtatus verò unionis ad corpus eſt illi naturalis abſolutè; & demum ſtatus reunionis ad corpus ſive mortale, ſive immortale, eſt eidem ſupernaturalis, ſaltem quò ad modum*. 125

§ 3. *Adverſariorum argumentationes diſſolvuntur*. ibid.

Articulus ſecundus. *Quid retineat Anima ſeparata*. §. 1. 127

§. 2. Concluſio. *Anima ſeparata non retinet, niſi radicaliter potentias organicas, & multò minus earum operationes, nimirum ſenſationes; benè verò retinet ſpecies, & habitus hic acquiſitos*. ibid.

§. 3. *Obverſæ partis argumenta ſolvuntur*. ibid.

Articulus tertius. *Per quas ſpecies intelligat Anima ſeparata*. §. 1. 129

§. 2. Concluſio. *Anima ſeparata nec per ſpecies à ſui natura dimanantes, nec per ſpecies hic comparatas; nec per ſpecies ab objectis deſumptas; benè verò per ſpecies ſibi à Deo infuſas, intelligit*. ibid.

§. 5. *Adverſantium argumenta diſſolvuntur*. 131

Percontaberis primò. *Quas res dignoſcat Anima ſeparata*. 133

Sciſcitaberis ſecundò. *Num Anima ſeparata diſcurrendo, componendo, & dividendo cognoſcat*. §. 1. ibid.

§. 2. Reſolutio dubitationis. *Anima ſeparata intelligit, non diſcurrendo, componendo, & dividendo*. ibid.

Sciſcitaberis tertiò, & ultimò. *Num Anima ſeparata poſſit ſeipſam naturaliter movere? & num queat corpora movere*. §. 1. 134

§. 2. Dico *Loquendo de motu locali locitate latè dicta diſplicata num. 2. concedendum eſt, Animam ſeparatam ſeipſam poſſe de loco ad locum movere; ſecùs loquendo de locitate ſtrictè dicta*. ibid.

§. 3. Dico ſecundò. *Modus dicendi Salm. & Jo: à S. Th cum Cajet. eſt probabiliſſimus. Sed ſi de ſtrictè & poſitivè locali motu loquantur, dicere tenentur, quòd eo in motu Anima ſeparata aliquid producat, ſive operetur, ſi patiantur in loco: ſicut Jo: à S. Th. dicit, Chriſti Animam deſcendendo ad Limbum, quidpiam ibi produxiſſe, nimirum lucem aliquam*. 135

§. 4. Dico tertiò. *Anima ſeparata nequit naturaliter corpora movere*. ibid.

ERRATA

	ERRATA.	CORRIGE.
Fol. 2. col. 1.	à Prudentia particulari diſtingul	non diſtingui
Fol. 13. col. 1.	tendit media	tendit ad media
Fol. 19. col. 2.	actum, non aptitudinem dicit	aptitudinem, & non actum dicit
Fol. 21. col. 2.	& alia	& aliàs
Fol. 22. col. 1.	nimirum probat	nimium probat
Fol. 33. col. 2.	ita non omnino	ita quòd non omninò
Ibidem ſub finem	ac advertentia habitus	habito.
Fol. 34. col. 1.	gloſſema non eſt niſi externum	extortum
Fol. 37. col. 1.	præterea de Fidei dogma eſt	præterea Fidei dogma eſt
Fol. 39. col. 2.	major intentio	intenſio
Fol. 42. col. 1.	quatuor circumferunt	circumferuntur
Fol. 43. col. 2.	cui nemo per in hoc	nemo par
Fol. 45. col. 2.	timor infamæ	infamiæ
Fol. 52. col. 2.	Maj. nemo eſt quem non præterea quòd	neminem præterit, quem non prætereat, quòd
Fol. 55. col. 1.	receſſum ſit	neceſſum ſit
Ibidem col. 2.	quòd Metaphyſica nec eſt	quòd Metaphyſicæ objectum nec eſt
Fol. 58. col. 2.	ratiocinatio ita	iſta
Fol. 60. col. 1.	elogare	elongare
Ibidem	qualibet in individuo	quolibet
Ibidem col. 2.	proterea	præterea
Fol. 61. col. 2.	alium officit ſpeciem	aliam
Fol. 64. col. 2.	an non poſitivum	at non poſitivum
Fol. 65. col. 1.	rationalitas eſt contractiva rationalitatis	contractiva animalitatis
Ibidem col. 2.	eſſentia hominis, numerari, &c.	numeri
Fol. 70. col. 1.	Maj. eſt conſtans	Mn. eſt conſtans
Fol. 72. col. 2.	ergo inter entis extat	inter entis proprietates
Fol. 74. col. 1.	ipſemet albedo	ipſamet
Ibidem col. 2.	quandam in relatione	quadam.
Ibidem	ſicut de entitate diximus	ſicut de unitate diximus
Fol. 80. col. 1.	affectum ſuum	effectum
Fol. 83. col. 2.	per intellectum rationalem	notionalem
Fol. 86. col. 2.	juxta formaliter	juſta
Ibidem	Noſtrates dicuntur	dicunt
Fol. 87. col. 2.	ut etetur opinio Vaſquez	ut vetus
Fol. 88. col. 1.	ad aliquod infallibile	fallibile
Fol. 90. col. 1.	noſtris intellectus	noſtri
Fol. 91. col. 1.	Maj. patecit	pateſcit
Fol. 92. col. 2.	Mevius v. g. ſedere	Mevium
Ibidem	quæ & ipſæ importabitur	& ipſa
Fol. 94. col. 2.	divina alicujus ſuperioris	diviſiva
Fol. 96. col. 2.	forma ſubjecta formis	formæ ſubjectis, ſubjecta formis
Fol. 105. col. 2.	differentiam individualis	differentia
Fol. 108. col. 1.	veterem immittat quantitatem	amittat
Fol. 109. col. 2.	ſejungatnr	ſejugatur
Fol. 110. col. 1.	authoritati præſidentibus	præſidentibus
Fol. 111. col. 2.	require	nequire
Fol. 112. col. 2.	in Animalibus rationalibus	Animabus
Fol. 117. col. 1.	ad aliena ſe conferre contra	caſtra
Fol. 120. col. 2.	ſpirituale dare individuationem	ſpiritualem
Fol. 121. col. 1.	à temporem	à tempore
Fol. 122. col. 2.	illo duo alba	illa
Fol. 123. col. 1.	in eſſe repræſentat	in eſſe repræſentativo
Ibidem col. 2.	petit eſſentiali produci	eſſentialiter
Fol. 125. col. 2.	ſponte ſuo	ſua
Fol. 127. col. 2.	perfectò non corrumpitur	profectò
Ibidem	unita corporis	corpori
Fol. 130. col. 1. num. 7.	deſumpta	deſumptas
Fol. 131. col. 1. in fine	in cui illius actionis	in vi illius actionis
Ibidem col. 2. in principio	in cui primæ actionis	in vi primæ actionis
Fol. 135. col. 1.	extaret naturali potentia	naturalis
Ibidem	Angelis mediante voluntate	Angelus
Ibidem col. 2.	reſpondes Arriaga	reſpondet

Digitized by Google

AD ARISTOTELIS ETHICAM COMMENTARIA.

NOn pauca, & quidem non levia urgebant motiva, ob quæ iſtam Philoſophiæ portionem omiſſam facere mecum ipſe conſtitueram. Me retrahebat potiſſimùm, non modò quòd quæ hac pertractantur in facultate conſueverunt morales apud Theologos agitari, ſicque ferè incaſſum hic diſplicanda eſſent, mittendo etiam manum in meſſem alienam; Verùm etiam, & præcipuè, quia haud vacat hic, nec expedit pleno ea calamo exarare, ſicut ab illis fieri mos eſt, ac convenit; nec facilè adeo ſit triennalis temporis anguſtiis, ſcholares poſt anteriores Philoſophiæ partes inſtructos in eis efficere. Retrahebat inſuper, quòd judice Stagyrita hic 1. Ethic. cap. 1. iſta pro audienda ſcientia haud ſatis idonei extent complurimum Juvenes, qui potiùs in virga ferrea regi opus habent, ceu illi, qui vitæ inſtituendæ præcepta negligunt, ac idcircò perſæpè inaniter audiunt (non verò quaſi negligendi ſint juvenum mores, ut contra Peripatus Principem vitilligare nonnihil videtur Du Hamel) proindeque Viris ætate provectioribus reſervanda. Aſt vicit tandem omnia unum, quòd nimirum mancum videretur opus, ni cum pleriſque moralem adjicerem Philoſophiam, quæ vocitari Ethica conſuevit, prout præſtare adorior.

Ethica latinum eſt nomen, quodam exortum græco à vocabulo, quod latinè idem perinde ſonat, ac *mores*, & *Ethis* idem perinde eſt ac *mos*, *ethiſis* verò *moralitas*. Idcircò Philoſophia moralis Ethices compellatur, ceu illa, quæ ad mores componendos tendit. Quot autem modis ſumi mos queat; dicam Deo dante p. 2. in tractatu de Legibus agendo de conſuetudine.

Hanc extare Moralem Philoſophiam dubium dixerim nemini, niſi, qui minoris animum, quàm hortum faceret, dum facultas quæ pro terra excolenda non deeſt, deeſſe contenderet facultatem pro excolendis animis datam. Id optimè noverat Iſocrates, qui ex Scholaribus ſuis quendam demirans tantò in animo excolendo Segnem, quanto in excolendo horto non Segnem *obſecro te*, inquit, *ne hortum habeas cultiorem, quàm animum*. Idipſum probaverat Seneca in fragmento de otio Sapientis cap. 31. ad duo namque natura nos genuit; nimirum ad contemplationem rerum, & ad actionem: ergo quemadmodum ſcientiæ extant contemplatrices, quæ nos ad rectè ſpeculandum informant, ita & facultas aliqua, per quam ad rectitudinem noſtri dirigantur actus.

Majora de hoc videri apud Javellum poſſunt.

Scientiæ quoque jure eam potiri, & quidem propriè conſentiunt Doctores, paucis duntaxat, ut Jo: à S. Thom. & Cav. inficias euntibus, ac opinantibus, nullam extare ſcientiam practicam, quorum mentionem fecimus in Logicæ prodromis art. 3. tutando, quòd Logica ſit ſimpliciter ſpeculativa. Quandoquidem ſuas infert ex certis, ac infallibilibus principiis concluſiones. Infallibilitate namque iſta gaudent principia *bonum eſt faciendum*, *malum* eſt vitandum, ſive *declina* malum, *& fac bonum*; *Unicuique quod ſuum eſt reddendum*: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: *Deo ut primo noſtro principio eſt parendum*: *Parentes ſunt colendi*. Quæ omnia ſunt principia moralia naturali luce nota, ex quibus Philoſophia moralis ſuas infert concluſiones, haſque in ea principia reſolvit, ſicque analytica, ſeu, quod idem eſt, reſolutiva extat. V. G. *Bonum eſt faciendum*, *malum eſt vitandum*, ſed *virtutis opera ſunt bona*, *vitii verò opera ſunt mala*: *ergo virtutis opera ſunt facienda*, *vitii verò opera ſunt vitanda*: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, *ſed nemo vult ſibi furari*; *ergo nemo alteri furetur*. Et innumera alia

Objicies. Scientia eſt de indefectibilibus; ſed moralis Philoſophia agit de defectibilibus: ergo Philoſophia moralis non eſt ſcientia. Prob. min. Philoſophia moralis eſt de humanis operationibus; ſed iſtæ ſunt defectibiles: ergo &c.

Conf. Scientia eſt de univerſalibus; ſed moralis Philoſophia eſt de Solis ſingularibus; ergo &c. Prob min. Eſt de actionibus humanis, vel eorum objectis; ſed actiones ſunt ſingularium: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego min. Ad prob. diſt. maj. de operationibus humanis in univerſali, concedo, in particulari, ſubdiſtinguo, ſecundùm ſe inſpecta Philoſophia moralis, nego, ut copulata Prudentiæ, concedo maj. & diſtinguo min. Operationes humanæ in particulari ſumptæ ſunt defectibiles, concedo, in communi, nego min. & conſeq. Quemadmodum namque in exordio Phyſicæ ſcripſimus, Philoſophiam naturalem eſſe verè, & propriè ſcientiam, quia eſtò agat de generabili, & corruptibili, id eſt defectibili; tamen agit de illis, non ſecundùm rationes eorum particulares, ſed de eis in communi, quo pacto ſunt quid indefectibile. Ita impræſentiarum eſt namque infallibile, quòd actiones humanæ ſunt capaces vitii, & virtutis, laudis, aut vituperii, &c. Ex quo

Ad Conſ. Reſp. quòd operationes in particulari, vel communiter, hoc eſt communitate adverbiali pro illa, & iſta, & illa, non verò in communi, ſunt ſingularium. Philoſophia autem moralis non agit de illis hoc ſecundo modo, niſi ut Prudentiæ juncta, ut nuperrimè dictum eſt. Et per hoc nonnullæ diſſolvuntur objectiones Javelli.

Ea ex re habes, Prudentiam realiter à morali ſecerni Philoſophia; quicquid in oppoſitum ſcripſerit Jo: Bapt. du Hamel ſua in *Philoſophia veteri, & nova*. Quandoquidem diverſa ſortiuntur principia, & objecta; quia moralis Philoſophiæ principia, ut nuper conſpeximus, ſunt univerſalia; Principia verò Prudentiæ ſunt ſingularia, cùm deliberet, & præcipiat, quid agendum hic, & nunc juxta circumſtantias hic, & nunc occurrentes; atque ex intentione

tione finis, quaſi ex principio particulari. Et inde nonnunquam evenit, excellentes Philoſophos morales imprudentiſſimos eſſe, ac improbè vivere.

Item quamquam objectum tum Philoſophiæ moralis, tùm Prudentiæ ſit quid operabile; tamen moralis Philoſophiæ objectum eſt quid operabile in communi; objectum verò Prudentiæ eſt quid operabile in particulari.

Nec dicere cum Philoſophia veteri, & nova juverit, quòd licèt Prudentia particularis ſit de ſingularibus, tamen Prudentia generalis eſt de Univerſalibus.

Non, inquam, Tum, quia Prudentia iſta generalis vel eſt alia à particulari, vel non. Hoc ſecundum dici minimè poteſt, quia (ut vidimus, & ingenuè idem fatetur du Hamel) diverſa non obtinent principia, & objecta. Si autem primum aſſeveretur, lis erit de nomine, num Prudentia hæc generalis ſit nuncupanda prudentia, nec ne; quamque nos dicimus, à prudentia particulari diſtingui. Tum quia particularia vel ſunt attingibilia, vel non. Si ſic, attinguntur ab una, eademque facultate; quæ de univerſalibus agit, quia particularia in univerſalibus continentur. Si non: ergo in caſſum adſtrueretur ratio particularis ad ea attingenda, quæ diſtinguatur à Generali ejuſdem rationis. Tum denique quia quemadmodum non diſtinguitur duplex fortitudo, generalis una, particularis altera, &c. ita nec diſtinguenda duplex Prudentia venit, Generalis una particularis altera.

Eadem ex re babes, Moralem Philoſophiam eſſe practicam; eò quòd in ea non quæritur ſcire propter ſcire, ſed quæritur ſcire propter operari.

Nonnulla alia lege apud Goudin.

Tandem quò ad Philoſophiæ moralis objectum nitet ex dictis in Logicæ Prodromis art. 5. §. 3. ſub num. 8. ad 2. arg. nimirum objectum ejus eſſe operationes humanas, non ut dirigibiles, ſed ut directas, directione habita ab ipſamet morali Philoſophia. Quandoqaidem objectum diſciplinæ practicæ eſt forma, quam inducere intendit, ut Domifactoria in arte ſit palam, cujus objectum eſt recta domus conſtructio; ſed forma, quam introducere moralis Philoſophia intendit eſt ipſa operationum directio, non verò earum dirigibilitas: ergo &c.

Nec diſtinguere cum du Hamel juverit de objecto Diſciplinæ practicæ, cujus objectum eſt opus ſenſibile, ſive forma ſenſibilis; & de objecto diſciplinæ practicæ, cujus objectum eſt opus non ſenſibile, ac forma non ſenſibilis.

Non, inquam. Etenim quemadmodum prima intendit introducere formam ſenſibilem, ita ſecunda formam non ſenſibilem: ergo ſicut objectum primæ eſt forma ſenſibilis, quam inducere intendit, ita objectum ſecundæ erit forma non ſenſibilis, quam induceret intendit.

Imò ex dictis eodem Logicæ loco §. 4. & 5. dici poſſet, Philoſophiæ moralis objectum nec eſſe operationes ut directas, ſed eſſe ipſa objecta ut directa, quia per priùs in iſtis eſt directio, cùm illæ ab iſtis ſpecificentur, & idcircò dicantur rectæ; quia ſunt circa objecta recta.

Nihilominùs quia, ut ſcripſi ibidem §. 5. num. 2. ad 3. Philoſophia moralis dirigit directione ſe tenente, non modò ex parte objectorum, verùm etiam ex parte ipſarum operationum; eò quòd operationes voluntatis non modo naturali, ſicut operationes intellectus, ſed modo libero tendunt in objecta rectè moraliter diſpoſita: Idcircò & ipſæ operationes voluntatis ut rectæ ingrediuntur formale moralis Philoſophiæ objectum.

QUÆSTIO PRIMA

De ultimo Hominis Fine, qui eſt Beatitudo.

PRÆAMBULUM.

1. NOn pauca hic veſtigari à Scriptoribus conſuevere. Primò num Homini competat agere propter finem. Verùm ad boc eſſe affirmativè reſpondendum babes ex dictis 2. Phyſ. q. 3. art. 3. ubi conſpexiſti, quibus agentibus, & quomodo competat agere propter finem.

Imò & propter ultimum agere finem competit, cum in Hominum finibus operationes ejus terminantibus non ſit abire in infinitum. Vid. S. Th. p. 2. q. 1. art. 4.

2. Secundò, num Hominis operatio plures totales, & adæquatos ſortiri fines queat.

Sed & ad hoc eſſe negauter reſpondendum habes ex dictis 2. Phyſ. q. 4. ubi ſcripſimus, non poſſe eundem effectum à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis ejuſdem generis, & ordinis pendere, ibique §. 3. quoddam ſolutum fecimus arg. probans, eandem operationem propter totales duos eſſe fines. Videri poſſunt Salm. in Theol. p. 2. tract. 8. diſp. 4.

Præſertim verò, contra Idololatras, plures colentes Deos, exploratum eſt, quòd nequit Homo ſimul duos habere fines omnino ultimos; quia finis ultimus eſt ille, ad quem cuncta ordinantur. Si autem duo extarent fines omnino ultimi, neuter foret talis, eò quòd ſaltem unus ad alium non ordinaretur. Vid. S. Th. p. 2. q. 1. art. 1.

3. Potior autem difficultas eſſe conſuevit, num cuncta, quæ vult Homo moraliter, & liberè, velit non tantùm propter finem, ſed & propter ultimum finem.

Quam contraverſiam reſolutam facit S. Th. p. 2. q. 1. art. 6. affirmativè contra non paucos Scotiſtas, alioſve Neotericos.

Objectio quædam ſoluta legatur apud Salm. ubi ſupra diſp. 5. dub. unico §. 1. num 4.

Hoc tamen admonitus ſis, non ita hoc eſſe intelligendum, quaſi quòd omnia, etiam à peccantibus, ordinentur ad Deum in ſeipſo, ut videtur ſupponere Guerinois. Non, inquam, ſed à probe agentibus ordinantur ad ultimum finem in ſe ac ubi eſt; à peccantibus verò ordinantur ad finem ultimum, quærendo illum ubi non eſt. Quæ eſt doctrina S. Th. p. 2. ubi ſupra art. ſequenti 7. ad 1. Eapropter peccator dicitur ponere ſuum ultimum finem in creatura implicitè, quatenus majori in pretio habet creaturam quàm Deum ipſum; Ultimus autem finis ille eſt, qui in majori habetur pretio; eſtque ibi peccantis Deus, ejuſque ultimus finis æquivalenter, tametſi forſan non formaliter. Vel aliis terminis Peccator ponit ultimum finem in bono commutabili affectivè, tametſi non effectivè.

Qua ex re prænitet diſcrimen, ob quod cauſa efficiens nequeat agere, niſi cum dependentia à cauſa prima verè tali, & ubi eſt; Benè verò finis agere queat cum dependentia ab ultimo fine, non verè tali, & ubi non eſt. Quandoquidem Finis movet affectivè, non effectivè. Voluntas autem poteſt affectivè, tametſi non effectivè ponere ultimum finem in aliis: Imò poteſt affectare finis ultimi everſionem: propterea dogmatizat Theologus, quòd Peccator, quantum in ſe eſt, deſtruit totum Deum, adimendo ipſi affectivè rationem ultimi finis.

Qui autem peccat venialiter, utique agit propter Deum ultimum finem, ſed quoſdam per amphractus, qui nonnihil aberrare faciunt.

Vid. S. Th. 3 contra Gentes cap. 17 aduſque 29. ubi diſplicat, quomodo rerum omnium finis ſit aſſimilari Deo, licèt diverſimodè. Vid. etiam Salm. ubi ſupra p. 2. tract. 8. diſp. 4. dub. 3. & diſp. 5. dub. unico.

4. Non autem ſemper eſt neceſſe, quòd quis agat formaliter propter ultimum finem expreſsè de illo cogitando. Sed

do. Sed ſat eſt, agere propter ultimum finem virtualiter, quatenus priùs ſaltem implicitè cogitavit, ut inquit S. Th. p. 2. q. 1. art. 6. ad 3. Sicut qui Romam verſus iter arripit, non incunctanter de Roma cogitat.

5. Non levis autem difficultas urgere poſſet hic de Idololatris, qui ſi omnia facerent propter ultimum finem, cùm eorum ultimus finis, nimirum eorum Deus, ſit Idolum, jam cuncta ordinarent ad Idolum, ſicque eorum omnes actiones forent peccata; cujus oppoſitum eſt contra Janſeniſtas de fide.

Ad hoc, quod in tract. de Divina Gratia objicitur à Janſeniſtis ad probandum, quòd ad eliciendum opus bonum ordinis naturæ requiratur ſpecialis gratia Reſp. ex his, quæ ibidem dicuntur, diſtinguo ſi illa exiſtimatio, qua exiſtimat, quòd Idolum ſit verus Deus, ſe haberet ſemper formaliter influxivè, concedo, ſi interdum ſe habeat duntaxat concomitanter, nego. Itaque infidelis poteſt dupliciter aliquid efficere ut rationi conforme, quod proinde ex genere ſuo bonum eſt, & ſuapte natura in naturæ authorem, quem putat eſſe V. G. Jovem. Primò itaut per ſe, & formaliter intendat operari inquantum determinatè eſt gratum Jovi, vel præcipitur à Jove, quem judicat Authorem, ſeu Legiſlatorem etiam in ordine naturæ, & in ordine ad leges naturales. Et ſic peccat mortaliter, ſi error eſt vincibilis, quia agit ex errore culpabili infidelitatis, & exhibet, cui non debet honorem. Et tunc talis exiſtimatio ſe habet influxivè ad illud. Secundo modo, itaut per ſe formaliter intendat facere illud opus, quia eſt conforme rationi, & legi naturali, adeoque ſupremo naturæ conditori, aut ſupremo legiſlatori verè ad illud obliganti, aut conſulenti, ut eſt ſupremus Dominus conditor, & Legiſlator, quamvis aliàs exiſtimet hujuſmodi eſſe Jovem. Et tunc talis error purè concomitanter ſe habet, nec proinde infidelis peccat, quia virtualiter agit in obſequium veri Dei, qui in re eſt ſupremus Dominus, & legiſlator, cui per ſe, & formaliter intendit obſequi infidelis taliter operans.

Nec ex eo, quòd omnes actiones ejus, qui extat in gratia evadant in Deum ordinatæ, ſequitur, quòd omnes actiones exiſtentis in peccato evadant ordinatæ ad pravum finem. Non inquam. Diſcrimen ſiquidem eſt quòd opus bonum ſuapte natura tendit in bonum finem, & in Deum, ni ſpecialiter ex ſpeciali prava intentione vitietur.

Quod diſplicari poteſt ex communi Theologorum doctrina in materia de Sacramentis, ubi dicitur, quòd illorum ad validitatem requiritur, quòd miniſter intendat facere, quod facit vera Eccleſia; & tamen Calviniſta V. G. poteſt validè Sacramenta conficere, licèt putet, veram Eccleſiam non eſſe Romanam, ſed Calvinianam. Et ratio eſt, quia talis error non influxivè, ſed concomitanter ſe habet, eo, quod formalis intentio illius eſt, ſe conformandi veræ Eccleſiæ, quam aliàs falsò exiſtimat, eſſe Eccleſiam Calvini. Ita &c.

6. Nonnulla alia argumenta procedentia ex eo, quòd Voluntas ceu libera poteſt agere propter ultimum finem, & non propter ultimum finem legi poſſunt ſoluta apud Salm. ubi ſupra. Ibi namque oſtendunt, quatenus voluntas in ordine ad ultimum finem eſt libera libertate contradictionis, nimirum ad agere, & non agere, at non libertate contrarietatis, nimirum ad agere vel propter ultimum finem, vel non propter ultimum finem, quia fines ſubalterni nequeunt finalizare, niſi cum dependentia à fine ultimo. Has libertates diſplicavi in *Logicæ* Poſterioriſticis Syntag. 5. quæſt. 1. art. 2. §. 1.

7. Tertiò veſtigari conſuevit in quo ſita ſit beatitudo Philoſophica, ſeu, quod idem eſt, naturalis objectiva Hominis.

Circa quod primò reſolvitur contra Avaros, hujuſcemodi objectivam beatitudinem non conſiſtere in divitiis. Quandoquidem ultraquamquod iſtæ ſtabiles non ſunt, curis animum vexant. Eam ob rem fertur, Anacreontem Philoſophum reportaſſe Tyranno Polycrati copioſam pecuniam illam, quam ab eo dono acceperat, dicens, ſe ultrò renunciare hoſtibus illis, qui eum quieſcere die, ac nocte non ſinebant. Eadem ratione quoſdam adverſus Politicos probatur non eſſe ſitam in poteſtate. Ob idque fertur de Similio, quòd ad Præfecturæ gradum evectus, eoque diù functus officio, in ſolitudinem ſeceſſit, ut quiete frueretur; & quondam ſuo in ſuburbio vita functus, hæc in ſepulchro inſcribi mandavit: *hic jacet Similius, qui licèt ſenia confectus, nonniſi ſeptemdecim vixit annos*, totidem enim poſt pueritiam vixerat annis poteſtatem non habens. Sic fert Dion. Caſſ. in vita Adr. Eadem ratione deprehendas contra Ambitioſos, conſiſtere non poſſe in honoribus, ceu illis, qui ab Hominum pendent exiſtimatione, qua nihil variabilius, ingentibuſque opus eſt curis pro fama tuenda.

8. Multò minùs dicendum contra Ariſtippum, Torquatum, Epicurum, cæteroſve brutales viros poſſe conſiſtere in corporis voluptatibus eandem propter rationem. Eò vel maximè, quòd iſta turpis foret beatitudo, non minùs ac turpis fuerit Epicurus, quamquam hunc nullo abſque fundamento excuſare voluerit Emanuel Theſaurus in ſua morali philoſophia lib. 1. pag. 29. dicens, per voluptates intellexiſſe mentis ſerenitatem.

Denique contra Senecam, reliquoſque Stoicos dicitur, beatitudinem non eſſe ſitam in ipſa virtute; quia iſta eſt meritum beatitudinis; beatitudo verò eſt virtutis præmium. De quo vide dicta lib. 3. de Anima q. 1. art. 1. §. 2. ſub num. 4.

9. Reliquum igitur eſt, ut objectiva beatitudo ſita ſit in ſolo Deo, ceu ſummo bono.

10. Objici conſuevit, quòd naturalis beatitudo illa eſt, ad quam Homo naturalem dicit appetitum; ſed Homo non dicit naturalem appetitum ad conjunctionem cum Deo: ergo non eſt ſita naturalis ejus beatitudo. Prob. min. Talis conjunctio per claram Dei viſionem non eſt naturaliter poſſibilis; ſed naturalis appetitus non eſt ad rem naturaliter impoſſibilem, cùm ſit à natura, quæ nihil molitur fruſtra, qua ratione nos 1. Phyſ. probavimus, materiam primam non appetere formas amiſſas: ergo &c.

Ad hoc arg. quo quondam utebatur Michael Bajus, & Janſenius ad probandum, non potuiſſe Hominem creari à Deo in ſtatu naturæ puræ, quia nimirum nec foret ſtatus naturæ integræ, ſive gratiæ, in quo fuit primò creatus Adam, & Eva; nec ſtatus naturæ lapſæ, nec ſtatus naturæ reparatæ, ſed naturæ in puris naturalibus. Et ſolet afferri in tract. de Gratia.

Reſp. nego min. Ad prob. dico, quòd licèt haberi non potuiſſet per viſionem intuitivam, benè verò per cognitionem perfectiſſimam abſtractivam, quæ haberi potuiſſet, præſertim ex creaturis ſpiritualibus; & per amorem naturalem ejuſdem Dei ut Authoris naturæ ſic cogniti. Et hoc ſatis foret naturalem ad beatitudinem. Sanè Angeli in primo ſuæ creationis inſtanti non habuerunt Dei intuitivam viſionem, ſecùs eorum nullus peccaſſet; & tamen pro tunc fuerunt beati beatitudine naturali, ut habet S. Th. p. p. q. 62. art. 1. videndus, ſtante perfectiſſima illa naturali cognitione, quam tum habuere. Vid. Godoy in tract. de Beatitudine q. 5. diſp. 13. §. ultimo.

Ideo autem ad beatitudinem ſupernaturalem non ſufficit cognitio abſtractiva per Fidem; quia iſta cognitio non eſt viſio nec etiam abſtractiva, cùm ſit obſcura per Fidem.

Plura alia vide apud Salm. & alios Theologos p. p. in materia de beatitudine, & Javellum hic, poſt quem Guerinois, & Goudin.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo ſita ſit eſſentialiter Beatitudo formalis, ideſt eſſentia Beatitudinis formalis.

§. I.

1. BIfariam conſiderari formalis poteſt beatitudo, quæ eſt *conſecutio beatitudinis objectivæ*. Uno modo quò ad ſtatum, quo pacto dicit beatitudinis eſſentiam unà cum ipſius proprietatibus, &c. Alio modo præcisè quantùm ad eſſentiam. Sicut V. G. Homo quò ad ſtatum dicit, non ſolùm eſſe animal rationale, verùm etiam eſſe riſibilem, diſcurſivum, admirativum &c. complexionem inſuper connaturalem, talem, vel talem corporis diſpoſitionem, quantitatem, pulchritudinem, ſanitatem, &c: Quò ad eſſentiam autem dicit duntaxat eſſe animal rationale. Inſpecta beatitudine primo modo exploratum eſt, Sitam eſſe in omnium potentiarum perficientia, cum Beatitudo ſit *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus* ex Boetio. Ob idque controvertitur duntaxat de Beatitudine formali quantùm ad eſſentiam. Circa quam

2. Ut meliùs examinare valeamus opiniones primarias, ſunt præviè refutandæ minuſculæ aliæ.

Itaque hiſce temporibus exſoleta jam extat opinio Veterum quorundam, quos ſecutus eſt Hugo de S. Victore tom.3. tract. de ſcientia Animæ Chriſti, quique opinati ſunt formalem Beatitudinem ſitam eſſe in actu illo Divino, quo Deus videt ſeipſum, ideſt in viſione increata Dei communicata creaturæ. Exſoleta, inquam eſt, & meritò. Etenim Beatitudo cùm ſit vita beata debet eſſe ſita in aliquo vitali egrediente ab intrinſeco ipſius Beati. At impoſſibile penitùs eſt, Divinum illum actum eſſe ab intrinſeco ipſius creaturæ.

Videri de hoc alia poſſunt noſtros apud Theologos in tract. de Beatitudine, ubi nonnulla ſolvunt argumenta, & Guerinois hic §.1.

Item ferè exſoleta eſt opinio Henrici Gandavenſis, qui quodl. 13. q.12. tenet, formalem Hominis beatitudinem poſitam eſſe in illapſu quodam, ſecundùm quem Divina eſſentia veluti penetrat naturam humanam. Obſoleta inquam, & merito. Siquidem formalis Hominis beatitudo eſt id, quo Homo Deum poſſidet. Illapſus autem Divinæ Naturæ in humanam naturam eſt potiùs id, quo Deus poſſidet Hominem: ergo nequit beatitudo in tali conſiſtere illapſu, eſtò aliàs talis illapſus Divinæ Eſſentiæ mentibus Beatorum, ſit quid etiam requiſitum.

Obſolevit quoque placitum aliorum, qui ſentiebant, Beatitudinem conſiſtere ſaltem magis principaliter in habitu, & non in actu, niſi ad ſummum minùs principaliter; pro quo citatur D. Bonav. in 4. ſent. diſt.49. q.1. ad ult. Obſolevit, inquam, & meritò. Quandoquidem ultra complures rationes, quæ in oppoſitum congeri ſolent, ut quòd actus eſt perfectior habitu ceu magis actualis, & aliàs in eadem accidentis linea, ut ſcripſi 1. Phyſ. q.5. art.2. §.2 & 3. tutando, quòd exiſtentia non ſit ſimpliciter perfectior eſſentia, urget quod habitus poteſt conſtituere ad ſummum habitualiter, at non actualiter Beatum.

Tandem in diſſuetudinem abiit etiam Vegæ ſententia, Ægidii, ac Valentiæ, qui equidem in intellectus actu beatitudinem conſiſtere profitebantur, ſed hunc actum, ſive hanc operationem volebant, non ab ipſo elici Beato (quem proinde merè paſſivè, nullatenus verò activè ſe habere aſſeverabant) ſed ab extrinſeco, nimirum à Deo recipere. In diſſuetudinem inquam, & meritò. Etenim cùm ſit actio vitalis nequit non eſſe ab intrinſeco elicitivè, ut diſtincta à non vitali. Ultraquamquod negari haud poteſt, quòd potior perfectio emicet in hoc, quod activè à Beato eliciatur, & quòd ad illam activè Beatus ſe habeat; Beatitudo autem eſt quid perfectiſſimum.

3. Hiſce itaque opinionibus præviè exploſis ad tres reduci celebriores poſſunt.

Prima tenet, beatitudinem formalem in pluribus ſitam eſſe operationibus. Huiſce placiti Patroni diſſident inter ſe. Quidam namque, ut D. Bonav. in 4. diſt.49. art.2. q.5. dicunt conſiſtere in tribus operationibus, nimirum viſione, amore, & fruitione. Alii autumant, conſiſtere in duabus duntaxat; ſed & iſti ſunt diviſi. Siquidem nonnemo, ut Marſilius in 4. q. ultimo cenſet, conſiſtere in viſione, & fruitione. Alii arbitrantur in viſione, & amore. Ita Hugo Victorinus, Gregorius, Richardus, Molina, Valentia, Suarez, & Salas; quibus adſtipulatur Maſtrius in tract. de viſione, licèt dicat, magis principaliter conſiſtere in amore; & niſi Scoti authoritas obſtitiſſet, dixiſſet, æquè in utraque ſitam eſſe.

Secunda aſſeverat, conſiſtere in voluntatis actu, nimirum in amore amicitiæ, quo Beatus proſequitur Deum; & idem eſt, ac dicere in fruitione, quia Scotiſta alibi profitetur, fruitionem eſſe actionem ab amore indiſtinctam. De quo nos diſceptabimus infra q.3. art. unico. Hanc amplectuntur Scotiſtæ cum Scoto in 4. ſent.diſt.49.q.4. & 5. licèt ab ea nonnihil ſecedat Maſtrius nuper in præcedenti ſententia citatus cum aliis Scotiſtarum nonnullis.

Tertia propugnat, Beatitudinem formalem in ſola intellectus operatione eſſe eſſentialiter ſitam, nimirum in Dei viſione; amorem verò, & fruitionem eſſe duntaxat proprietates ad eam conſequentes. Hanc cum D. Th. tuentur Thomiſtæ cuncti, & plerique alii, ut Toſtatus, Curiel, Lorca, Vaſquez, Granado, Becanus, Bellarminus, & noviſſimè Arriaga.

§. II.

CONCLUSIO.

Beatitudo formalis quò ad eſſentiam, non in plurium potentiarum operatione ſita eſt, ſed in una duntaxat; Et hæc eſt intellectus operatio, nimirum Dei viſio.

4. ADeſt S. Th. p.2. q.3. art.4. cujus rationem num.6. adducemus; & habetur concluſio Jo: 17. *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum.*

Prob. 1. quò ad p. p. Tum quia, ut in ſequenti num. conſpiciemus, beatitudo formalis eſt Dei conſecutio, quæ in una duntaxat operatione, nimirum in intellectione habetur. Tum quia Beatitudo formalis eſt una tantummodo, ſicut & una eſt objectiva beatitudo: ergo in una ſolummodo debet operatione conſiſtere.

Dicentem quendam audivi, duplicem dari beatitudinem, unam nimirum perfectè ſatiativam intellectus, & aliam perfectè ſatiativam voluntatis.

At hæc ſolutio ultraquamquod, ut infra dicetur, cùm una ſola ſit potentia conſecutiva beatitudinis objectivæ, in qua conſecutione, & poſſeſſione ſtat beatitudo formalis, una quoque duntaxat erit beatitudo formalis eſſentialis. Ultra hoc, inquam, urget, quia hoc eſſet de beato miſerum facere. Quandoquidem finge, quòd extaret V. G. beatitudo eſſentialis voluntatis in voluntate, & non in intellectu, nec voluntas eſſet perfectè beata, quia Homo eſtò per voluntatem non ſciat, tamen per voluntatem optat, ſcire per intellectum; ſicque non foret perfectè voluntatis quietativa: ergo implicat in terminis beatitudo, quæ ſit ſolius voluntatis ſatiativa.

Aliæ ad hanc noſtram conſueverunt adhiberi ſolutiones, quas refellunt Theologi morales legendi, præſertim Salm. in tract. de Beatitudine.

Unicam duntaxat refellendam aſſumo nondum per alios exploſſam, quæ eſt Maſtrii in tract. de viſione beatifica, dicentis, quòd beatitudo eſt una unitate aggregationis, non ſimplicitatis. Sed

Contra, Tum quia eſſentia rei eſt quid ſimplex; nos autem loquimur de beatitudine quo ad eſſentiam. Tum quia res quò eſt perfectior eſt ſimplicior, ut inductivè palam eſt, præſertim in Deo, qui ſimpliciſſimus eſt; Beatitudo autem etiam formalis eſt perfectiſſima in linea creati ſtando. Tum demum quia ſi eſt una duntaxat unitate aggregationis, peto, vel eſt quid unum perſe, vel per accidens. Hoc ſecundum dicere eſſet nimirum beatitudinem flocci facere, quaſi verò beatitudo, quæ perfectiſſima eſt, foret unum per accidens in eſſe intentionali, quemadmodum in eſſe phyſico lapidum acervus, qui proinde quid imperfectiſſimum extat in eſſe phyſico. Primum autem propugnari nequaquam poteſt. Quandoquidem quod eſt unum perſe unitate compoſitionis conſtat ex rebus ſe habentibus per modum actus, & potentiæ, ut inductivè palam eſt, actus autem intellectus, & voluntatis in quibus contendit Adverſarius, ſitam eſſe beatitudinem, non ſe habent per modum actus, & potentiæ, cùm cognitio non actuet volitionem, nec è contra, ſecùs una denominaretur ab alia, V. G. cognitio à volitione denominaretur volitio, aut è contra volitio à cognitione denominaretur cognitio; quia forma ſuam præbet denominationem ei, cui communicatur, ſeu quod actuat, & informat.

Adde, quòd ubicunque ſunt plura, debent reduci ad unum, quod ſit cæterorum radix, ſi ordinatè ſe habeant, ut inductivè in omnibus ordinatè ſe habentibus perſpicuum eſt.

5. Prob. præterea. Beatitudo debet eſſe ſita in operatione Hominis perfectiſſima, ſed operationes perfectiſſimæ nequeunt eſſe plures, nimirum intellectus, & voluntatis: ergo in una duntaxat conſiſtet. Maj. eſt indubia, cùm Beatitudo ſit maxima Hominis perfectio. Min. prob. Eorum, quæ ſpecie diſtinguuntur, unum eſt alio perfectius, ut inductione clareſcit, & præſertim in Angelis, ſed operationes intellectus, & voluntatis diſtinguuntur ſpecie: ergo &c.

Reſpondet Maſtrius, quòd Beatitudo conſiſtere debet in operatione perfectiori in linea eorum, in quibus conſiſtit, nimirum perfectiſſima voluntatis in operatione, & perfectiſſima intellectus operatione.

Con-

Contra, Tum quia Beatitudo eſt ita maxima Hominis perfectio, ut nulla alia cujuſvis lineæ creatæ perfectio eam æquare, & multò minùs ſuperare queat, cum excogitabilis non ſit: ergo debet eſſe ſita in operatione ita maximè perfecta, ut nulla alia creata operatio eam æquare, & multò minùs excedere valeat; ſed (ut dictum eſt, nec inficiatur Maſtrius) una ex illis operationibus præſtaret alteri perfectione: ergo non in ambabus, ſed illa duntaxat ſuperante debet eſſentialiter eſſe ſita. Tum quia eſſentiæ rerum ſtant in indiviſibili ſicut numeri: ergo beatitudinis eſſentia nequit eſſe ſita in operationibus, quarum una magis, altera minùs perfecta ſit.

6. Prob. modò alio ratiocinio, quod ſimul explodit pluralitatem operationum plurium potentiarum, ac probat, beatitudinem in ſolo intellectus actu, nimirum in viſione eſſe ſitam, hauſto ex D. Th. p. a. q 3 art. 4. cit. Beatitudo formalis eſt ipſa beatitudinis objectivæ conſecutio, ſeu poſſeſſio; ſed iſta habetur per ſolam intellectus operationem: ergo Beatitudo formalis quo ad ſui eſſentiam in ſola intellectus operatione ſita eſt. Prob. min. Beatitudinis objectivæ conſecutio & poſſeſſio habetur per beatitudinis objectivæ unionem; ſed talis unio non fit, niſi per intellectus operationem: ergo &c. Maj. quam unicus reſpuere videtur Arriaga (qui eſtò noſtram tueatur ſententiam, tamen hanc noſtram improbat ratiocinationem) fit evidens. Quandoquidem beatitudinis objectivæ amiſſio non fit, niſi per ſeparationem ab eadem objectiva Beatitudine: ergo ab oppoſito, &c. Min. prob. Solus Intellectus eſt ille, qui attrahit objectum intra ſe, non verò voluntas, ſecùs quemadmodum in intellectu pro objectis materialibus, ita in voluntate opus foret ſpeciebus, eſtò cognoſcitiva non ſit.

At hoc admonitus ſis (ut quædam ſolvatur Arriagæ objectio) quòd hic ſit ſermo de unione per modum operationis, non verò de unione quomodocunque; Idcircò humanitas per unionem ad Verbum non evadit Beata.

Reſpondet autem Maſtrius, quòd media intellectus operatione objectum fit præſens, non verò unitum. Ad hoc ſiquidem ut unitum fiat, debet eſſe priùs præſens (Quod & quadam ex doctrina D. Th. p. 2. q. 4. art. 3. ad 1. comprobat) Per amorem autem fit unitum.

Contra. Bona venia reſponſum hoc grandem redolet materialitatem. Quandoquidem ſit hic ſermo de præſentia intentionali; ſed iſta fit per unionem: ergo intellectus operatio eſt unitiva. Perſpicua eſt Min. in objectis, quæ media ſpecie trahuntur, cùm ſpecies uniatur potentiæ cognoſcitivæ, eamvè actuet. Ob idque quando S. Th. ſcribit, quòd objectum debet eſſe priùs præſens, quàm uniatur, vel loquitur de præſentia in fieri, vel intendit, quòd pro cognitione intuitiva debet priùs eſſe præſens phyſicè.

Plura legi apud dictos Theologos poſſunt. Nobis ſufficiat refutaſſe Maſtrii, & Arriagæ reſponſa, quæ hactenus refutaverat nemo.

7. Prob. poſtremò, præſertim ad hominem contra Scotiſtas, ſive illos, qui dicunt, beatitudinem ſitam eſſe in ſolo voluntatis actu; ſive illos, qui dicunt, ſitam eſſe in utroque, nimirum voluntatis, & intellectus actu, ſed magis principaliter in actu voluntatis, ratione, quam robuſtam ſum non ſemel expertus.

Probabam invertendo contra Scotum, rationem, qua utitur Scotus in 4. diſt. 49. quæſt 3. Beatitudo formalis debet eſſe ſita in operatione perfectiſſima; ſed intellectus operatio eſt voluntatis operatione præſtantior: ergo in intellectus operatione eſt ſita beatitudo formalis. Prob. min. Illa eſt operatio perfectior, quæ priùs amitteretur in caſu, quo beatitudo amitteretur; ſed in eventu, quo beatitudo amitteretur, tunc operatio, quæ priùs amitteretur, eſſet operatio intellectus, non verò voluntatis operatio: ergo &c.

Min. videtur conſtans. Siquidem quouſque clarè videret ſummum bonum, voluntas poſſet illud amare. Ubi dico ly *poſset amare*, non verò dixi *non poſset non amare*, ut effugium præoccuparem Scotiſtarum, qui cùm profiteantur, amorem beatificum eſſe liberum, non verò neceſſarium quò ad exercitium, poſſent reſpondere, quòd priùs poſſet ceſſare operatio voluntatis; quia etiam perſeverante clara Dei viſione, poſſet voluntas illud non amare. Quod effugium præoccupatur in præfato meo loquendi modo. Siquidem tunc eſtò poſſet non amare, adhuc tamen, ſi vellet, poſſet amare, quouſque clarè illum contueretur; ſicque non foret amiſſa beatitudo, cùm foret in contuentis poteſtate amare: non enim dicitur amiſſum, quod adhuc in poteſtate habetur. Ego autem loquor in caſu, quo beatitudo amitteretur.

Maj. verò prob. Natura in amittendo ſemper à perfectioribus priùs exorditur. Conſpicimus namque in moriente homine quod priùs amittitur diſcurſus, quàm mera ſenſatio, & quàm motus cordis, ac motus pulſus, qui eſt ultimus, qui amittitur.

Pro cujus ratiocinii potiori robore non prætereundum: quòd non eſt vera; & ſi concederetur vera, nullatenus ad rem foret, doctrina quædam, quam habet Maſtrius, ſcribens, quòd Beatitudo conſiſtit in operatione perfectiſſima tum voluntatis, tum intellectus. Falſa, inquam, ut ex dictis n. 5. eniteſcit. Et inſuper non ad rem, quia Scotiſtæ, inter quos Maſtrius, dicunt, ſaltem magis principaliter, ſi non adæquatè, ſitam eſſe in actu voluntatis ceu perfectiori. Eapropter impræſentiarum diſputatur, quænam ſit perfectior operatio, in qua ſita eſſe principaliùs debeat.

Reſpondebat mihi ex Minoritis quidam, quos de Obſervantia vocant, Anconæ; quòd ideo amiſſa viſione amitteretur beatitudo, quia viſio eſt aliquid requiſitum, quia *nil volitum, quin præcognitum*, non verò quia in viſione beatitudo conſiſtat formaliter. Sed

Contra inſurrexi. Ego non ideo probo, beatitudinem ſitam eſſe in viſione, quia amiſſa viſione amittitur Beatitudo. Non, inquam, ſed ideo in viſione Beatitudinem ſitam eſſe, quia viſio eſt operatio perfectior; & ideo probo, viſionem eſſe operationem perfectiorem, quia ſi amitteretur Beatitudo, operatio, quæ priùs amitteretur, eſſet viſio; natura autem via amiſſionis incipit à perfectioribus.

Ad hoc reſpondebat, quòd quemadmodum, ne res igne cremetur priùs debet tolli approximatio, & tamen approximatio non eſt perfectior, ita &c. Sed

Contra iterum inſurrexi primò, quia non ſolvebantur rationes, quibus ab initio id ego probavi.

Secundò. Licèt viſio ſit conditio, ut voluntas amet, quia nil volitum, quin præcognitum; non tamen remotio viſionis eſt conditio ut tollatur voluntatis amor, Scoticis hæreodo principiis, cum in ſententia Scoti etiam abſque viſionis amotione, Et cum actualis viſionis retentione poſſit ceſſare beatificus amor, qui ſecundùm Scotum eſt liber; ſed nos loquimur in caſu amiſſionis Beatitudinis: ergo præceps ruit reſponſum.

Tertiò. Quemadmodum viſio ſe habet de formali ad Beatitudinem (etiam namque in horum ſententia viſio ſe habet de formali ad Beatitudinem; licèt minùs prinpaliter) & ut conditio ad hoc, ut voluntas amet, ita forma V. G. Embryonis licèt ſe habeat de formali ad materiam, tamen ſe habet ut conditio requiſita ad hoc, ut introducatur forma animalis, & rationalis; ſed hoc non obſtante natura adoritur in incipiendo ab imperfectioribus: ergo ab oppoſito non obſtante, quòd viſio ſe habeat ut conditio ad hoc, ut voluntas amet, cùm ſe habeat de formali ad beatitudinem, dicendum venit, quòd in amittendo, ſive deſinendo, dicatur adoriri ab ipſa ceu à perfectiori.

Poſtremò ſic fortiùs urgebam. Etiam in incipiendo viſio eſt conditio neceſſariò requiſita ad hoc, ut voluntas amet, cùm nil volitum, quin præcognitum; ſed hoc non obſtante Scotus in 4. ſent. diſt. 49. q. 3. ex eo, quòd natura in incipiendo adoriatur ab imperfectioribus, & operatio intellectus ſit prior operatione voluntatis, infert, operationem intellectus eſſe imperfectiorem operatione voluntatis: ergo ab oppoſito in amittendo licèt viſio ſe habeat ut conditio, ut voluntas amet; quia tamen natura in omittendo incipit à perfectioribus, dicendum venit, viſionem, quæ priùs amitteretur, eſſe perfectiorem amore.

Confirmabam. Nam & ego eam ad rationem, qua Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 3. probat, operationem intellectus eſſe imperfectiorem, reſpondere poſſem, quòd operatio intellectus eſt prior in incipiendo, non quia ſit imperfectior, ſed quia licèt de formali unicè ſe habeat ad Beatitudinem, tamen eſt conditio neceſſariò requiſita, ut voluntas amet.

Ad hæc nonniſi verba audivi.

Præfata autem Scoti ratio abundè jam ſoluta per nos fuit lib. 3. de Anima q. ultima perveſtigando, *num intellectus ſit ſimpliciter perfectior voluntate* §. 3. in fine ad 4. arg.

§. III.

Diſſolvuntur adverſariorum argumentationes.

8. ARg. 1. contra p. p. nonnullis SS.PP. Catechiſmi Romani, juſſu S. Pii V. editi, ac ſcripturarum dictis, quibus explicatè indigitari videtur, beatitudinem ſolidam conſiſtere in utriuſque potentiæ actu.

Verùm confeſtim interpretantur de Beatitudine quò ad ſtatum (de quo jam diximus §. 1.) nimirum etiam quò ad aa, quæ Beatitudinis conſequuntur eſſentiam, De quo legi poſſunt Theologi in tract. de Beatitudine.

Neque officit, quòd Catechiſmus Romanus dicat, ſe loqui de beatitudine ſolida. Non, inquam, obeſt. Per ly ſiquidem *Solida* non idem intendit, ac eſſentialem, ſed eam diſtinguere intendit à felicitatibus terrenis, quæ inſtabiles adeo ſunt, ut meritò fluidæ nuncupentur, Solidum autem à fluido ſecernitur.

9. Arg. 2. probando, quòd formalis Beatitudo quò ad eſſentiam ſita ſit in voluntatis actu. Formalis beatitudo conſiſtit in conſecutione, & poſſeſſione beatitudinis objectivæ, quemadmodum in hujus amiſſione conſiſtit beatitudinis amiſſio; ſed voluntatis actus eſt conſecutio, & poſſeſſio beatitudinis objectivæ: ergo &c. Prob min. Amor eſt unitivus, ut vel S. Thom. docet p. 2. quæſt. 28 art. 1. ad 3.

Reſp. cum communi nego min. Ad prob. diſt. ant. eſt unitivus affectivè, concedo, poſſeſſivè, nego ant. & conſeq. Et ſic intelligendus venit S. Th. p 2. q 82 art. 3 Amor namque eſt unitivus affectivè duntaxat, vel, ut alii loquuntur, inclinativè, at non conſecutivè, & poſſeſſivè.

Contra inſurgit Maſtrius. Eſtò amor deſiderii non ſit unitivus, niſi affectivè, ſeu inclinativè; tamen amor fruitionis eſt unitivus etiam conſecutivè, & poſſeſſivè: ergo &c. Prob. ant. Tum quia quid plùs habet fruitio, quàm deſiderium. Tum quia quid plus habet amor in Patria, quàm in via. Tum demum quia fruitio non eſt, niſi de re, quæ poſſidetur.

Reſp. primodùm non deeſſe, qui dicant, fruitionem eſſe actum intellectus, ut videbimus q. 3. art. unico §. 1. num. 2. Præterea nego ant. Ad prob. nego conſeq. Fruitio ſiquidem quid plus habet, non quia ſit poſſeſſio, aut conſecutio, ſed quia ſupponit objectum obtentum, ac conſecutum, & in poſſeſſione. Non enim fruimur, niſi eo, quod poſſidemus.

Recole dicta num 5 quòd nimirum Voluntas ſicut amat, ſeu deſiderat cognoſcere, ita deſiderat conſequi medio intellectu. Qua conſecatione facta, ea fruitur.

Nec eſt verum, quòd per id, per quod tenditur in aliquid, ſemper fiat per idem ejus conſecutio. Non, inquam, eſt jugiter verum. Quandoquidem Avarus per voluntatem tendit in divitias; & tamen media manu eas conſequitur. Grave per ſuam naturam tendit ad centrum, & quodlibet corpus ad ſuum naturalem locum, & tamen media quantitate illum conſequitur.

Dices. Deus eſt præſens per ſuam eſſentiam Intellectui Beatorum: ergo non eſt opus actione intellectus, qui ſibi uniat, & conſequatur Deum.

Reſp. quòd ſicut quando gignitur Homo, generans dicitur unire materiam Animæ rationali, attingendo etiam ipſam Animam, non quidem entitativè, ſed terminativè; & Deus dicitur unire Animam rationalem materiæ in eſſe phyſico: Ita in viſione beata, Beatus lumine gloriæ ſuffultus per ſui actum, nimirum per viſionem ſeipſum unit Divinæ Eſſentiæ, attingendo etiam Divinam Eſſentiam terminativè; Deus verò dicitur unire ſeipſum intellectui Beatorum in eſſe intentionali. Undè Beatus unit, & prehendit unione ex parte ſui, Deus verò unit, & prehendit ex parte ſui, ſicque mutua fit conſecutio, & poſſeſſio.

Videantur Theologi. Ego enim Maſtrii objectionem ſolvere volui.

10. Arg. 3. ad idem, & poteſt eſſe prædictorum oppugnatio. Voluntas eſt conſecutiva Dei ſub ratione boni; ſed Deus beatificat ſub ratione boni, cùm beatificet ſub ratione finis: ergo &c. Prænitet maj. Non enim poteſt ſub ratione boni Intellectus illum conſequi, cùm intellectus objectum non ſit ratio boni.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. Intellectus nequit conſequi ſub ratione boni tanquam ratione formali *ſub qua*, concedo, tanquam ratione formali *quæ*, nego. Sub ratione autem formali *ſub qua* non eſt poſſibilis ejus conſecutio, quia voluntas non eſt conſecutiva.

Verum eſt tamen, quòd illa facta conſecutione rationis formalis *quæ* boni, in ea voluntas delectatur tanquam in ratione formali *ſub qua*; quia eam appetebat, ut dictum eſt num. 5. & iterum num. præcedenti 9.

De modo, quo intellectus queat apprehendere rationem formalem *quæ* boni nonnulla ſcripſimus in Logica Syntag. 2. q. 2. art. 6. § 3. num. 6. & videri poſſunt Theologi, præſertim verò Godoy loco ibi relato.

11. Arg. 4. ad idem. In eo conſiſtit formalis beatitudo, quod eſt nobis magis deſiderandum; ſed eſt nobis magis deſiderandus amor amicitiæ Dei, quàm viſio Dei: ergo &c. Prob. min. Amor Dei eſt cuilibet præferendus Univerſi bono, Idcircò Cherubin præcedunt Seraphin.

Reſp. diſt. maj. quod eſt nobis magis deſiderandum ut bonum nobis, concedo (beatitudo ſiquidem eſt bonum nobis) ut bonum Deo, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Idcircò ut bonum Deo eſt magis deſiderandus amor Dei amicitiæ, quia ob unum veniale vitandum peccatum eſſet quoque Beatitudini renunciandum, ſi opus foret. Videantur Theologi, & præſertim Salmant. in materia de Beatitudine.

Vide etiam quod dixi prægreſſo § 2. in fine.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Voluntas in Patria poſſit odio habere, vel ſaltem non amare Deum clarè viſum.

§. I.

1. QUò ad 2. p. annuit Scotiſta cum nonnullis aliis: Quo ad p. verò p. pauciores ſunt, qui annuant. Quo in caſu dicunt, quod quis foret Beatus ſecundùm Intellectum, & damnatus ſecundùm voluntatem: Idque de potentia duntaxat abſoluta, at non de potentia ordinaria eſſe poſſibile opinantur.

Audivi Bononiæ publico diſputatorio in congreſſu doctrinam cujuſdam ex hujuſcemodi opinioniſtis.

Itaque admittebat iſte (nonnulli autem eorum id abnuunt) quòd Voluntas ſit potentia cæca manuducta ab Intellecto; attamen dicebat, quòd tali in caſu Deus vel per ſeipſum, vel per quid aliud ſuppleret munus intellectus, proponendo ipſi rationem aliquam mali. Ob idque ſtare poſſet beatitudo in Intellectu, tametſi beatitudo non adeſſet in voluntate.

Ubi non prætereundum, quòd dum contra eum arguebatur, quòd Deus clarè viſus non poſſet voluntati ulla ſub mali ratione proponi; Ipſe primitèr id ægrè annuebat, & ad ſummum permiſit, dicendo *tranſeat*, quia, dicebat ille, poſſet proponi etiam ſub ratione mali, non quidem ſub ratione mali adimentis charitatem, quia voluntati ſi diſpliceret charitatis ſublatio, jam placeret charitas, ſicque placeret ei amare Deum; ſed ſub ratione auferentis beatitudinem. Puta caſu, quo Deus revelaret alicui, hujus beatitudinem duraturam duntaxat ad certum uſque tempus, & poſtea fore damnandum; quod optimè de abſoluta Dei potentia eſt poſſibile, ut vel apud Noſtrates aſſeveratur.

Præterea eo permiſſo negabat conſeq. & dicebat audacter, voluntatem poſſe odio habere bonum etiam ſub ratione boni, cùm ſit libera. De quo ſtatim §. ſequenti.

2. Inſuper ad aliud fundamentum, quod habet Vincentius Ferre, dicendo, extare non poſſe beatitudinem in voluntate, quæ non ſit derivata à felicitate Intellectus, &c. Poſſet ex doctrina, quam ab eodem audivi, reſponderi id inficiando. Siquidem opinioniſtæ iſti duplicem diſtinguunt beatitudinem eſſentialem, unam nimirum intellectus, & alteram voluntatis. Eſſentialis Beatitudo intellectus ſita eſt in hoc, quod ſit perfectè intellectus ſatiativa. Eſſentialis beatitudo voluntatis ſita eſt in hoc, quod ſit perfectè voluntatis ſatiativa.

Verùm duplicem hanc beatitudinem eſſentialem refellere haud difficile erit ex dictis à nobis art. antegreſſo §. 2. num. 5.

§. II.

§. II.

CONCLUSIO NEGANS
quò ad utramque partem.

3. QUò ad p. p. probari poſſet fundamento Vincentii Ferre ouperrimè num. 2 memorati, & videndi in tract. de Beatitudioe, & præſatum reſponſum refutare ex dictis retroacto art. §. 2. num. 5.

4. Probarem autem ipſe ſic. Si per impoſſibile extaret ſummum malum infinitum ſimpliciter in omni linea clarè intuitivè viſum, non poſſet à voluntate amari: ergo ab oppoſito ſummum bonum, infinitum ſimpliciter in omni linea clarè viſum intuitivè nequibit à voluntate odio haberi. Conſeq. eſt exacta. Ant. prob. Nulla in illo foret ratio boni amabilis: ergo &c. Probo ant. Ratio illa boni vel foret vera bonitas. Et hæc non, quia secùs non eſſet malum infinitum in omni linea. Vel apparens. At neque ſic, quia aliàs ſic non eſſet clarè intuitivè viſum.

Si reſpondere quis non vereatur, quòd quemadmodum in doctrina præallata ſub n. 1. voluntas eſt libera ad odio habendum bonum, ita quoque ad amandum malum.

Contra. Ex hoc ſequeretur, poſſe ab infinito malo beatificari per amorem illius ſummi, & infiniti mali, non ſecùs, ac modo beata fiat in Patria per amorem ſummi, & infiniti boni; ſed hoc omni prorſus falſitate laborat: ergo non poſſet illud ſummum, & infinitum malum diligere. Min. ſi fortè (quod minimè credendum) negetur, poſſet ſuaderi exemplo intellectus, qui ſanè beatificari minimè poteſt à falſo clarè cognito, & viſo ut falſo, cùm intellectus perfectio ſit veritas, & non falſitas, ſaltem de vera loquendo perfectione: ergo neque voluntas à malo. Etenim quemadmodum falſum opponitur vero, ita & malum opponitur bono; & quemadmodum intellectus perfectio eſt verum, & non falſum, ita voluntatis perfectio debet eſſe bonum, & non malum. Maj. autem prob. Sua æquali poſſet libertate æque amare ſummum, & infinitum illud malum, clarè, & intuitivè viſum, ac modò odio habere ſummè, & infinitum bonum clarè, & intuitivè viſum; ſed voluntatis beatitudo ſita eſt in amore, & non in odio; ergo &c. Prob. min. Siquidem odium eſt actus fugæ, & motus violentus velati cujuſdam iræ.

Conf. Nequit Intellectus beatificari errore, aut viſus cæcitate; ergo nec voluntas à malo. Quemadmodum namque perfectio intellectus, & viſus eſt lux, ita Voluntatis perfectio eſt bonitas.

Nec diſcrimen juverit adducere de voluntate, quia eſt libera.

Non, inquam. Quandoquidem ideo falſum cognitum ut falſum nequit eſſe Intellectus beatitudo etiam de abſoluta Dei potentia, non quia intellectus ſit potentia naturalis, & non libera, benè verò quia perfectio Intellectus eſt verum cui adverſatur falſum, quemadmodum amaro opponitur dulce, odori fœtor, &c.

Si dicatur, quòd non beatificaretur ab illo malo ſummo, quia eſtò illud amaret, haud tamen amore, qui ad eam beandam ſufficeret.

Contra. Voluntatis Beatitudo nequit eſſe, niſi ſummus amor, ut palam eſt in Beatis ſummè amantibus ſummum bonum, & probatum jam eſt, non poſſe eſſe ſummum odium, quia hoc eſt fugæ actus; ſed tunc ſummè amaret ſummum illud malum: ergo bearetur à ſummo malo. Prob. min. Tunc amaret illud quia malum; ſed foret ſummum malum: ergo &c. Sicut modò Voluntas in Patria, quia amat Deum, quia ſummum bonum clarè viſum ſummè amat. Seque ubi Beatitudo definitur, quod ſit *ſtatus omnium* bonorum *aggregatione perfectus*, tunc definiri deberet, quod ſit *ſtatus omnium malorum aggregatione peſſimus*.

Præterea ſequeretur, Intellectum per aſſenſum poſſe proſequi falſum cognitum ut falſum, tenebras, &c. tametſi non beari; quemadmodum Voluntas poſſet per amorem proſequi malum. Sicut namque Intellectus aſſenſus quantùm eſt de ſe fertur ad verum, & diſſenſus ad falſum; ita amor ad bonum, & odium ad malum.

Reſponderent forſitan minùs temerè, quòd lethale peccatum noſtra in ſententia eſt malum infinitum; & tamen amatur à voluntate. Sed

Contra. Peccatum eſt malum duntaxat in linea moris. Ob idque iterùm inſurgo ſic. Si per impoſſibile extaret malum infinitum ſimpliciter in omni linea, non foret amabile: ergo à pari bonum infinitum ſimpliciter in omni linea non erit odibile; ſed Deus eſt ſummum bonum infinitum in omni linea, nimirum tum phyſica tùm morali: ergo nequit à voluntate odio haberi. Ant. prob. ut ſupra. Peccatum autem eſt quid boni in linea phyſica, puta vel utile, vel delectabile.

Si ulteriùs reſpondeatur, quòd amari poſſet malum illud infinitum, quatenus bonum aliquod cauſaret.

Contra eſt. Bonum illud, quod cauſaretur, vel eſſet reale, vel duntaxat apparens. Non primum, quia nemo dat quod non habet. Neque ſecundum, quia ſi clarè videretur malum illud infinitum, à fortiori videretur, bonum illud apparens non eſſe verum bonum, nec poſſet ei apparere bonum, dum eſſet in re malum: quemadmodum qui clarè contuetur bonum infinitum, nequit obſcurè videre aliud bonum, taliter quòd iſtud appareat ſibi malum.

Si dicas, in hoc ſtare diſparitatem, quia nimirum bonum infinitum poteſt verum cauſare malum phyſicum, nimirum privationem beatitudinis. Illud autem infinitum malum cauſare nullum valeret bonum. Sed

Contra. Illo ab infinito malo nequiret cauſari bonum aliquod amabile, ut jam oſtenſum eſt, quia nemo dat quod non habet: ergo pariter infinitum bonum, ut eſt Deus, nequit aliquod cauſare malum verè odibile.

Et licèt cauſari à Deo queat phyſicum illud malum, nimirum Beatitudinis privatio; tamen, ut perdoctè ſcribit Ferre in tract. de Beatitudine in ſua prima concluſionis hujus probatione, malum iſtud minimè foret odibile à voluntate non inordinata, ſed regulata rectam per rationem, adeoque Divino à nutu perfectè pendente.

Si tandem dicatur, quòd voluntas poſſet infinito in illo malo amare bonum illud apparens.

Contra falſum iſtud ſuppoſitum eſt. Bonum apparens illud dicitur, quod bonum non eſt, & bonum ex æſtimatur; ſed qui clarè conſpiceret intuitivè malum illud infinitum, non poſſet ita æſtimare; eo quòd cognitionem mali præſtantiorem ſortiretur, quàm obtineamus nos, qui malum illud infinitum non videmus; ſed noſtram hac, quam habemus cognitione, ſcimus, & ignorare non poſſumus, quòd nullum verum bonum poſſet ab infinito illo malo cauſari, quia iſta cum cognitione ignorare non poſſumus, quòd nemo dat, quod non habet: ergo falſum eſt ſuppoſitum nimirum quòd poſſet malum illud eſſe apparens bonum ei, qui clarè intuitivè malum illud infinitum videret.

Firmiſſimam igitur habes rationem fundatam in una ex ſuppoſitionibus illis, quæ fieri non rarò conſueverunt, ut ex eis veritas aliqua deducatur. Sic etiam in Theologicis in materia de Trinitate illa ſolet controverti difficultas, num Spiritus Sanctus in caſo impoſſibili, quo à Filio non procederet, diſtingueretur realiter ab illo.

Sic etiam exacta foret argumentatio iſta: *ſi per impoſſibile Homo volaret, haberet alas; ſed avis volat: ergo avis poſſidet alas.*

5. Hoc eodem ratiocinio poteſt concluſio probari quò ad 2. p. contra Scotum. Quandoquidem Infinitum malum clarè viſum Voluntas non modò non poſſet amare, verùm etiam nec poſſet non odiſſe, ac neceſſariò quò ad exercitium illud odio haberet: ergo pariter bonum infinitum clarè intuitivè viſum non ſolùm non poſſet odio habere, verùm etiam nec poſſet non amare, ideſt neceſſariò quò ad exercitium amaret, licèt neceſſitate non coactionis, ſed propenſionis. Conſeq. eſt exacta ut ſupra à pari. Ant. prob. Negari haud poteſt, quòd voluntas non obſtante ſui libertate non modicam experitur difficultatem in compeſcendo odium erga malum aliquod non adeo excedens, V. G. inimicum, ut ſibi malum; nec dubitare fas eſt, quòd ſummam Anima experiretur difficultatem in frænando odium erga Dæmonem ſi eum clarè intuitivè contueretur, ut ſibi infenſum, eamque vexantem; ergo pluſquam ſummam difficultatem phyſicam (quæ ſumma difficultas phyſica eſt impoſſibilitas moralis) adeoque impoſſibilitatem phyſicam experiretur in ſuſpendendo odium erga infinitum, ſi extaret malum, quod ſanè longè majus foret.

Aliæ rationes apud Theologos, aliaſve tibi promitto in Theologia.

§. III.

§. III.

Adverſantium argumenta diſſolvuntur.

6. PRo prima parte militat argumentum, quia nimirum poſſet repræſentari Deus ut cauſans malum aliquod, nimirum ut adimens beatitudinem, cùm de potentia abſoluta auferre eam queat.

Verùm ad hoc habes ex dictis ſub num 4 cum Ferre, quod Beati voluntas, ceu ordinariſſima, non poſſet odio habere malum illud, ceu illa, quæ penitùs in Deum transformata, vellet neceſſariò, & amaret quicquid Deus vellet. Quòd ſi ſecùs foret, jam non foret rectè, & rectiſſimè ordinata per claram Dei viſionem, ſicque non foret ille talis Beatus nec etiam per intellectum; adeoque eſſemus extra quæſtionis ſtatum.

7. Arg. aliud eſſe poteſt, quia Voluntas eſt libera ad amandum, & odio habendum.

Verùm ad hoc Scotiſta, qui tenet, voluntatem in Patria neceſſitari duntaxat quò ad ſpecificationem, & non quò ad exercitium, reſpondebit, in Patria eſſe liberam libertate contradictionis, nimirum ad amandum, & non amandum per ſuſpenſionem actus amoris; at non libertate contrarietatis, hoc eſt ad amandum, vel odio habendum Deum.

Thomiſta autem volens, neceſſitari etiam quò ad exercitium, reſpondet, quòd licèt ſit libera abſolutè, non tamen ex ſuppoſitione ſummi boni clarè viſi. Sicut eſtò abſolutè ſit libera, tamen ex ſuppoſitione, quòd amet, non eſt libera ad odio habendum, imò nec ad ſuſpendendum amoris actum dum actu amat, ſive ad componendum amorem cum non amore, ſive cum amoris ſuſpenſione.

8. Pro alterius objectionis ſolutione, hoc admonitus ſis, quòd amor viæ, & amor Patriæ eſtò ſit ejuſdem ſpeciei; tamen in via regitur cognitione obſcura; In Patria verò regitur cognitione clara: Idcircò iſte, non verò ille eſt neceſſarius.

Reliqua de hoc videantur apud Theologos p.a. in materia de Beatitudine, & præſertim apud Ferre. Nobis autem aliqua potiora indigitaſſe ſufficiat.

QUÆSTIO SECUNDA

De Actibus humanis.

QUoniam haud benè humanorum moralitas actuum percipi valet, niſi notione humanorum actuum præmiſſa, ideſt Voluntarii, & involuntarii: Idcirco quæſtio iſta præcurrit quæſtionem de actuum humanorum moralitate.

PRÆLOQUIUM.

De quidditate, & multiplicitate actus voluntarii.

1. NOn dixi *de exiſtentia* actus voluntarii. Siquidem extare voluntarium cunctis exploratum eſt, cum nemini inexploratum ſit, voluntatem extare.

Definitur autem voluntarium ex his, quæ habet tum Ariſt. 3. Ethic cap. 1. tum S. Th. p. a. q. 6 art. 1. & 2. ex pluribus SS. Patribus ſic: *Voluntarium eſt actus, qui procedit à principio intrinſeco cum cognitione finis.*

Definitionis hujus irreprehenſibilitas enitelcet ſingulas ejus expendendo dictiones. Dicitur primò *actus*. Per quam particulam convenit cum cæteris actibus etiam non voluntariis. Dicitur deinceps *qui procedit à principio intrinſeco*, ut ſecernatur à violento. Dicitur poſtremò *cum cognitione finis*, ut diſtinguatur ab omni actu naturali, qui tametſi ab intrinſeco ſit, non tamen dirigitur cum cognitione finis ab eodem agente, ut nutritio, augmentatio, &c. Ly autem *Finis* intelligitur tanquam ratio formalis *ſub qua* ut diſtinguatur ab intellectus actu, qui, ut q. prægreſſa art. 1. § 3. num. 10. ad 3. ſcripſimus, tametſi rationem Finis attingat, ideſt bonum, ut rationem *quæ*; non tamen ut rationem formalem *ſub qua*. Voluntarium itaque eſt, quod habet emanare ex voluntate operante propter finem, cùm non moveatur ad agendum, niſi à fine.

2. Qua ex re habes, non eſſe idem voluntarium, & liberum, cùm etiam actus neceſſarius voluntatis ſit à principio intrinſeco, nimirum ab ipſa voluntate cùm finis cognitione licèt ægrè. De quo art. ſequenti unico § 1. & § 4. num. 9.

Imò interdum contingit, actum neceſſarium eſſe magis, ac perfectiùs voluntarium actu libero licèt perfectione duntaxat accidentali, non eſſentiali; dum nimirum neceſſitas ex perfectione ſuboritur cognitionis, ut eſt amor Dei clarè viſi in Patria, juxta ea, quæ ſcribunt Noſtrates p.a. contra Vaſquez, Salam, Lorcam, Almaynum, & Conradum; & videri poſſunt Salm. Gonet in tract. de voluntario, & involuntario, & Guetinois hic q. 4. art. 1. quæſito 2. Eſt namque beatificus amor à voluntate tanquam à principio intrinſeco, cum perfectiſſima finis cognitione. De quo iterum infra art. ſequenti unico § 4. concl. 2. num. 9.

3. Quò ad voluntarii multiplicitatem, dico, multifariam dividi voluntarium poſſe, nimirum ex parte ipſorum appetentium, & ex parte modi appetendi.

Ex parte appetentium dividitur in perfectum, & in imperfectum. Perfectum dicimus, quòd provenit ab intrinſeco cum perfecta finis cognitione conferente finem cum mediis, ut in agentibus intellectivis. Imperfectum eſt, quod eſt ab intrinſeco, ſed cum imperfecta finis cognitione, ut in Belvis, quæ tametſi cognoſcant rem, quæ eſt finis, non tamen finem formaliter, ideſt non cognoſcunt proportionem mediorum cum fine, ut ſcripſi in 2. Phyſ. q. 3. art. 3. Eò vel maximè quod in Brutis extat voluntas duntaxat imperfecta, nimirum appetitus ſenſitivus, at non appetitus rationalis.

Ea ex re habes, quòd voluntarium ſumptum pro eo, à quo nomen eſt impoſitum ut à principaliori, eſt *ſolus* voluntatis actus; At inſpectum pro eo, ad quod ſignificandum eſt impoſitum, eſt etiam actus ſenſitivi appetitus.

Hoc imperfectum voluntarium poteſt admitti etiam in actibus indeliberatis Hominis, qui dicuntur actus Hominis, non verò actus humani. Quandoquidem actus humanus eſt, qui à voluntate procedit Hominis cum advertentia ſaltem virtuali rationis; actus verò Hominis dicitur, qui ab Homine fit ulla abſque rationis advertentia etiam virtuali.

Ex parte modi appetendi voluntarium perfectum multifariam dividitur.

Aliud itaque eſt voluntarium directè, aliud indirectè. Voluntarium directè illud dicimus, in quod voluntas directè in ſe ipſo conſideratum tendit, ut cùm quis die feſto non vult ſacrum audire. Indirectè verò illud eſt, in quod indirectè duntaxat, & mediante alio, quod ad id non intendat, voluntas tendit, ut V. G. ſi quis die feſto, cùm tempus eſt, Miſſam audiendi, ſe venatui, vel ludo committat.

Dixi *quod ad id non intendat*. Etenim ſi ille venatui ſe committat vel ludo, hoc intuitu ut ſacro non interſit, tunc illa non auditio ſacri eſt volita directè, tametſi in alio, quia illud aliud eſt volitum propter non auditionem ſacri.

Qua ex re habes, quòd directè volitum poteſt aliquid eſſe & in ſe, & in alio; indirectè verò volitum non ſtat, niſi

niſi in alio volitum, nimirum ut dum quis vult aliquid, quo præpeditur aliud facere, V. G. cum quis tempore dicto ſe ludo committit, aut venatui, non hoc intuitu, ut ſacro non interſit, ſed ob vehementem, quam venatui, vel ludo, affectionem habet.

Hinc perperam Suarez p. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 1. num. 1. dixit, quòd eſſe indirectè volitum poteſt eſſe vel in ſe, vel in alio. De quo iterum, Deo dante dicam in tract. De legibus quæſt 8. quæ erit de Ignorantia legis art. 5. §. 5. num 1.

Quoties tamen eſt voluntarium etiam indirectè, omiſſio actus debiti eſt peccaminoſa, & dicitur voluntarium in cauſa, proindeque peccatum in cauſa, modò fuerit excitatus, qui ſic vult, ad advertendum, & tenebatur advertere, modo, quo, Deo daute, dicam in tract. de legibus quæſt. 8. art. 4. Et in appendice ponenda poſt eundem art. 4.

Præterea voluntarium aliud eſt formaliter tale, aliud virtualiter tale. De quo vide quæſt. præcedenti in Præloquio num 4.

Denique voluntarium aliud eſt legale, aliud perſonale. Legale eſt illud, quod eſt factum à voluntate aliena, quæ tamen eſt una legaliter cum voluntate illa, cui dicitur eſſe voluntarium legaliter, ſive lege humana, qua voluntas Pupilli dicitur translata in voluntatem Tutoris, à quo proinde quicquid fit, dicitur Pupillo voluntarium; ſive lege naturali, qua cunctorum Hominum voluntas erat translata in Adæ voluntatem, ceu illius, qui erat cunctorum caput. Idcircò hoc modo peccatum originale dicitur & poſteris voluntarium. De quo fusè Theologi p. 2. in tract. de vitiis, & peccatis.

ARTICULUS UNICUS.

Quænam ſint, quæ voluntario obſtant.

§. I.

1. ALiis ſub terminis proponi dubium hoc conſuevit, nimirum *quæ ſint quæ cauſant involuntarium*.

Præconſiderandum, quòd licèt non ſit idem eſſe violentum, & eſſe involuntarium rigorosè; & propterea non omne violentum eſt involuntarium, quia involuntarium dicitur duntaxat in cognitione præditis; violentum verò etiam in non cognoſcentibus, cùm reapſe impulſus lapidis ſurſum ſit ei violentus: ad eum modum, quo eſſe irrationale licèt etiam lapidibus competat, nihilominùs in rigore de Solis Brutis dicitur. Licèt, inquam, ita ſit, imò nec omne involuntarium ſit violentum, ut liquet cùm operatio aliqua elicitur naturaliter ſine finis cognitione ab Homine, tamen nonnunquam aliquod involuntarium eſt violentum; & propriè tunc dicitur coactum; quod in non viventibus dici rigorosè nequit; nec omne neceſſarium eſt violentum, ut palam eſt de actione, qua ignis calefacit; licèt è contra omne violentum ſit neceſſarium.

Idcircò recole, non ſolùm quæ ſcripſimus 1. Phyſ. agendo de natura, & violento quæſtiuncula 3. verùm etiam in Meth. q. 13. art. 5. §. 3. n. 7. ad 1. arg. in fine ejuſdem numeri, ubi cùm Arriaga falſos quoſdam dicendi modos Vaſquezii, Conimbricenſium, &c. circa violentum abjecimus. De quo hic agit Guerinois, & in Theologicis p. 2. Gonet, Salm. &c.

Involuntarium igitur definitur per contrapoſitionem ad voluntarium, eſſe *illud, quod* in cognitione præditis *vel non eſt à principio intrinſeco, vel ſi eſt à principio intrinſeco, non eſt cum cognitione finis*. Altero namque ex his deficiente adimitur voluntarii ratio. Idcircò ſi quis meo apprehenſo brachio per vim eum applicet ad aliquem feriendum, id non erit mihi voluntarium. Sic Luciæ non fuiſſet voluntarium ſtuprum ſi ad lupanar fuiſſet deducta, ceu invitæ, & per vim.

Quoniam igitur, ut feſtinè dicetur, inter ea, quæ involuntarium cauſare poſſunt, ſupputatur vis, ideſt violentia. Idcircò

Præmittenda venit doctrina, quam habet S. Th. tum p. 2. q. 6. art. 4. tum p. p. q. 82. art. 1. tum q. 22. de ver. art. 5. ſub finem, & alibi; cui adſtipulantur in hoc Scriptores cuncti; & ex profeſſo pertractat Guerinois hic art. 4. §. 2. & 3. nimirum quòd in duplici differentia (miſſis aliis, qui modò ad rem non pertinent) ſunt actus voluntatis. Quandoquidem alii ſunt ejus proprii immediatè ab ea eliciti, ut ſunt velle, & nolle. Alii ſunt ab ea imperati, & ab alia potentia eliciti, ut ſunt V. G. ſcribere, loqui, videre, &c. Itaque loquendo de prioribus actibus dicit, nec à Deo etiam ut agente particulari, voluntatem poſſe violentiam pati, proindeque non poſſe hujuſmodi actus dici violentos, ac coactos. Idem dic de actibus, qui ſunt quidem ab eadem voluntate eliciti, ſed per alium actum antecedenter imperati, ut electio mediorum, quæ imperatur ex vi intentionis finis &c. propter eandem rationem. At loquendo de actibus, qui media alia potentia eliciuntur, docet, poſſe in iis violentiam pati, proindeque poſſe hujuſmodi actus eſſe violentos, ac coactos. Quandoquidem poſſunt etiam contra voluntatis inclinationem per vim produci: V. G. poteſt per vim apprehendi brachium Hominis ferire nolentis, & moveri ad feriendum. Item Homini volenti videre, claudi oculi, & nolenti videre, aperiri per vim oculi poſſunt.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Violentia voluntarium ſimpliciter adimit.

2. INtelligenda concluſio venit juxta nuperrimè dicta quò ad actus externos.

Item intelligenda venit de vi, ſeu, quod idem eſt, violentia, qua potentia applicatur ad actum illum, at non de violentia illa, qua afficitur aliquis ut ſeipſum applicet ad actum V. G. cùm Fidelis torquetur à Tyranno, ut Idolo cultum exhibeat; de iſta namque violentia dicetur §. ſequenti agendo de metu, cùm poſſit tunc quis non agere, & potiùs mortem ſubire. Hoc ſuppoſito concluſio eſt apud cunctos communis. Et

3. Prob. Ut antegreſſo §. dictum eſt. Si ex illis alterum deficiat actui; nimirum vel quod ſit ab intrinſeco, vel quòd ſit cum cognitione finis, tollitur ratio voluntarii; atqui actus illi externi tametſi ſemper forent cum cognitione finis, hoc ipſo, quod violentia in ſenſu prædeclarato inferitur, ſunt ab extrinſeco: ergo non ſunt voluntarii. Hinc S. Th. p. 2. q. 6. art. 5. in corp *ſicut*, inquit, *in rebus, quæ cognitione careat violentia facit aliquid contra naturam, ita in rebus cognoſcentibus facit, aliquid eſſe contra voluntatem. Quod autem eſt contra naturam dicitur eſſe innaturale; & ſimiliter quod eſt contra voluntatem dicitur eſſe involuntarium. Undè violentia involuntarium cauſat*.

Sic ſi violenter impulſo capite adigatur quis Idolo caput inclinare; aut violenter flexo poplite adigatur quis ante Idolum genua curvare; aut, ut inquit Goudin, manu thure plena coram Idolo prunis aduratur, donec ignium ardore ſoluta in ſubjectas prunas thus emittat; aut ſi violenter arrepta manus adigatur ad impiam ſubſcriptionem, &c. palam eſt, hujuſcemodi actus non eſſe voluntarios. Hinc Virgo Siracuſia Tyranno, *ſi invitam*, inquit, *juſſeris violari, virginitas mihi duplicabitur ad coronam*. Tunc enim voluntas agitur, potiùs quàm agat.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Metus tametſi cadens in conſtantem virum ſit, & cauſa totalis, non reddit actum involuntarium ſimpliciter, ſed duntaxat ſecundùm quid.

4. MEtus, ſcribente S. Th. p. 2. q. 41. *eſt paſſio, qua refugimus malum imminens, cui reſiſti, moraliter ſaltem loquendo, non poteſt*. Epropter timor non eſt de malo purè poſſibili, ſecùs timere quis prudenter poſſet, ne rueret Cœlum, ſed eſt de malo futuro, aut probabiliter imminenti. Ob idque ſecundùm Legiſperiſos, dicitur *paſſio cauſata ex inſtanti, vel futuro periculo*. A D. Th. etiam 3. p. q. 47. art. 1. dicitur mentis trepidatio.

Dixi autem etiam de timore cadente in Conſtantem Virum, & ſe habente ut cauſa totali. Pro quo

Hoc te non prætereat, quòd timor (aliis miſſis diviſionibus, quæ hanc ad rem non faciunt puta in filialem, ſive

reverentialem, & ſervilem &c.) duplex percenſetur. Unus dicitur metus cadens in virum conſtantem, ideſt metus gravis ut V. G. metus mortis, triremis, perpetuæ carceris, ſervitutis, mutilationis, cruciatus atrocis, ſtupri, infamiæ, amiſſionis ſtatus honorifici, aut bonorum &c. qui virum etiam fortem afficere poſſet, ut ex toto titulo *Codicis de his, quæ cauſa metus fiunt, & c. cùm dilectus de his, quæ vi* ſi adſit motivum grave id timendi, ex quo etiam vir fortis, ac conſtans poſſet à ſuo propoſito dimoveri. Alius dicitur non cadens in conſtantem virum, ideſt levis, ut V. G. alicujus pœnæ moderatæ pecuniariæ &c. vel metus damni gravis, tamen hic metus eſt ex levi motivo.

Præterea metus cadens in conſtantem virum poteſt dupliciter modo ſe habere ad actionem. Uno modo cauſativè, ideſt ut cauſa actionis, taliter quòd in eam influat ſaltem moraliter, & Homo verè agat ex eodem metu; ſicut re vera V. G. Mercator tempore ſævæ tempeſtatis ex naufragii metu projicit merces pretioſas in mare. Et hoc modo adhuc dupliciter, nimirum vel ut cauſa totalis, ut in præfato exemplo; vel ut cauſa duntaxat partialis, adeout actio fieret tametſi metus ille non adeſſet, vel ceſſaret: quo pacto res ſe habet in eo, qui paratus eſt ad Idolum colendum, vel ad furandum; cui tamen alius minatur mortem, niſi Idolo cultum exhibeat, aut furetur, &c. Duæ namque ibi ſunt cauſæ partiales impellentes Hominem ad furtum, vel ſacrilegum cultum, nimirum avaritia, aut idololatria, & metus. Alio modo purè concomitanter, taliter quòd actio fiat quidem dum aliqua ſeſe offert magna timoris occaſio, non tamen eſt timor, qui ad agendum impellat. Sic Martyres Chriſti, V. G. Hermenegildus cum mortis timore, partem ſaltem ſenſitivam afficiente, collum ſubjiciebant ſecuri, & gladio; tamen timor non erat cauſa impellens, ſed potiùs, quantùm in ſe eſt retrahens. His ſuppoſitis.

Concluſio traditur à D. Th. p.a. q.6. art.6. & Ariſt. 3. Ethic cap.1. Et

5. Prob. Actus qui ex ejuſmodi metu fiunt ſunt ſimpliciter in poteſtate facientis, ita ut poſſit agere, & non agere, Quod ex eo maximè evincitur, quia agens applicat membra ſua ad tales actus, non verò per vim talia membra ab alio extrinſeco applicantur, ſecùs foret violentia, de qua jam ſcripſimus §. antegreſſo V. G. dum quis minatur alteri mortem niſi mendacium dicat, vel Idolo thus adoleat; ſi iſte ob ejuſmodi metum ſic minanti obtemperet, ipſe applicat os ſuum ad mendacium dicendum, ſuaſque manus ad thuris ſuffitu falſum Numen colendum, cùm poſſet non applicare.

Cujus ea eſt ratio, quia hujuſcemodi actus tametſi non ſint juxta inclinationem voluntatis exiſtentis extra tales, vel tales circumſtantias, extra quas eſſe optaret; tamen ſunt juxta illius inclinationem ſuppoſitis ejuſmodi circumſtantiis; ergo iſtis ſtantibus circumſtantiis erunt ſimpliciter voluntarii. Sic V. G. Mercator optaret, non eſſe inter ſævientes procellas, quibus metu naufragii inducitur ad merces abjiciendas; tamen ſuppoſitis procellis vult potiùs merces projicere, ne ipſe naufragium patiatur.

Qua ex re habes, quòd actus ex ejuſmodi metu facti ſunt ſimpliciter voluntarii, ſolumque ſecundùm quid involuntarii. Et licèt ſint mixti ex voluntario, & involuntario; tamen magis obtinent de voluntario, cùm ſint ſimpliciter in operantis poteſtate: Idcircò ſi mali ſint, vituperium merentur, & pœnam. Hinc dixit Ariſt. & cum eo D. Th. quòd Homo debet potiùs mortem ſubire quàm turpiſſima perpetrare. Solùm ergo facit metus ille, quòd non adeo grande vituperium debeatur, nec adeo gravis pœna. Videatur Javellus

Eatenus autem qui ex gravi metu interdum quædam non obſervat præcepta, puta audiendi ſacrum, feſtum ſanctificandi, aut ſimilia, ſi immineat periculum mortis, &c. non peccat, non quia actus illi non ſint ſimpliciter voluntarii; ſed quatenus in tali circumſtantia talia præcepta non urgent, modò quis ad talia non obſervanda non compelleretur in Fidei contemptum. Ratio itaque eſt, quia talia præcepta, ceu affirmativa, non obligant ſemper, & ad ſemper. Et mens legiſlatoris etiam Divini fuit non obligare cum tanto incommodo: Ob idque *non fuerunt rei violati Sabbati Machabæi illa die ſe defendentes* 1. Machabæorum 2. 4. Sola enim præcepta negativa obligant ſemper, & ad ſemper. Per quod ſolvitur objectio.

6. Objicies contra hoc aſſertum. Matrimonium contractum ex metu cadente in conſtantem Virum eſt nullum, ſicut etiam votum ſolemne ex tali metu emiſſum, ſaltem (ut expendit Azorius p.a. lib. 10. c.15. q.6.) ſi timor ſit incuſſus ex fine talis voti, &c. eſt nullum *cap. veniens de ſponſalibus c.a. de eo, qui duxit in matrimonium*. Imò ſecundùm Henriquez lib.a. c.9. etiam ſignum quando fiunt ex timore reverentiali conjuncto cum minis; ergo ſignum eſt, tales actus eſſe involuntarios.

Reſp. diſt. ant. ſunt nulla ſuapte natura, ſeu lege naturæ, nego, ex lege humana Eccleſiaſtica, concedo ant. & nego conſeq.

Hoc admonitus ſis, quòd tripliciter aliquis ex actibus illis poteſt fieri nullus. Primò per hoc, quod per vim applicetur ad actum V. G. in matrimonio contrahendo, ſi dum Conjuges ſunt coram Parocho, impellat quis caput Puellæ ad ſignificandum, quòd ipſa annuit. Et hoc modo eſt nullum ex rei natura. Alio modo per hoc, quod expreſsè annuant ex metu, cum intentione tamen non contrahendi, & ligandi, ſed duntaxat fingendo. Et hoc etiam modo actus eſt nullus ex lege naturæ. Tertio modo ita, quòd intendat, ſe ligare. Et hoc tertio modo quidem actus eſt nullus, non tamen ex lege naturæ, ſed ex lege Eccleſiaſtica. Cùm namque (ut inquit Guerinois) matrimonium, & votum ſolemne fidelium ſint contractus quidam (eſt enim matrimonium contractus inter virum, & uxorem; votum verò ſolemne contractus inter perſonam voventem, & Eccleſiam) pendent proprio in valore à legibus Eccleſiaſticæ Reipublicæ, & à conditionibus ab ea præſcriptis. Hac etiam ratione matrimonium clandeſtinum eſt nullum, non ex jure naturæ, ſed ex jure Eccleſiæ, quæ in Tridentino reddidit inhabiles contrahentes clandeſtinè.

Et quidem meritò conditiones iſtas appoſuit Eccleſia in hiſce duobus. Cùm etenim ſint actus quidam, qui perpetuum, & indiſſolubile vinculum inducunt, conveniens fuit, ut plenum, perfectumque voluntarium requireret pia Mater Eccleſia. De quo videri etiam poteſt Sanchez lib. 3. de matrim. diſp.3. & 5.

Ea ex re habes, reliquos contractus tametſi ex parte gravi metu factos eſſe validos, ceu ſimpliciter voluntarios, licèt illiciti ſint præſertim ex parte incutientis. Imò & matrimonium erit validum ſi timor ſit juſtè incuſſus. Azzorius p. a. lib. 10. cap. 15. q.6.

Electio quoque canonica ex tali metu eſt nulla ex vi legis Eccleſiaſticæ, & meritò, Tum quia electio ut talis omnimodam dicit libertatem. Tum quia ſecùs non foret canonica, ideſt regulata.

Quædam alia apud Theologos p.a.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Concupiſcentia non reddit aliquid involuntarium. Imò eſtò ſecundùm aliquam rationem minuat, & faciat minùs voluntarium; tamen ſecundùm aliam rationem auget, & facit magis voluntarium.

7. SIc S. Th. p.a. q.6. art.7.

Antequam probetur concluſio hoc te admonitum velim quòd concupiſcentia eſtò ab Aug. in lib. de perfectione juſtitiæ cap.6. vocetur *deſiderium peccati*, & ab Apoſt. Rom.7. *peccatum, & lex peccati*, non propterea ſine noſtro conſenſu eſt peccatum, ſed ſic nuncupatur, quia ex peccato, nimirum ex originali reatu orta eſt & ad peccatum ſtimulat. De quò fusè dicam, Deo dante in Tract. de Gratia.

Concupiſcentia itaque eſt paſſio quædam appetitus ſenſitivi, proſequentis bonum ſenſibile, & delectabile.

Et quamvis tum in bono, tum in malo dici queat, tamen ex uſu loquendi, ſi abſolutè nominetur, nonniſi in malo ſumi conſuevit.

Concupiſcentiam autem dicimus, & libidinem, & luxuriam. Quamvis namque prophanos apud Scriptores Luxuria abundantiam ſignificet cujuſvis rei; propterea & Poeta dixit *luxuriam ſegetum tenera depaſcit in herba*, & Aug. *lib. 3. de Civit. Dei cap.21. Aſiaticam luxuriam*, hoc eſt luxum, *omni hoſte pejorem irrepſiſſe* affirmat: Apud ſacros tamen veneream intemperantiam oſtendit, cujus fons, & origo eſt concupiſcentia, licèt etiam ad alia non venerea concupiſcentia ſe extendat, ſicut & libido,

libido, quæ proinde poteſt dici concupiſcentia cauſaliter. Libido autem idem ſonat, ac concupiſcentia, & dicitur libido à libendo, ſicut concupiſcentia à concupiſcendo.

Præterea eſtò concupiſcentia ſit paſſio diſtincta ab amore, & delectatione, ut habet S. Th. p. 2. q. 30. art. 2. Tamen impræſentiarum nomine concupiſcentiæ intelligimus etiam amorem, delectationem, deſiderium, gaudium, ac ſimilia; quæ omnia ſunt paſſiones proſequentes bonum ſenſibile, & delectabile. Quibus prænotatis

8. Prob. Illud eſt voluntarium, quod eſt ſecundùm inclinationem, & cum finis cognitione; ſed quod fit ex concupiſcentia eſt ſecundùm inclinationem facientis, & cum finis cognitione: ergo eſt ſimpliciter voluntarium. Prob. min. Et 1. quò ad p. p. Deſiderium eſt inclinatio; ſed concupiſcentia eſt deſiderium: ergo &c. 2. Quò ad 2. Siquidem ſupponimus quòd deliberatè fiat, & non ſit motus primò primus, adeoque fiat cum cognitione finis. Item ſupponimus, quòd concupiſcentia non ſit adeo excedens, ut cognitionem adimat; Si namque tanta ſit, tollit voluntarium, ut contingit in his, qui ex concupiſcentia fiunt amentes, de quibus S. Th. loco relato. Sed tamen cùm non ſubitò fiant amentes, fuit res voluntaria priuſquam in amentiam laberentur, imò etiam poſtquam amentes facti ſunt, poteſt dici voluntaria in cauſa, prævideri ſi potuit, & debuit.

Dixi autem, quòd ſecundùm unam rationem auget, id eſt ſecundùm inclinationem. Etenim duo ab involuntario importantur. Unum eſt inclinatio ex parte voluntatis, quam concupiſcentia adauget. Aliud eſt cognitio ex parte intellectus, quam minuit concupiſcentia, intellectum quodammodo obfuſcans.

9. Nullum adverſus concluſionem iſtam militat alicujus ponderis argumentum. Hoc duntaxat, quòd, ut in Præloquio num. 2. ſcripſi, non eſt idem voluntarium, & liberum; ut etiam experimur, dum nobis impræmeditatè ſupervenit amicus, nobis de ejus adventu ſincerè gaudentibus, tunc namque præſentia ejus eſt nobis voluntaria, cùm de ea lætemur, eamque dignoſcamus; & tamen non eſt ex electione noſtra, & libertate, cùm nos non putaremus, licèt optaremus, eum accedere; imò tametſi eum accedere putabamus, interdum non elegimus eum venire, cùm interdum motu proprio non invitatus accedat. Eam ob rem poteſt concupiſcentia augere voluntarium augendo inclinationem ex parte voluntatis, tametſi non augeat libertatem.

10. Objectionem verò quandam facerem ipſe ſic. Ira voluntarium perimit, & involuntarium cauſat: ergo multò magis concupiſcentia. Ant. eſt Ariſtotelis, qui 3. Ethic. cap. 2. probat, electionem non eſſe iram, quia quæ fiunt ex ira, ceu quæ fiunt ex furore, fiunt repentè. Quæ autem fiunt repentè non fiunt cum cognitione finis, cùm ſubitaneè fiant. Conſeq. prob. Quia (ut idem inquit Stagyrita 2. Ethic. cap. 7.) Difficilius eſt, pugnare contra concupiſcentiam; quàm contra iram: ergo ſi &c.

Reſp. primitùs nego ant. Etiam namque in ira blaſphemantes puniri conſueverunt ab Inquiſitoribus (licèt minùs ſeverè) niſi conſtet, eſſe motum primò primum; quod dignoſci ex eo poſſet, quòd quis poſt prolatam blaſphemiam, diſplicentiæ ſignum aliquod daret intra brevia moræ ſpatium, quantùm ſufficeret, ut adverteret, ſe blaſphemaſſe. Et Ira minuit quidem culpam, at non in totum à culpa excuſat. Sanè qui in ira Hominem perimaret plecteretur ut homicida. Ad prob. dicatur, Ariſt. loqui de motibus primò primis, vel ſi de non primò primis, ſumit ly *repentè*, non abſolutè, ſed comparativè ad ea, quæ ex concupiſcentia fiunt. Concupiſcentia ſiquidem non eſt adeo velox ſicut ira, quæ eſt accenſio Sanguinis, & Spirituum. Quamobrem, inquit idem Philoſophus ibi, contingit, incontinentem conſtitutum in concupiſcentia conſiderare quid agendum, & quid non, licèt tandem à recto rationis judicio cadat: Idcircò non eſt ita repentina, & velox ſicut ira, quæ videtur quaſi prævenire deliberationem rationis.

Præterea permiſſo ant. nego conſeq. Ad prob. Reſp. cum Javelio, eſſe laborioſius contra concupiſcentiam decertare, non quia ſit vehementior, & potentior paſſio, ſed quia ſæpiùs occurrunt concupiſcentiæ, quàm iræ occaſiones; eò quòd concupiſcentia verſatur circa guſtum, & tactum, & continuo utimur guſtu, & tactu. Ita autem ad tempus, & non ita frequenter accedit, & recedit. Si tamen conſideretur Ira pro illa hora, qua nos commovet, laborioſius pugnare eſt propter rationem nuper dictam.

§. IV.

QUARTA CONCLUSIO.

Ignorantia antecedens cauſat involuntarium contrariè ſimpliciter; Ignorantia verò concomitans cauſat involuntarium ſolùm privativè, licèt ſimpliciter tale; Et Ignorantia conſequens cauſat involuntarium privativè tantùm ſecundùm quid.

11. NOto 1. quòd, ut docet S. Antoninus parte 2. tit. 4. cap. 3. §. 1. Conrad. p. 2. q. 6. art. 8. § *adverte* & ibi Martinez dub. 2. ad 4. cum Alvarez diſp. 156. num. 9. Involuntarium eſt duplex. Unum contrariè, & eſt illud, quod eſt contrarium alicui voluntarietati formaliter, vel virtualiter exiſtenti in operante, vel ſaltem non ſupponit in operante ullam voluntarietatem actu, vel formaliter, vel virtualiter exiſtentem, cui ſit conformis. Quæ voluntarietas colligitur ex complacentia, quæ habetur adveniente ſcientia de actu, vel quam habuiſſet ſi ſciviſſet; poteſt namque eſſe, quòd aliquid nunc diſpliceat, quod priùs placuiſſet; vel ſaltem reflectendo ſupra ſe, V. G. qui perimit hoſtem putans, ſe perimere feram, cognoſcit, quòd repreſſiſſet inclinationem illam, quam habuiſſet ad occidendum hoſtem: ex quo poteſt provenire, quòd modò ipſi diſpliceat, aut ſaltem ſi modò id faciendi occaſio præſentaretur, compeſceret ejuſcemodi inclinationem.

Aliud eſt privativè, ſeu negativè tale, quod nimirum eſt conforme alicui voluntati formaliter, vel virtualiter exiſtenti in operante.

Præterea utrumque adhuc ſubdividitur. Aliud enim eſt ſimpliciter tale, & ſecundùm quid non tale. Aliud ſecundùm quid tale, & ſimpliciter non tale.

12. Noto 2. ex D. Th. p. 2. q. 19. art. 6. in corp. & q. 76. art. 3. & 4. ac alibi ſæpè, præcipuè verò eadem p. 2. q. 6. art. 8. in corp. quòd ignorantia (miſſis aliis diviſionibus, quæ ad hanc rem non faciunt, puta in ignorantiam juris, & ignorantiam facti, &c.) eſt triplex, nimirum concomitans, conſequens, & antecedens, ſive invincibilis, quæ à nonnullis compellatur probabilis, ſive inculpabilis.

Quæ haud luculentiùs pandi queunt, quàm Angelici exſcribendo verba. Sic enim inquit. *Ignorantia tripliciter ſe habet ad actum voluntatis. Uno modò concomitanter, & alio modo conſequenter, tertio modo antecedenter.*

Concomitanter quidem quando ignorantia eſt de eo, quod agitur; tamen etſi ſciretur nihilominùs ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat, ſed accidit, ſimul eſſe aliquid factum, & ignoratum: ſicut ſi quis vellet quidem occidere hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere Cervum; & talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philoſophus dicit 3. Ethic. cap. 1. tex. 3. quia non cauſat aliquid, quod ſit repugnans voluntati, ſed facit involuntarium quatenus nequit eſſe volitum, quod ignoratum eſt.

Et hoc cohæret cum eo, quod dicere Caſuiſtæ conſueverunt, duplicem diſtinguentes dolum in contractibus. Unum, qui dat cauſam contractui. Quem dolum ſi emptor noviſſet, non emiſſet. Et iſte reddit irritum contractum. Alium dolum, qui incidit in contractum. Quem dolum emptor tametſi noviſſet, adhuc rem emiſſet, ſeu præſumitur, quòd emiſſet, quatenus non grave habuiſſet motivum non emendi (& complurimùm quis non præſumitur velle propter leve motivum à contractu recedere, tametſi interdum etiam leve propter motivum recedere quemquam contingat) quia nimirum eundem ſortitur effectum. Et iſte dolus non irritat contractum; licèt aliàs ſit in emptoris poteſtate illum reſcindere re integra cum in cognitionem venerit. Et hoc venit quoties Mercator vendit unam rem pro alia. Et ſolet illuſtrari exemplo Pharmocopolæ, &c. Bonac. d. 3. tit. 2. de contract. q. 2. §. 1. Mynſingerius in Scholiis lib. 2. inſtit. tit. 6. de actionibus, Reginaldus tom. 2. pag. 408. num. 339. Diana p. p. tract. 8. de contractibus, & cambiis reſol. 39. Gomez tom. 2. cap. 2. n. 21. Salas de emptione n. 15.

Conſequenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem inquantum ipſa ignorantia eſt voluntaria. Et hoc contingit dupliciter ſecundùm duos modos voluntarii ſuprapoſitos. Uno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, ſicut cum quis vult ignorare vel ut excuſationem habeat peccati, vel ne retrahatur à peccato, ſecundùm illud Job. ac ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Et hæc dicitur* Ignorantia affectata. *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis poteſt, & debet, ſive tenetur ſcire, quod ignorat ignorantia proveniente vel ex habitu, vel ex paſſione, vel ex negligentia. Et dicitur ignorantia malæ affectionis. &c.* ab aliis verò dicitur *ignorantia craſſa, ſeu ſupina*. Et hæc dicitur Ignorantia conſequens, quia non Ignorantia in hoc caſu eſt cauſa, quòd voluntas prorumpat in actum illum malum, ſed potiùs voluntas per alium actum malum fuit cauſa iſtius ignorantiæ, quatenus noluit ſcire. Et ſic ignorantia eſt potiùs effectus conſequens ad actum voluntatis, quàm è contra.

Antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria, id eſt non eſt volita; & tamen eſt cauſa volendi quod aliàs non vellet. Sicut cùm aliquis Homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam ſcire non tenebatur; & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret, puta cùm aliquis diligentia adhibita neſciens, aliquem tranſire per viam projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem &c. Et hæc ignorantia dicitur antecedens, quia cùm per nullum actum voluntatis ſit volita, nulliuſque actus voluntatis ſit effectus, omnem antecedit actum, eſtque cauſa quòd voluntas faciat illum actum, qui aliàs eſt malus, & peccatum, quem aliàs non faceret, ſi ſciret. Et hæc ſolet alio nomine compellari ignorantia *invincibilis*, vel ab aliis probabilis, ſive inculpabilis.

13. Hic tamen monendum puto, quòd nonnulli hallucinantur, putantes, Ignorantiam invincibilem dici duntaxat illam, quæ eſt alicujus rei, quam quis ſcire non tenebatur. Et ipſe non paucos etiam non rudes audivi dicentes, quòd ſemper peccat, qui ex ignorantia facit malum rei, quam ſcire tenebatur; quia ſi non ſciebat, tenebatur ſcire. In hoc, inquam hallucinantur, quoniam imò ignorantia invincibilis, ſive inculpabilis dicitur ignorantia rei, quam ſcire quis tenebatur. Ratio eſt, quia ignorantia invincibilis, ſeu probabilis, ſive inculpabilis habet excuſare. Nemo autem indiget excuſatione in eo, quod ſcire non tenebatur.

Ignorantia itaque invincibilis, ſeu probabilis, ſive inculpabilis, dicitur ignorantia, quidem rei, quam ſcire quis tenebatur (ut habes ex præallatis D. Th. verbis de ignorantia antecedenti) ſed ideo ignorat, vel quia non fuit excitatus ad veſtigandum, videlicet nihil de ea ſe in mentem venit; vel quia non habuit media, puta libros, vel ſapientes, quos conſuleret; vel demum quia, (ut cum D. Th. diximus) adhibita diligentia ſufficienti, quæ adhiberetur in negotio arduo, tametſi non omni poſſibili adhibita diligentia (cùm non teneamur ad omne poſſibile, ſecùs etiam ad conſilia teneremur implenda) adhuc ignoratur.

Sed iterum animadvertendum, quòd etiam Ignorantia concomitans poteſt eſſe invincibilis; Idcircò ignorantia concomitanti, ſi invincibilis ſit, excuſatur quidem actus, ſed non excuſatur, imò verò accuſatur ille qui elicit actum, non quidem ratione illius ignorantiæ, ſed ratione illius animi, ſeu promptitudinis, quam habebat ad eliciendum actum tametſi non ignoraſſet. Ob idque qui perimeret Clericum, quem hoc modo ignorantia concomitanti invincibili ignorabat, eſſe Clericum, quemque tamen interemiſſet tametſi Clericum eum eſſe noviſſet, non foret excomunicatus, quia excomunicatio incurritur ratione operis, & non ratione mali animi, ſecùs qui habet animum inferendi Clerico necem, foret excomunicatus, tametſi effectu non ſecuto. Cùm ergo ignorantia concomitans excuſet opus, tametſi non animum, ut dictum eſt. Ideo &c. De quo vide Paſſerinum ſuper ſextum Decretalium Tit. 2. *de Conſtitutionibus* cap. *ut Animarum* q. 2. art. 15. num. 397. Vaſquez part. 2. diſp. 155. cap. 3. Card de Lugo diſp. 8. ſect. 6. num. 72. & conveniunt cæteri dempto Covaruvias in cap. *Alma mater* p. 1. §. 10. n. 55. verſu decimo.

§. VI.

Proponuntur rationes pro hac concluſione.

14. ANtequam probetur, adverto, quòd cauſa hic ſumitur impropriè, prout idem perinde eſt, ac occaſio removens, nimirum removens voluntarium, aut ſcientiam. Siquidem Ignorantia, cùm ad differentiam erroris, aut opinionis ſit mera privatio ſcientiæ, ſive notionis, nequit eſſe cauſa poſitiva, cùm privatio non ſit quid poſitivum. His ſuppoſitis

15. Quò ad p.p. concluſio, quæ eſt D. Th. p.2. quæſt.6. art.8. & q 76. art.3. & 4. eamque docent expoſitores ejuſdem ibidem, ac S. Antoninus p. 1. tit.4. cap 3. §. 5. Prob. Illud eſt ſimpliciter involuntarium, taliter quòd nec ſecundùm quid ſit voluntarium, quod ſecundùm nullam rationem eſt voluntarium; ſed quod procedit ex ignorantia antecedenti, ſecundùm nullam rationem eſt voluntarium: ergo ignorantia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter. Prob. min Quod procedit ab eo, quod omnem voluntatis actum antecedit, ſecundùm nullam rationem eſt voluntarium; ſed ignorantia antecedens præcedit omnem voluntatis actum, ut patet per dicta n. 12. ergo &c.

16. Prob. modò quò ad 2. p. quæ docetur communiter cum D. Th. loco relato, ut Cajet Conr. Medina, Martinez dub 2. concl. 1. Alvarez, Serra, Vaſquez, Monteſino, Zumel, Cutiel, &c. Illud dicitur cauſa alicujus, quo poſito ponitur, & ablato tollitur illud; ſed ſic eſt, quòd etiam ſublata ignorantia concomitanti, non tolleretur ille actus conformis voluntati, quia tametſi ſciret, adhùc faceret, ut vidimus num. 12. ergo ignorantia concomitans non cauſat involuntarium contrariè, ſed duntaxat privativè, quatenus non eſt cognitum, non verò quatenus ſit contra voluntatem.

17. Prob. quò ad 3. p. quæ docetur ab eodem D. Th. loco relato q. 6. & etiam q. 76. citata art. 4. & cæteris. Illa ignorantia cauſat involuntarium, quæ eſt involuntaria; ſed ignorantia conſequens non eſt involuntaria: ergo nullatenus cauſat involuntarium etiam privativè, niſi ſecundùm quid, quatenus poteſt ſaltem in foro exteriori aliquam afferre ignorantiæ excuſationem. Min. ſupponitur ex dictis antegreſſo §. num. 12. Maj. prob Nemo dat, quod non habet: ergo &c. De hoc iterum §. ſequenti 7. ad 2. arg.

§. VII.

Solvuntur argumenta, quæ militant contra hanc ult. Concl.

18. ARg. 1. contra p. hujus concl. p. Illud eſt ſimpliciter voluntarium, quod eſt ſimpliciter volitum; ſed actus factus ex ignorantia antecedenti eſt ſimpliciter volitus: ergo ignorantia antecedens cauſat voluntarium ſimpliciter, & non involuntarium. Prob. min. Qui ignorans invincibiliter, eſſe jejunii diem, comedit carnes, vult ſimpliciter carnis comeſtionem: ergo &c.

Reſp. diſt. min. & eſt ſimpliciter volitus ut prohibitus, nego, ſecùs, concedo min. & nego conſeq. Ille namque quamquam ſimpliciter velit comeſtionem; non tamen vult ſimpliciter illam ut prohibitam. Super quod cadit ignorantia antecedens.

Dices: ergo ſaltem ſecundùm quid erit volitus, adeoque ſaltem ſecundùm quid voluntarius; quia ſaltem ſecundum aliquam rationem eſt volitus.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. Secundùm aliquam rationem earum, ſuper quas cadit ignorantia, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Secundùm enim eam rationem, ſecundùm quam non eſt prohibitus, tunc actus eſt voluntarius, non modò ſecundùm quid, verùm etiam ſimpliciter. Nos autem loquimur ſecundùm eam rationem, ſecundùm quàm non eſt cognitus, cùm loquamur de eo, quod eſt cauſatum ex ignorantia antecedenti.

19. Arg. 2. contra 3. p invertendo ratiocinium noſtrum. Nemo dat, quòd non habet; ſed ignorantia illa conſequens nihil de involuntario habet: ergo nequit cauſare involuntarium etiam ſecundùm quid hoc modo.

Reſpondeo, quod propter hanc objectionem, quam ipſe excogitavi, ſi loquamur de ignorantia conſequenti affecta-

ta,

ta, præcipuè ex contemptu, nullo modo etiam privativè cauſat involuntarium, nec etiam ſecundùm quid. Si verò loquamur de ignorantia conſequenti craſſa poteſt involuntarium privativè ſecundùm quid cauſare; quia cùm talis ignorantia ſit ex mera negligentia, poteſt eſſe, quòd ſit non volita ſaltem inefficaciter, licèt non ſit non volita efficaciter, quatenus permittit ſtudii tædio ſe vinci.

20. Arg. 3. Nil volitum, quin præcognitum; ſed quod ſit ex ignorantia, quæcunque ſit illa, etiam conſequenti, non eſt cognitum: ergo nequit eſſe volitum: ergo nequit eſſe voluntarium, ſicque involuntarium erit.

Reſp. diſt. maj. nihil volitum, quin præcognitum ab eo, qui vult, aliquid ſibi eſſe incognitum, ſive ignotum, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Si quidem, qui vult, aliquid ſibi eſſe incognitum, ut liberiùs peccet, ut licentiùs vivat, ut excuſationem habeat, &c. vult illud objectum malum ſecundùm ſe, & ut incognitum illud vult.

21. Complura alia de Ignorantia, Deo dante, dicemus in tract. de legibus in quæſtione de Ignorantia legis. Interim videri poteſt Paſſerinus ſuper ſextum Decretalium Tit. 2. de Conſtitutionibus cap. *ut animarum* q. 2. per totam.

QUÆSTIO TERTIA

De Actibus Voluntatis.

VT quid ſit voluntarium luculentiùs deprehendas, proindeque promptior poſtea moralitatis notio fiat, operæ pretium eſt de multiplici voluntatis actu nonnulla conſcribere.

Percenſentur voluntatis actus.

VOluntatis actus (miſſo imperio, quod eſſe intellectus, & non voluntatis actum propugnant Noſtrates præſertim in materia de Prædeſtinatione, tutando, quòd Prædeſtinatio ſit intellectus, & non voluntatis, actus; ſicut etiam omiſſo Conſilio, ceu & iſto intellectus actu) ſex percenſentur, nimirum ſimplex volitio, intentio, conſenſus, electio, uſus, & fruitio, de quibus S. Th. p. 2. q. 8. adusque 16. quæſt.

Simplex volitio nuncupatur actus attingens finem ſecundùm ſe ſimplici quodam modo, hoc eſt, non in ordine ad conſecutionem, nec in ordine ad media & conſuevit etiam vocitari *voluntas*, quemadmodum primorum principiorum cognitio ſolet *intellectus* dici.

Intentionem dicimus actum illum, qui attingit objectum relatè ad conſecutionem. Et licèt etiam ſimplex volitio queat intentionis nomine inſigniri, quoniam intendere etymologicè idem perinde ſonat *ac in aliud tendere*, ut facit voluntas, quæ omni ſui in actione tendit ad aliquid extra ſe, in hoc diſſimilis intellectui, qui objectum ad ſe trahit (& hac ratione probatur, intentionem eſſe voluntatis actum) tamen propter vocabulorum inopiam, diverſo iſto donantur nomine; non ſecùs, ac de illa qualitatis ſpecie, quæ diſpoſitio dictitatur, ſcripſimus in Logica agendo de Qualitate. Actum iſtum realiter diſtingui à ſimplici volitione ea eorum innoteſcit ſeparabilitate cùm ſtet abſque intentione ſimplex volitio, ut cùm voluntas quicquam amat non deliberando de eo conſequendo.

Conſenſus quoque quamquam cuicunque proſecutivo actui voluntatis communis ſit; tamen hic pro eo ſumitur actu quo voluntas tendit media, quibus finem conſequi conſtituit.

Electio verò (quam eſſe voluntatis actum dubitaverit nemo, cùm eligere ſit libertatis actus, quo unum præ alio acceptatur, & libertas ſit voluntatis proprietas) eſt actus, quo voluntas tendit in medium, diverſimodè tamen ac conſenſus: electio namque poſtquam plura conſenſus approbavit media ut apta, unum iſtorum præ aliis ut aptius eligit.

Qua ex re habes, quòd quotiès plura ſunt media, conſenſus & electio ſunt actus realiter diſtincti, cùm tunc conſenſus ſit electione prior, & quidem interdum prioritate temporis, & *in quo*; ſecùs verò quando unum duntaxat eſt medium.

Uſum appellamus actum, quo Voluntas cæteras movet potentias, & ad operandum applicat. Uſum realiter ab electione ſecerni annuunt univerſi contra Salem, & Vaſquez; Tum quia ad diverſum ſpectant ordinem, nimirum electio ad ordinem intentivum, uſus verò ad ordinem executivum. Tum quia nequit unus, atque idem actus eſſe magis, & minùs difficilis; major autem plerumque difficultas obviat in actuali uſu, quàm in electione.

Quid fruitio ſit, & in quo ſita ſit, haud adeo certum extat. Ob idque pro hujus notione ſit.

ARTICULUS UNICUS.

Quid ſit Fruitio.

§. I.

1. FRuitionis nomenclaturam derivari à fructu ne dubita; eò quòd, inquit Gonet, quemadmodum fructus eſt id, quod ultimò ex arbore colligimus, & quadam cum delectatione guſtamus, ita fruitio eſt, id quod poſtremò aliqua in ſe expectamus.

2. Antequam autem cum Exteris dimicare adoriamur, conciliandi Noſtrates ſunt.

Itaque Soto in 4. ſent. diſt. 49. q. 2. art. 4. de Beatorum fruitione loquens, ſentire videtur, quod fruitio ſit ipſamet objecti beatifici conſecutio, adeoque quòd ſit intellectus, & non voluntatis actus.

Aſt credere ne detrectes, eum voluiſſe, quòd ſit intellectus actus, non formaliter, ſed duntaxat conſequenter, quatenus ad beatifici objecti conſecutionem, & poſſeſſionem, quæ eſt intellectus actus, conſequitur alius voluntatis actus, qui fruitio eſt modo prædeclarato q. 1. art. 1. §. 3. n. 9. ad 1. inſt. contra reſponſum datum ad 1. arg.

Cæterùm quòd voluntatis actus ſit fruitio annuunt cuncti cum D. Th. p. 2. tum q. 1. art. 3. ubi *fruitio*, inquit, *eſt quies amantis in fine amato* tum q. 8. in ejuſdem quæſtionis Prolepſi, ubi tres percenſet actus à voluntate elicitos, qui circa finem verſantur, nimirum velle, frui, & intendere, Tum q. 2. art. 1. ubi *manifeſtum*, concludit, *eſt*, *quòd fruitio eſt actus appetitivæ potentiæ*. Et favet S. Aug. qui 10. de Trinit. cap. 10. *fruimur*, inquit, *rebus cognitis, in quibus voluntas delectata conquieſcit*.

Favet quoque ratio, Tum quia amor de re abſenti reliquos infert voluntatis actus, nimirum conſenſum, electionem, &c. ergo pariter amor de re præſenti inferet aliquam aliam voluntatis actionem, videlicet fruitionem, ſeu gaudium, ſive delectationem. Tum quia falſum eſt, quòd conſecutio ſit ipſa fruitio, ſed ad conſecutionem fruitio conſequitur, cum eatenus quis re aliqua fruatur, quatenus eam poſſidet, adeoque priùs ſit conſequi, ac poſſidere, quàm frui.

Nec quicquam officit, quòd Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ cap 3. dicat, quòd *frui aliud non ſit, quàm præſtò habere quod diligit*.

Non, inquam. Intelligendus ſiquidem venit conſequenter, quatenus frui conſequitur ad præſtò habere, adeoque eſt conſequenter præſtò habere.

Neque iterum obeſt, quòd ſenſitiva fruitio conveniat, non tantùm appetitui ſenſitivo, verum & cunctis ſenſibus.

Non, inquam. Etenim ex hoc duntaxat ſequitur, fruitionem eſſe actum utriuſque potentiæ. Præterea diſcrimen eſt ex dictis 3. de Anima q 5 quæ ultima eſt, in Præloquio; quia quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt unita in ſuperioribus, & quæ per plura ſunt in inferioribus, per pauciora ſunt in ſuperioribus: ſecùs ſequeretur, quòd quemadmodum in parte ſenſitiva duo extant appetitus ſenſitivi, nimirùm concupiſcibilis, & iraſcibilis, ita duo rationales forent appetitus admittendi, nimirum duæ voluntates: & quemadmodum plures admittuntur potentiæ cognoſcitivæ cognitione ſenſitiva; ſic etiam plures forent admittendæ cognoſcitivæ potentiæ cognitione intellectiva, nimirum plures intellectus poſſibiles in uno; eodemque Homine.

3. Thomiſtæ univerſi, ſaltem quos dubium iſtud tractantes, legi, ut Cajet. Capreolus, & Gonet p. 2. arbitrantur fruitionem formaliter in delectatione ſitam eſſe, ſeu gaudio, ad amorem conſequente.

At Scotiſta cum Scoto in 1. ſent. diſt. 1. q. 3. profitetur quòd delectatio non ſit fruitio, ſed quòd fruitio ſit ipſemet amor, ad quem ſequitur delectatio ut proprietas quædam. Imò quòd delectatio ſit paſſio, non verò actio, & quòd delectari eſt pati, at non agere.

§. II.

CONCLUSIO.

Fruitio non eſt amor, ſed eſt delectatio ex amore, & præſentia rei amatæ cauſata.

4. Didicimus veritatem iſtam à D. Auguſt. tum lib 83. q 30. obi *frui*, loquit, *dicimur eare, de qua capimus voluptatem*. Voluptas autem idem perinde eſt, ac delectatio. Tum 10. de Trinit. cap. 10. ubi *fruimur*, ſcribit, *rebus cognitis in quibus voluntas delectata conquieſcit*. Sic quoque ſcribit S. Th. p. 2. q 4. art 3. ubi *fruitio*, inquit, *eſt quies amantis in fine amato*.

5. Prob. 1. Stat amor ſine fruitione: ergo amor non eſt fruitio. Conſeq. eſt exacta. Si namque amor foret fruitio non ſtaret ſine fruitione amor; quemadmodum quia Homo eſt animal rationale, non ſtat ſine animali rationali Homo, nec è contra. Ant. quoque eſt conſpicuum. Etenim & ego priuſquam argumentarer, argumentari amabam, nec tamen argumentari fruebar. Eapropter Cajet. p. 2. q. 2. art. 1. interdum quis muſicam amat, tametſi actu muſica minimè fruatur.

Ad hoc ſi Scotiſta ipſe forem, reſponderem, quòd fruitio eſt quidem amor, haud tamen quicunque amor, ſed amor duntaxat de bono præſenti. Quamobrem quemadmodum licèt Homo ſit animal, quia tamen non eſt quodcunque animal, arguere minimè valet: *ſtat animal ſine Homine, ergo Homo non eſt animal*. Sed

Contra 1. Amor boni præſentis non eſt alius ab amore boni abſentis, nimirum à deſiderio; ſed primus non eſt fruitio: ergo neque ſecundus. Prob. maj. Amor boni præſentis eſt amor de præſentia boni; ſed etiam amor boni abſentis eſt amor de præſentia objecti: ergo &c. Quæconque namque ſunt eadem uni Tertio &c. Prob. min. Qui amat bonum abſens, deſiderat bonum abſens; ſed deſiderare, ſive amare bonum abſens eſt amare præſentiam illius boni abſentis: ergo &c. Prob. min. ſic amando, & deſiderando bonum illud abſens, deſiderat, & amat eſſe, ſive fieri illud ſibi præſens, & concupiſcit habere præſens, ac poſſidere, quod ſibi abſens eſt; ergo &c. De quo iterum §. ſequenti 3. n. 7. ad 1. arg. ubi etiam conſpiciemus, quòd idcircò non extat de objecto præſenti amor in rigore.

Secundò. Ideo tametſi Homo ſit animal, poteſt ſtare animal ſine Homine, ac eſſe genus, quia Homo non dicit præcisè eſſe animal, verùm & quid plùs, nimirum rationale; ſed per Scotiſtam fruitio nihil aliud dicit, quàm eſſe amorem: ergo non poſſet amor latiùs ſe habere, quàm fruitio, nec poſſet amor ſe habere ut genus, adeoque nec ſtare ſine fruitione amor poſſet.

Nec dicere juverit, quòd aliquid plùs fruitio dicit, nimirum præſentiam objecti, cum ſit boni præſentis amor.

Non, inquam. Siquidem objecti præſentia cen amori extrinſeca, nequit ſe habere, ut ejuſdem amoris differentia. Quòd ſi per ordinem ad objectum præſens dicas; habere differentiam; aſſignes quæſò quænam ſit differentia iſta. Quo nomine donetur; ſicut objecti abſentis cognitio vocitatur abſtractiva, & objecti præſentis cognitio compellatur intuitiva. Quòd ſi dixeris, uti dicere Scotiſta tenetur, quòd vocatur fruitio; jam perridiculum eſt, quoniam dicit Scotiſta, quòd fruitio eſt rei præſentis amor, conſtans ex genere illo, & differentia, nimirum ex amore, & præſentia: non ſecùs, ac perridiculum foret dicere; quòd differentia animalis ſit Homo; Talis namque differentia eſt rationalitas, cùm Homo ſit tota ſpecies.

Quare autem non diſtinguatur ſpecie amor boni præſentis, & amor boni abſentis, quemadmodum ſpecie diſtinguitur cognitio rei abſentis, & cognitio rei præſentis. Dicetur §. ſequenti ad 1. arg. quia nimirum etiam amor boni abſentis. Fertur ad objecti præſentiam.

6. Prob. 2. Fruitio eſt ultimus voluntatis actus; ſed ultimus voluntatis actus eſt delectatio: ergo fruitio eſt delectatio. Maj. liquet ex dictis §. 1. num. 1. Min quoque eſt perſpicua, quia poſt delectationem nil aliud ſupereſt, quod aliud exercetur.

Dices, utique poſt delectationem nil aliud ſupereſſe, at negabis ſuppoſitum, quòd delectatio ſit actus, cum per Scotiſtam mera paſſio ſit. Sed

Contra ex dictis q. 2. §. 2. Implicat in via Scoti, quòd perfectiſſimum exercitium ſit paſſivum, ſive paſſio; ſed delectatio eſt perfectiſſimum voluntatis exercitium: ergo. Maj. innoteſcit. Perfectius ſiquidem eſt agere, quàm pati. Min. prob Ultimum voluntatis exercitium eſt perfectiſſimum exercitium ejus; ſed delectatio eſt ultimum voluntatis exercitium: ergo &c. Maj. ex dictis num. prægreſſo eniteſcit. Maj. prob. Siquidem (ut q. 2. art. 1. §. 2. conſpeximus) per Scotum in 4 ſent. diſt 49. q. 3. quæ ſunt poſteriora generatione ſunt perfectiora, quia ad iſta ordinantur cætera. Quod ter redintegrat Scotus perveſtigando ibi *num actus voluntatis præſtet perfectione actui intellectus*.

Confirmo 1. ex ibidem dictis. Si amitteretur beatitudo, actus, qui primò amitteretur (ſtando in linea volitiva) foret delectatio; ſed, ut ibidem conſpeximus, natura in amittendo adoritur à perfectioribus: ergo delectatio eſt perfectius voluntatis exercitium.

Secundò. Quemadmodum deſiderium dicit tendentiam, & veluti motum affectivum, ſive inclinationem illam, ſic delectatio ultimam dicit terminationem, ultimamque in bono ſiſtentiam; ſed id, quod importatur à deſiderio pro inclinatione illa, & tendentia, non eſt paſſio: ergo nec ultima terminatio, & ſiſtentia in bono præſenti importata à delectatione erit paſſio aliqua, benè verò actio.

Ea ex ea habes, quòd cùm dicitur, quòd *delectatio eſt quies*, ſumitur ly *quies*, non propriè pro privatione motus, ſed aliquo pro poſitivo, nimirum pro ſiſtentia ultima, quæ ſanè quid poſitivum eſt; nimirum poſitiva complacentia, & ſiſtentia.

§. III.

Oppugnantium argumenta ſolvuntur.

7. ARg. 1. Amor boni præſentis eſt fruitio: ergo fruitio eſt amor Prob. ant. Quemadmodum fruitio eſt de bono præſenti, ſic deſiderium eſt de bono abſenti; ſed boni abſentis amor eſt deſiderium, ſeu volitio, ſive intentio: ergo pariter &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. data maj. nego ſuppoſitum min. juxta dicta antegreſſo §. ſub n. 5. Supponit namque quòd alius ſit amor boni abſentis, & alius amor boni præſentis. Quod falſitate laborare habes ex ibidem dictis. Vel diſt. min. & aliàs idem eſt amor boni abſentis, & boni præſentis, ideſt uniti, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Redintegrentur ibi dicta ſub finem illius numeri. Qui namque amat bonum abſens, amat ejus præſentiam, hoc eſt deſiderat eſſe præſens.

Contra. Amor boni abſentis eſt amor deſiderii; ſed amor boni præſentis non eſt deſiderium: ergo non eſt idem amor. Prob. min. Tum quia qui poſſidet bonum, non amplius deſiderat illud. Tum quia deſiderium eſt motus quidam, qui ceſſat acquiſito termino.

Reſp. quòd vel loquimur de amore amicitiæ, vel de amore concupiſcentiæ. Si de amicitiæ amore loquimur, dico quòd perſeverat deſiderium, non quidem illius præſentiæ, quam jam obtinet (circa quam ceſſat & deſiderium) & qui-

& quilibet illius amor, ſolumque ad ſummum extat amor ſuæ fruitionis (ſive deſiderium continuationis ſuæ fruitionis) ſed circa bona, quæ deſiderat objecto amato. In hoc ſiquidem ſecernitur amicitiæ amor à concupiſcentiæ amore, quòd amicitiæ amor eſt de bono, quod alteri volumus, nimirum ipſi amico; concupiſcentiæ verò amor eſt propter bonum ſibi, nimirum ipſimet amanti. Et tunc negandum eſt, quòd non perſeveret deſiderium. Quandoquidem deſiderantur majora bona ipſi objecto poſſeſſo: quemadmodum Beatus optat Deo majorem gloriam apud univerſas creaturas. Vel loquimur de amore concupiſcentiæ. Et tunc dico, non remanere objecti amorem, qui imò nuſquam fuit; ſed remanere amorem ſuæmet fruitionis ipſius amantis, hoc eſt deſiderare continuationem ſuæ fruitionis pro tempore ſubſequenti, circa quod, ceu adhuc abſens, poteſt deſiderium verſari.

Cohærenter ad quam doctrinam negandum iterum venit ſuppoſitum, nimirum, quòd obtento objecto perſeveret amor de objecto præſenti ut præſenti. Tunc enim nec deſiderium, nec ullus amor perdurat, ſed duntaxat delectatio, quæ eſt fruitio præcedenti ex amore cauſata.

Dices. Amor ille per nos jam abiit: ergo nequit tum cauſare fruitionem illam, quæ alius eſt voluntatis actus.

Reſp. quòd abiit formaliter, ſed perſeverat virtualiter in voluntate à ſe priùs diſpoſita, & inclinata; non ſecùs, ac præmiſſarum aſſenſus, qui, ceu de genere tranſeuntis, eſtò formaliter abierit, cauſat concluſionis aſſenſum, qui eſt poſterior actus.

Dici præterea poteſt, quòd perſeverat virtualiter in ipſo uſu, quem §.1. diximus, eſſe alium voluntatis actum, quo voluntas alias applicat potentias ad conſecutionem.

Nec duntaxat circa media conſecutiva, verùm & circa detentiva objecti media verſatur uſus, hoc eſt applicat etiam potentiam ad tenendum objectum, quod conſecuta jam eſt. Eam ob rem Canticorum ſponſa *tenui*, aiebat, *nec dimittam*, hoc eſt apprehendi eum, nec dimittam.

Oppugnabis. Voluntas amat objectum præſens, ſecùs Beatus in Patria Deum minimè amaret, cùm tamen Thomiſta obteſtetur quòd neceſſario eum amore diligat: ergo perſeverat amor, adeoque verum eſt ſuppoſitum.

Reſp. nego ant. loquendo de amore concupiſcentiæ, Ad prob. diſt. minimè amaret amore concupiſcentiæ, concedo, amicitiæ, nego. De amore namque concupiſcentiæ non remanet, niſi fruitio, vel continuandæ fruitionis deſiderium, ſeu amor: & Beatus neceſſario fruitur, hoc eſt neceſſario elicit fruitionis actum. Amat autem amore amicitiæ, & hic amor eſt deſiderium, quo nimirum deſiderat, Deum magis, ac magis à creaturis clarificari in infinitum majori gloria infinita, adhuc deſiderando majorem, ſi poſſibilis major foret, præſentem. Vel dicas, quòd qui præſenti objecto fruitur, dicitur illud amare eminenter, at non formaliter, quoniam fruitio, ceu ultimum amoris completivum eſt eminenter amor.

8. Arg. 2. ex Scoto. Fruitio eſt actus voluntatis, ſed delectatio, ſive gaudium non eſt actio, benè verò paſſio: ergo fruitio non eſt delectatio. Prob. min. Triſtitia contrariatur delectationi, ſeu, quod idem eſt, gaudio; ſed triſtitia eſt paſſio, non verò actio: ergo &c. Oppoſitorum namque eadem eſt ratio, & diſciplina. Prob. min. Si triſtari foret actio, in noſtra foret poteſtate; ſed triſtari non eſt in noſtra poteſtate: ergo &c.

Conf. S. Th. p.2. q.31. art.1. ad 1. dicit, quòd propoſitio iſta, *delectatio eſt operatio*, non eſt per eſſentiam, ſed per cauſam.

Reſp. ad arg. nego min. Ad prob. nego cum Gonet min. cujus ad prob. nego iterum min. loquendo de triſtari; & delectari, quando prævia fiunt ex advertentia, & quando delectari non ſit circa ſummum bonum, vel triſtari non eſſet circa ſummum malum, ſi per impoſſibile exſtaret, juxta dicta q.2. art.2. §.2. Si autem fierent ſine prævia advertentia, aut circa ſummum bonum, vel ſummum bonum, non ſunt in noſtra poteſtate, ſed ſunt neceſſarii; quemadmodum nec ille amor, aut odium illud in noſtra eſt poteſtate, benè verò neceſſarium, ut ſcripſimus q.2. art.2. §.2.

Ad Conf. cum Ferrarienſi 3. contra Gentes cap. 90. relato à Gonet Reſp. D. Th. velle, quòd delectatio non ſit operatio aſſecutiva objecti delectabilis. Cæterùm S. Th. ibidem art.2. ad 1. docet, quòd delectatio eſt quidam actus vitalis, ſicut ſentire, intelligere, & velle. Et Ariſt. in 3. de Anima tex. 29. *delectari*, inquit, *eſt operari ad bonum*.

9. Arg. 3. Delectare eſt agere, propriumque eſt boni delectantis amantem; delectari verò eſt paſſivum, propriumque eſt amantis, qui ab objecto amato delectatione afficitur: ergo delectatio eſt paſſio, non verò actio, ſive fruitionis actus.

Reſp. verum id eſſe grammaticaliter loquendo, at non philoſophicè loquendo. Delectari ſiquidem Philoſophicè ſumitur pro ſibi complacere de aliquo; & delectatio ex parte amantis ſumitur pro ipſa complacentia de aliquo. Objectum autem dicitur delectare, non formaliter, ſed objectivè, quatenus objectum eſt id, de quo delectatur amans, ſeu id, in quo ſibi complacet amans.

10. Alia fieri objectio poſſet, nimirum quòd delectatio eſt quies in bono, & quies eſt mera motus privatio; nequit autem mera in privatione conſiſtere fruitio, quæ eſt adeo perfecta operatio.

Verùm hanc ad objectionem habes ex dictis antegreſſo §.2. in fine. Lege ibi.

QUÆSTIO QUARTA

De Ethiſi, hoc eſt, moralitate humanorum actuum.

Dictum jam fuit, quòd *Ethiſis* idem ſonat, ac moralitas, hoc eſt quid ad mores pertinens, & *Ethis* idem, ac mos ſignificat; ac proinde *Ethica* dicitur ſcientia, ſive Philoſophia moralis. De moralitate itaque humanorum actuum quæſtio præſens inſtituitur.

Dictum quoque fuit, actum humanum, ad differentiam actus Hominis, illum eſſe, qui deliberatè ab Homine elicitur; quia (ut ſcribit S. Th. p.2. q.1. art.1.) actionum, quæ ab Homine eliciuntur, illæ duntaxat dicuntur propriè humanæ, quæ ſunt propriæ Hominis inquantum Homo, qui ab irrationalibus ſecernitur creaturis per hoc, quod ſuorum eſt actuum dominus. Eam ob rem illæ tantummodo actiones vocantur propriè humanæ, quarum Homo eſt dominus. Eſt autem ſuarum actionum dominus per rationem, & volitionem; idcircò liberum arbitrium dicitur *facultas volitionis*, & *rationis*.

Præfata moralitas realiter à phyſica diſtinguitur entitate, eique advenit, cùm ſeparabilis realiter ab ea ſit. De quo vide Salmant. p.2. tract.11. diſp.1. q.18. dub. 2. & 3. Jo: à S. Th. ibi q.18. diſp.8.

ARTI-

Google

ARTICULUS PRIMUS.

Num humanorum actuum moralitas in libertate ſita ſit.

§. I.

1. TRia extant placita. Primum eſt ſingulariter Valentiæ diſp.2.q.13.punct.1.in p.2. ubi aſſeverat, moralitatem conſiſtere in reſpectu ad regulas morum, hoc eſt in ipſa dirigibilitate, ſeu directione à lege, aut ratione naturali, ſive conſcientia, nullatenus concurrente libertate; ac vult, poſſe etiam abſque libertate dari actum humanum moralem.

Secundum eſt Thomiſtarum, ac ferè cunctorum Exterorum, ſententium, quòd moralitas ſita ſit in præfata relatione ad regulas morum; ſed tamen ad eam requiri libertatem ſaltem ut conditionem.

Tertium eſt eorum, qui autumant moralitatem ſitam eſſe eſſentialiter in ipſa libertate. Hoc tribuitur Scoto in 2. ſent. diſt 4. §. *de ſecundo dico*, ubi habet, actum dici moralem, quia liberè elicitum; & quodl. 18. L, & O, ubi habet, actum eſſe imputabilem, eò quòd eſt in poteſtate voluntatis. At Maſtrius in 2. ſent diſp.5.q.1. tum art.1.n.7. tum art.2. n.12. contendit, Scotum fuiſſe in ſecundo præadducto placito.

Hoc verò tertium placitum excipiunt Durandus in 2. ſent. diſt.28. q.1. art.1. Sotus tract 7. diſp.1. ſect.1. & 2. Suarez tract de bonitate, & malitia ſect.2. Ovied. tract 4. controv.1. punct. 1. Averſa q.10. ſect.5. & alii. Amplectuntur quoque alii Nuperi, ſed parùm in ea elongantur à ſecundo placito; quoniam ſe loqui obteſtantur de libertate, non præcisè phyſica, ſed morali, nimirum ut ſubeſt directioni legis, & rationis. Eapropter Arriaga p.2 diſp 14. ſect.5. ab initio dixit, quæſtionem iſtam eſſe de ſola voce. Nihilominùs pro notione

2. Prætereunda minimè venit diſtinctio iſta libertatis in phyſicam (quam nonnulli imperfectam dictitant) & moralem, quæ ab iiſdem imperfecta vocitatur libertas. Cujus diſtinctionis, poſt noſtrum Victoriam, mentionem faciunt Molin. p p. q.14. art. 13. diſp.2. Vaſquez p. 2. diſp 41. in calce, Caveli. de Anima in diſp.3. ſect.14. Zumel tom.2. variatum diſp. ſect.6. dicentes, quòd moralis libertas ea eſt, quæ in operante præſupponit cognitionem boni, vel mali moralis, hoc eſt virtutis, & vitii, honeſtatis, & turpitudinis morum, ratione cujus optimè norunt Homines, diſcernere bonum honeſtum, proindeque eorum actus liberi ſecundùm quòd ad hanc morum accedunt regulam, vel ab ea ſecedunt, dicuntur imputabiles, dignique laude, vel vituperio: Phyſica autem, & naturalis libertas illa dicitur, quæ in operante ſupponit duntaxat commodi naturalis cognitionem, vel incommodi, ratione cujus benè ſtat, quòd quis gaudeat cognitione, qua judicat, aliquid eſſe bonum in ordine ad naturam, & delectationem; & tamen quòd diſcernere neſciat, num ſit conveniens, vel diſconveniens in ordine ad honeſtatem; & propterea ejus actio nequeat ad laudem imputari, vel vituperium, ſaltem in genere moris: quicquid ſit de quadam approbatione, vel non approbatione in genere phyſico, de qua nonnulla dicemus §. ſequenti 3. occaſione, qua ſolvemus argumentum ex amore beatifico in Patria, ad probandum, nullatenus requiri libertatem ad moralem actum.

§. II.

Actus humani moralitas quo ad eſſentiam ſita eſt in relatione ad regulas moris, concurrente libertate ut conditione neceſſariò requiſita.

3. PRobat quò ad p. p. Jo: à S. Th. p.2. in q. de bonitate, & malitia actus interioris voluntatis, & eſt quæſtio 59. diſp.8. n.18. ſic. Ratio moralitatis in actibus pertinet ad hoc, quod eſt eſſe menſurabile, & ordinabile per legem, & Prudentiam, quæ ſunt morum regulæ; ſed menſura in his, quæ humano aguntur modo, & operantur, non eſt libertas, benè verò ratio, & lex, præſertim Divina: ergo humanorum actuum moralitas quò ad eſſentiam ſita eſt in relatione ad regulas moris. Min. videtur nota. Agere namque pro libertate, ſive pro libito eſt agere ſine menſura, & ordine, ut libertini faciunt. Maj. prob. In artefactis artificiale pertinet ad rationem menſurabilis per artem; ergo pariter &c. Prob. ant. tam moralitas, quàm artificium ad menſurationis genus pertinet: ergo &c. Diſplicatur ant. Quemadmodum artefactum dicitur congruè factum magis, vel minùs ſecundùm quod conformatur arti, vel omninò incongruè ſi nullatenus arti conformatur; Ita actus humanus dicitur magis, vel minùs bonus ſecundùm quod conformatur legi, & prudentiæ, nimirum eſt juxta legem, & prudentiam, aut malus ſi eſt difformis legi, & prudentiæ, ideſt contra legem, & prudentiam, aut indifferens ſi eſt præter legem, & prudentiam.

Conſ. Libertas eſt quid requiſitum, ut actus ſit ab ipſa Prudentia dirigibilis, & ratione; ſed actus ut dirigibilis eſt duntaxat materia moralis, non verò ipſa moralitatis forma: ergo &c. Min. ex eo eluceſcit, quòd moralitatis forma debet ſuam ſortiri materiam etiam proximam, nequit autem alia excogitari materia iſta, niſi actus dirigibilis, cùm actus indirigibilis ſit ab omni prorſus moralitate alienus. Maj. prob. Debet aliqua materia excogitari capax directionis faciendæ à ratione; & Prudentia; non ſecùs, ac aſſignatur materia capax directionis faciendæ ab arte, quæ materiam proinde dirigibilem ſupponit, V. G. ars domifactiva ſupponit lapides aptos, &c. Sicut namque ars eſt circa factibilia, ita Prudentia circa agibilia; ſed materia capax directionis faciendæ à Prudentia eſt actus cum libertate: ergo &c. Min. eſt palam. Actus ſiquidem neceſſarius, aut non liber, haud eſt prudentialis directionis capax.

Si dixeris, quòd moralitatis ratio non eſt libertas ſecundùm ſe, ſeu phyſica, & naturalis, ſed ut ſtat ſub regulis illis, ideſt libertas moralis. Si, inquam, id dixeris, habeo intentum. Quandoquidem ratio formalis erunt regulæ illæ, & libertas, ſive actus cum libertate erit materia: non abſimili modo, ac cùm dicitur, quòd paries albus diſgregat viſum ut ſtat ſub albedine, tunc albedo inducitur ut ratio formalis diſgregandi viſum: adeoque actus ut liber erit moralis ſolummodo aptitudinaliter proximè, at non formaliter.

4. Ratio alia communiter affertur, nimirum quòd invariata libertate variatur moralitas, ut de Carnium comeſtione ante mediam noctem inchoata, & poſt mediam noctem accedentis diei Veneris continuata perſpicuum eſt. Ita tamen ratio non videtur Joanni à S. Th. convincens. Nihilominùs eam perſequitur Maſtrius.

Aliæ quoque ratiocinationes legi apud Salm. poſſunt.

5. Quo ad 2. p. nimirum quod libertas non ſit omnino explodenda, ſed requiratur ſaltem ut conditio, nitet ex nuper dictis, quia nimirum actus non liber non eſt capax directionis legis, & prudentiæ. Quandoquidem regula moralis modum ipſi regulato imponit, determinando illud ad ſic, vel ſic agendum. Quod autem liber non eſt, non eſt ſic determinabile. Siquidem ut ſit determinabile requiritur, quòd indifferens ſit, ſecùs erit determinatum, at non determinabile. Quod autem liber non eſt, indifferens non eſt.

Nec reſpondere juverit, quòd regula moralis ſic determinat, quando regulatum non eſt determinatum ad ipſammet regulam. Poteſt autem dari actus determinatus ad ipſammet regulam, ut eſt beatificus amor.

Non, inquam. Etenim beatificus amor licèt ſit ad ipſammet regulam determinatus, non tamen modo morali, ſed modo naturali. Nec enim majori modo agentia determinantur naturalia ſuos ad actus, præſertim intellectus in Patria ad Deum videndum, quam voluntas ad Deum ibi amandum, ſemel ſuppoſito, quòd admittatur, amorem beatificum eſſe actum neceſſarium, & non liberum.

6. Adde, quòd actus moralis debet eſſe imputabilis ad gloriam, vel vituperium, meritorius præmii, vel pœnæ, ut rectè, & fusè probat Vaſquez diſp 55. c 3. & 4. Nequit autem ſic ſe habere, niſi liber ſit. Ob idque beatificus amor eſt bonus, bonitate, non morali, ſed naturali duntaxat. Moraliter verò, dici poteſt bonus negativè, quatenus non eſt malus.

§. III.

Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.

7. ARg. 1. contra p. p. probando, ipſam libertatem eſſe ipſammet moralitatem formaliter. Omnis actus liber eſt moralis, & è contra omnis actus moralis eſt liber: ergo unum, atque idem ſunt libertas, & moralitas.

Reſp.

Reſp. nego ant. Oppoſitum namque perſpicuum eſt in Pueris, & amentibus, quorum actus ſunt liberi, nec tamen morales ſunt.

Neque dicere juverit, eſſe liberos libertate duntaxat phyſica, non morali. Non, inquam. Siquidem, ut conſpeximus num. 3. in fine, in iſta moralitate ratio formalis moralitatis ſunt regulæ morum. Et licèt hoc ſit difficultatem redigere ad quæſtionem de nomine; tamen in hoc redarguendus adverſarius venit, cùm tandem ipſe ut ad rationem formalem ad regulas confugiat morum, ſicque nonniſi in voce nobis adverſetur.

Præterea dato ant. nego conſeq quæ non tenet, eſtque potiùs inconſequentia, quemadmodum nec teneret iſta *omnis ignis ſufficienter approximatus comburit, & omnis ignis, qui actu comburit eſt ſufficienter approximatus: ergo approximatio, & combuſtio idem ſunt*: cum approximatio ſit mera ad cremandum conditio. Et ratio eſt, quia ad hoc, ut non ſtet unum ſine alio, ſat eſt, eſſe connexa, tametſi non ſint idem.

Contra. Actus liber eo ipſo, quod liber eſt, & cum ſola libertate, nullo alio ſuperaddito, eſt formaliter moralis: ergo in ipſa libertate ſita eſt formaliter moralitas. Prob. ant. à pari, & ab oppoſito. Actus naturalis eoipſo, quòd naturalis, & non liber eſt, abſque alio eſt non moralis: ergo ab oppoſito &c Prob conſeq. Tum quia quemadmodum affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis. Tum quia oppoſitorum eadem eſt ratio, & diſciplina.

Reſp. nego ant. Ad prob. dato ant. nego conſeq quæ non valet, ſicut nec valeret iſta: *Ignis non ſufficienter approximatus abſque aliis nequit comburere: ergo ignis ſufficienter approximatus poteſt abſque aliis, nimirum abſque calore ſuperadditis, & actione calefactiva candefacere*. Eapropter ſicut ex hoc non ſequitur, quòd approximatio ſit ratio formalis calefaciendi, ſed duntaxat conditio, ita nec ſequitur, quòd libertas ſit formalis ratio moralitatis, ſed conditio duntaxat. Et ratio ſuffragatur. Quemadmodum namque duo requiruntur ad candefaciendum, nimirum conditio, & ratio formalis candefaciendi, & conditione deficiente non habetur combuſtio, & approximatio eſt conditio requiſita; ita duo ad moralitatem requiruntur, nimirum & libertas, & regula morum; & libertas licèt ſit ſolummodo conditio, tamen eſt neceſſariò requiſita, adeoque ea deficiente deficit moralitas, tametſi libertas non ſit ratio formalis moralitatis.

Ad Conſequentiæ probationes Reſp. antecedentia eſſe vera quando affirmatio, & negatio, atque oppoſitio cadant ſupra idem, eodemque modo, ſecùs verò ſi diverſo modo, vel ſupra diverſa, ut in caſu noſtro, in quo non ambæ cadunt ſupra rationem formalem, ſed una, nimirum affirmatio, cadit ſupra rationem formalem, & altera, nimirum negatio ſupra conditionem, licèt de conſequenti poſtea, & per accidens, non verò per ſe, & formaliter cadat à fortiori etiam ſupra rationem formalem. Id illuſtrandum eſt ignis exemplo.

8. Arg. 2. Moralitas dicitur à more, qui idem eſt, ac conſuetudo; ſed hoc ipſo, quod actus ſit liber, per repetitionem gignit conſuetudinem: ergo ſolam per libertatem actus ſit moralis. Min. eſt patens, quia conſuetudo inducitur per actuum frequentiam.

Reſp. primitèr, quòd ſecundùm D. Th p. 2 q. 58. art. 1. hoc nomen *mos* plura ſortitur ſignificata. Præterea nego min. loquendo de conſuetudine formali. Ad prob. diſt. ant. per frequentiam actuum moralium ideſt regulatorum, concedo, ſecùs, ſubdiſtinguo: conſuetudo formalis, nego, materialis, prout idem eſt, ac inclinatio quædam, concedo. Hæc namque vel Belvis ipſis competit, juxta illud Machabæorum 2. *Leonum more impetu irruentes*.

Argumenta alia lege apud Theologos morales ſoluta part. 2.

9. Arg. 3. contra 2. p concl. Amor beatificus eſt actus moralis; ſed iſte non eſt liber, præſertim Thomiſticis inſiſtendo veſtigiis: ergo ut actus ſit moralis non requiritur libertas. Prob. maj. Amor beatificus eſt actus bonus: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. dictum jam eſt num. 6. amorem beatificum eſſe actum bonum. Bonitate duntaxat naturali, ideſt phyſica, pro quadam rectitudine naturali, ut inquit S. Th. p. 2. q. 18. art. 9. At non bonitate morali. Dicere ni volueris, quòd amor beatificus eſt liber in cauſa, ut feſtinè dicemus ad ſequens arg. 4. De hoc arg. videre poteris Salm. ſed & fuſiùs Laurentium à S. Thereſia in ſuo Spicilegio p. 2. controverſia 2. quæ eſt de voluntario à §. 3. & 4.

10. Arg. 4. Contra eandem 2. p. Actio exterior poteſt incipere eſſe mala moraliter, quando non poteſt revocari, nec impediri: ergo malitia moralis non requirit libertatem, adeoque &c. Prob. ant. tum de peccato commiſſionis. Siquidem homicidium alicui intentatum per venenum ſequitur quando non ampliùs eſt in voluntatis poteſtate illud impedire. Tum de peccato omiſſionis. Hoc namque duntaxat incipit, quando urget præceptum, non antea, quia nec poſt, nec antea tenetur, poteſt autem præceptum urgere quando dormit.

Reſp. primitùs, quòd juxta opinionem illorum, qui ſentiunt, non peccare tunc quando illud evenit homicidium, aut illa omiſſio, ſed tantummodo quando liberè cauſam appoſuit, argumentum nihil urget.

Præterea juxta aliam, quæ eſt Thomiſtarum, dato ant. diſt. conſequens, non requirit libertatem formalem, concedo, virtualem continuatam virtualiter in affectione prioris actus apponentis cauſam, niſi fuerit retractatus, vel quatenus eſt effectus cauſæ, quæ fuit actu in poteſtate voluntatis, licèt non ſit in voluntatis poteſtate, nego ant. & conſeq. Et quòd peccet etiam dum evenit homicidium, ex eo conſtat, quod ſi venenum ſit propinatum Clerico, propinans non ſit excommunicatus, niſi morte ſecuta. Item quòd peccet in illa omiſſione manifeſtatur. Nam etiam ad Sacramenti formationem requiritur intentio, cùm requiratur actio humana, proindeque voluntaria; & tamen Sacerdos tametſi actu mente diſtractus ſit dum Sacramentum conficit, dummodo antecedenter propoſitum conſecrandi habuerit (quod habere dubitat nemo dum Sacerdotalibus ſe induit, pergitque ad Altare) quemadmodum & hujuſmodi propoſitum, intentionemque ſatisfaciendi præcepto recitandi officium habere intelligitur quando quis Breviarium ſumit, vel dum ad Chorum pergit, ut inquit Soto, quoniam ad hoc Sacerdotalibus ſe induit, & ad hunc finem pergit ad Altare, ut Sacramentum conficiat; quemadmodum & ad hunc finem Breviarium accipit, vel Chorum petit, ut divini præcepti officium impleat. Quo etiam pacto opera cuncta ordinabilia in Deum elicita ab eo, qui eſt in gratia ad Deum ordinata per primum actum non retractatum ſunt moralia, & moraliter bona, tametſi inadvertenter facta, & dummodo propoſitum illud non fuerit retractatum: ergo etiam ad peccandum ſufficiet libertas virtualis contracta per actum illum, quo liberè cauſam appoſuit, dummodo operans non retracter talem actum, ac de eo conteratur; vel niſi per accidens homicida ille obierit ante læſi obitum; quia in hoc caſu homicida pro illo tunc non amplius eſt in ſtatu peccandi, ceu vel in Purgatorio, vel in Inferno.

Sed pro uberiori moralitatis notione.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num moralitas ſit intrinſeca actui interno, Et in quo ſita ſit.

§. I.

1. DIxi *interno*, quoniam exploratum cunctis eſt, actus externos, ceu illos, qui non immediatè à voluntate exercentur, ſed ab aliis potentiis ut à voluntate imperatis, non eſſe morales, niſi extrinſecam per denominationem habitam à moralitate actuum internorum. Tota itaque lis agitur de actibus internis immediatè ab ipſa voluntate elicitis. Circa quos

2. Tres militant Opiniones. Prima vult, actus moralitatem ſitam eſſe in mera denominatione extrinſeca, ſive hæc ſumatur à natura rationali, ſive à lege, ſive à libertate. Hanc tuentur Suarez diſp. 1. ſect. 2. Salas ibi, & Vaſquez, qui tamen arbitratur, extrinſecas denominationes non eſſe, niſi ens rationis.

Secunda tenet, conſiſtere in ſola relatione rationis. Huic adhærent præfatus Vaſquez tom 1. in p. 2. diſp. 73. cap 9. & diſp 95. cap. 10. ubi totum moris genus ad entia rationis refert, & Lorca ibi diſp. 26. Sic etiam ſe ſenti-

re, ſicque ſentire Scotiſtas dicit Maſtrius in 2. ſent. cujus tamen opinio coincidit cum prima. Quandoquidem ne concedere adigatur, quòd bonitas, & malitia in actibus virtuoſis, aut peccaminoſis, ſit mera fictio, tandem dicit, quòd moralitas eſtò pro formali ſit ens rationis, tamen ſumpta pro fundamento eſt quid reale, quod reale dicit, eſſe denominationem extrinſecam. Imò ſentire videtur, quòd Controverſia ſit de ſolo fundamento, imò de ſola voce, cùm totum hoc redigatur tandem ad diſcutiendum de moralitate fundamentali, eò quòd univerſi annuunt, reſpectum rationis importari in ipſa moralitate, quæ proinde dici non ſuevit, quòd ſe teneat penes prudentum exiſtimationem. Quòd jam antea & Jo: à S. Th. dixerat p. 2. q. 18. diſp. 8. art. 1. n. 47. in fine ejuſdem numeri.

Tertia opinatur, ſitam eſſe in aliquo reali intrinſeco, quod reale intrinſecum dicit, eſſe relationem realem ad objectum conforme, vel diſforme regulis morum. Sed hujus ſententiæ Patroni diſſident inter ſe. Quandoquidem ſentire nonnemo videtur, quòd ſit relatio prædicamentalis. Quæ opinio ſolet tribui Scoto in 2. ſent. diſp. 17. q 2. quem tamen aliter interpretatur Maſtrius. Alii verò ſolam relationem tranſcendentalem eſſe dicunt. Undè ſecundùm iſtos conſiſtit plerumque in aliquo poſitivo reali intrinſeco. Nihilominùs Araujo, qui tenet, malitiam peccati etiam commiſſionis conſiſtere in mera privatione rectitudinis (de quo legi poſſunt Scriptores in tract. de vitiis, & peccatis) tenetur dicere, moralitatem interdum eſſe reale intrinſecum privativum. Etiam namque privationes ſunt realiter in rebus, ut palam eſt de lucis privatione. Dixi interdum, quoniam bonitatem moralem, nec ipſe nec alius tenet, in privatione conſiſtere. Idcircò id non dicit omni de moralitate. Imò moralitatem aliquam in ſola ſitam eſſe privatione Thomiſtarum inficiatur nemo, cùm peccati omiſſionis malitiam in mera privatione ſitam eſſe annuant Univerſi. Idcircò dixi *plerumque*. Hoc tamen commune apud eos eſt, nullam actus interni voluntatis moralitatem ſitam eſſe vel in pura denominatione extrinſeca, vel in puro aliquo rationis, ſaltem loquendo de moralitate fundamentali, modo nuper cum Jo: à S. Th. & Maſtrio prædeclarato.

§. II.

CONCLUSIO.

Moralitas actus interni voluntatis ſita eſt non in aliquo puro rationis, nec mera in extrinſeca denominatione: ſed in aliquo intrinſeco reali, ipſi actui realiter ſuperaddito, nempe ordine tranſcendentali, importando pro formali etiam relationem rationis.

3. ANtequam probetur concluſio recole doctrinam nuper ex Jo: à S. Th. traditam propter motiva, quæ dicam in fine hujus §. Qua præmiſſa.

Prob. 1. quòd ſita non ſit in aliquo rationis. Si moralitas foret ſita præcisè in aliquo rationis, jam ſequeretur, quòd bonitas, & malitia moralis ſita foret in aliquo rationis; ſed hoc eſt contra bonos mores aſſeverare: ergo moralitas non eſt ſita in aliquo rationis. Prob. min. Ens rationis non habet eſſe niſi ex fictione intellectus; ſed contra bonos mores eſt dicere, quòd bonitas, & malitia moralis non habeant eſſe, niſi per intellectus fictionem: ergo &c. Prob. min. Contra bonos mores eſt dicere, quòd Cain fratricida non fuerit malus, niſi ex fictione intellectus, & quòd homicidium formale (ad differentiam homicidii materialis; quod eſt malum duntaxat phyſicè) ſit malum duntaxat ex intellectus fictione. Item quòd Judas Iſcariotes fuerit malus duntaxat ex fictione intellectus. Etiam namque nullo conſiderante intellectu perditiſſimi iſti viri erant peſſimi quò ad mores.

Ad quod reſpondere haud juverit, quòd ſine ratione nequit ulla haberi moralitas, adeoque nulla conſiderante ratione non forent mali moraliter, niſi fundamentaliter.

Non, inquam. Hoc namque & nos concedimus: ſed peto, cùm iſtud rationis nequeat eſſe merè chimæricum, ſecùs dicere Judam malum, foret chimæra, quodnam ſit hujus fundamentum. Quod minimè Adverſarius aſſignat. Si autem dicat quiſpiam, eſſe libertatem; Jam refutatum id fuit antegreſſo art. ubi conſpeximus, quòd libertas eſt duntaxat conditio. Si verò dixerit, tale fundamentum eſſe denominationem extrinſecam; Id ſeſtinè refellemus probando ſecundam p. Undè.

4. Prob. quò ad 2. ſimul, & 3. p. Actus in eſſe moris ſortitur intrinſecum ordinem ad objectum, conſideratum, non in eſſe naturæ, benè verò ut morum ſubjiat regulis; ergo ejus moralitas non eſt ſita in mera denominatione extrinſeca, nec in aliquo abſoluto, benè verò in aliquo relativo intrinſeco. Ant. prob. ex Jo: à S. Th. ubi ſupra n. 24. aduſque 29. Eatenus actus dicit in eſſe naturæ intrinſecum ordinem, ſive intrinſecam tendentiam ad objectum in eſſe naturæ, quatenus attingit illud in eſſe naturæ, ſive ſecundùm appetibilitatem naturalem; ſed etiam attingit illud ſecundùm quòd morum regulis ſubſtat, ſecùs non poſſet eſſe meritorius, aut demeritorius, quia non tenderet in objectum ſecundùm quod eſt conforme, vel diſforme regulis morum: ergo &c.

Dices, quòd etiam in objecto moralitas eſt denominatio extrinſeca; at verò appetibilitas naturalis ipſius objecti eſt denominatio intrinſeca: Idcircò diſpar eſt ratio. Sed

Contra. Quandoquidem (ut benè idem à S. Th.) etiam dato, quòd ſit denominatio extrinſeca; tamen actus intrinſecum obtinet ordinem ad extrinſecam illam denominationem: ergo iſto ſemper gaudet intrinſeco ordine. Prob. ant. Attingit extrinſecam illam denominationem, ſive moralitatem illam, ſitam, juxta adverſarios iſtos, in denominatione extrinſeca; ergo &c. Ant. jam probatum eſt, quia ſecùs non poſſet eſſe meritorius, nec demeritorius, id-eſt nec bonus, nec malus. Conſeq. prob. Ideo intrinſeco potitur ordine, intrinſecaque tendentia ad objectum in eſſe naturæ conſideratum, quia attingit illud in tali eſſe; ſed etiam attingit illud in eſſe morali, quicquid ſit num iſtud morale ſit denominatio extrinſeca (quod fusè exceiantur Salmant. p 2. tract. 11. diſp. 1. dub 6. per totum) ergo &c.

Qua ex re habes, quòd eſtò moralitas objecti extrinſeca foret denominatio formaliter; tamen foret intrinſeca æquivalenter, quatenus, circa illam actus faceret, quod circa illam faceret ſi intrinſeca foret.

Conf. 1. Actus tangit in objecto hoc, quod eſt eſſe conveniens, vel diſconveniens rationi; ergo & hoc reſpicere habet.

Secundò. Saltem in ipſis regulis morum, hoc, quod eſt eſſe morum regulas non eſt denominatio extrinſeca; ſed ad iſtas intrinſecum dicit actus ordinem, & tendentiam, ergo actus in eſſe morali dicit intrinſecum ordinem, intrinſecamque tendentiam. Prob. min. ut ſupra, quoniam illas attingit: ergo &c.

5. Prob. modò, quòd relatio iſta non ſit prædicamentalis. Actus ad objectum dicit relationem ut ad ſui ſpecificativum, adeoque ut ad ſui cauſam; relatio autem prædicamentalis ſuum reſpicit terminum, ut purè terminum, non verò ut cauſam, vel effectum: ergo &c.

Et licèt relatio tranſcendentalis in his, in quibus naturaliter habetur, non diſtinguatur realiter à fundamento; benè tamen in iis, quibus ex voluntatis advenit libertate, ut in ipſo voluntatis actu pro ejuſdem voluntatis libito.

Aliæ hujuſce partis probationes lege apud Salm. p 2 tract. 15. diſp. 5. dub 3. num. 42.

6. Demum quòd moralitas pro formali habeat etiam relationem rationis Prob Tum quia ſi in ſola ſita foret relatione reali, quæ ſit quid phyſicum, jam confunderemus lineam moralem cum linea phyſica; vel iterum ſupereſt excogitare, in quo ſita ſit illius reſpicientiæ moralitas, cum in ſe quid phyſicum ſit reſpicientia illa. Quòd præcipuè urget in ſententia Salmant. obſtantium, quòd relatio illa ſit modus quidam, qui ſit qualitas.

Prætereà ſi moralitas ſita foret in illa reſpicientia phyſica, aut qualitate, ſequeretur, extare aliquod phyſicum infinitum in actu, cùm merita Chriſti, quæ ſunt quid finitum phyſicè, ſint infinita in eſſe moris, hoc eſt valoris infiniti, cujus infinitum valorem in modo quodam ſuperaddito iidem Salmant. ſitum ſcribunt in tract. de Incarn. Item offenſa Dei, quæ eſt infinita in eſſe moris, ideſt gravitatis ſimpliciter infinitæ.

Dicere ni malueris, ſitam eſſe in aliquo purè intentionali reali intentionalitate de linea appetibili, non verò phyſico; De quo intentionali non currit implicantia, quæ de infinito phyſico currit, quia iſtud habet ſpeciem ab aliqua forma creata, quæ reſpectu offenſæ eſt ipſe Deus, & reſpectu meritorum Chriſti eſt ipſa Verbi Perſona.

Et

Et hoc cohærentius videtur iis, quæ in tract. de Incarnatione Deo dante ſcribam.

Poſſe autem extare quid reale intentionale diſtinctum realiter diſtinctione intentionali reali, non verò phyſica ſcripſi lib.2. de Anima q.7. art.3. §.3. num.5. ad 1. arg. Et quòd ibi de linea intentionali in linea intelligibili ſcripſi, poſſet cum proportione aptari pro intentionali reali in linea appetibili.

§. III.

Adverſantium objecta cum ſolutionibus.

7. ARg. 1. Contra p. p. Moralitas nequit poni, niſi habitudo ad objectum à ratione propoſitum ut conforme, vel difforme regulis morum, puta legi, vel rationi, vel naturæ rationali; ſed hæc non eſt habitudo realis, benè verò rationis duntaxat: ergo moralitas in mera relatione rationis eſt ſita. Prob. min. Talis habitudo non eſt inter extrema realia, nec emergit ex natura rei: ergo &c. Prob. ant. Hoc ipſo, quod eſt ad objectum propoſitum à ratione ut conforme, vel difforme, reſultat beneficio intellectus: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego ant. Nam vel (ut inquit Jo: à S. Th.) reſultat ex ipſa actus natura, poſita cognitione, & libertate ut conditione, qua non poſita non reſultat. Vel efficitur ab ipſomet voluntatis actu per quendam actum ſupra ſe virtualiter reflexivum, ut alii dicunt; quia voluntas dum liberè vult, jam virtualiter vult ſuammet volitionem propter illud tale objectum. Ad prob. dicatur, quòd ratio, ſive cognitio ſe habet duntaxat ut conditio, at non ut cauſa, vel ratio formalis.

Contra. Objectum non ex natura rei ſortitur diſconvenientiam cum lege, aut natura rationali, cùm plura interdum ſint ex ſe indifferentia, & alterius per voluntatem vetita: ergo nec actus voluntatis prout ad illud tendens, cum ab eo ſpecificetur, & nemo det, quod non habet.

Conf. 1. Interdum apprehenditur ut difforme, tametſi conforme ſit, aut è contra.

Secundò. V. G. celebrare miſſam in Templo eſt actus bonus ſecundùm, ſe, vel ſaltem non malus; & tamen ſi Eccleſiæ interdictum accedat, idem actus fit malus moraliter, nulla abſque mutatione intrinſeca, & poſitiva ipſius. Idem dic quolibet de actu ex genere ſuo ſive bono, ſive indifferenti, qui ſi lex Principis accedat prohibens legitimè talem actum, incipit eſſe malus moraliter; & tamen nihil poſitivum amittit, aut acquirit actus ille.

Reſp. ad Inſt. primodùm ex jam dictis antegreſſo §.2. permiſſo ant. nego conſeq. vel diſt. conſequens prout ad illud tendens ut in ſe inſpectum, concedo, ut ſubſtat illi denominationi extrinſecæ, nego conſeq.

Dices. Ergo & in actu voluntatis erit vel ſolus reſpectus rationis, vel ſola denominatio extrinſeca. Prob. conſeq. Nemo dat, quod non habet; ſed objectum, quod eſt id, quod ut ſpecificativum dat ſpeciem actui, non habet tunc, niſi reſpectum rationis, vel denominationem extrinſecam: ergo &c.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. data maj. diſt. min. & aliàs tunc actus ſpecificatur ab ipſo objecto in ſe, ſeu tunc objectum actus ut moralis, eſt ipſum objectum, nego, eſt ipſa extrinſeca denominatio, concedo min. & nego conſeq. Tunc enim eſtò objectum in ſe ſit objectum talis actus in eſſe naturæ; tamen illius actus objectum in eſſe moris eſt ipſa objecti extrinſeca denominatio, quæ licèt ſit, extrinſeca objecto, non tamen eſt extrinſeca ſibi, ideſt ipſi extrinſecæ denominationi, cùm nihil ſit extrinſecum ſibimet. Et quia actus intrinſecam tendentiam dicit ad extrinſecam illam denominationem, eò quòd actus voluntatis intrinſecam dicit tendentiam ad omne id, quod attingit, nec attingit aliquid, niſi tendendo ad illud, quod appetit, ut §. 2. probatum eſt: Idcircò dicit intrinſecam tendentiam, ſive reſpicientiam, ſive relationem ad illam, licèt extrinſecam, denominationem, ac per conſequens ſemper moralitas actus ſita eſt in intrinſeca reſpicientia, ſive relatione. Sic Jo: à S. Th.

Dicere ni malueris, quòd denominatio illa eſtò ſit extrinſeca formaliter, eſt tamen intrinſeca æquivalenter; quia voluntas, cùm & in illam tendat, facit circa extrinſecam denominationem illam, quod faceret ſi foret intrinſeca, ut antegreſſo §. 2. dictum eſt.

Quòd ſi poſtea objectum in ſe ſit indifferens, nec ab aliquo vetitum, aut præſcriptum; tunc in ſententia eorum, qui ſentiunt, quòd non tantùm bonitas, & malitia, verùm & indifferentia ſit ſpecies moralitatis (in quo Thomiſtæ ſunt diviſi) ab indifferentia objecti ſumit actus intrinſecam indifferentiam.

Præterea cum Salmant. loquendo de objecto bono, vel malo, & non indifferenti, nego quòd tunc bonitas, vel malitia moralis in objecto ſit mera extrinſeca denominatio, vel rationis relatio. Ad prob dico, quòd quando objectum aliquod de ſe indifferens vel præcipitur, vel prohibetur, tunc bonitas, vel malitia deſumitur, non ab ipſo objecto, quod eſt finis operis, ſed ab alio objecto, quod eſt finis operantis, nimirum à fine, propter quem Legiſlator mandat, vel vetat objectum. Ille autem finis, ſaltem ultimus, eſt aliquid bonum, vel publicum, vel privatum honeſtum, cui proinde quicquid opponitur eſt malum. Pro quo

Hoc admonitus ſis, quòd res quædam ſunt malæ, quia malæ, quia opponuntur vel naturæ rationali, quæ tametſi non ſit regula proxima moralitatis per Thomiſtas, eſt tamen regula remota, ut Salmanticenſibus placet, vel alicui ex Divinis attributis, ut mendacium, quod ſummæ Dei adverſatur veracitati, &c. Et iſta ſunt intrinſecè mala formaliter moraliter per hoc, quod ab intrinſeco exigunt prohiberi, tametſi actu prohibita non forent; quia eſſentia actum, & non aptitudinem dicit, adeoque ſat eſt, eſſe prohibita exigitivè per legem Dei æternam, aut per legem naturalem, ſaltem conditionalem, tametſi, non abſolutam, ut illa doctrina locum habeat, quam fusè tractantur noſtrates in tract. de vitiis, & peccatis, nimirum exactiſſimam eſſe definitionem illam peccati ex Aug. hauſtam quòd ſit *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*, ſumendo per ly *factum* etiam *omiſſum*. Vel ſaltem ſunt intrinſecè mala fundamentaliter, ut Deo dante ſcribam in tract. de legibus q.2. art.2. veſtigando *num actus, quo Deus nobis ſuam intimat legem æternam ſit liber* §.3. proindeque ut fiant mala formaliter moraliter, requiritur lex. Ex quo ſolùm ſequitur, quòd tribuere nequeant actibus voluntatis malitiam moralem, niſi fundamentalem, & quòd ad malitiam, vel bonitatem formalem requiratur vel reſpectus rationis ad legem, vel extrinſeca denominatio; ac per conſequens ſemper ſalvatur, quòd moralitas fundamentaliter inſpecta ſita ſit in aliquo reali intrinſeco, ſive in illa intrinſeca relatione.

Loquendo autem de rebus, quæ licèt malæ, non ſunt malæ quia malæ, ſed quia prohibitæ, dicunt Salm. ut ſupra, quòd, tunc bonitas vel malitia deſumitur, non illo ab objecto, ſed alio ab objecto, nimirum à fine, propter quem ſuperior mandat, vel prohibet objectum illud. Qui finis ultimus eſt ſemper bonum *quia bonum*, & non tantùm *quia præſcriptum*, vel malum *quia malum*, & non tantùm *quia prohibitum*, loquendo de præcepto, vel prohibitione legitima, & juſta.

De his nonnulla, Deo dante, dicam etiam in tract. de legibus, non ſolùm loco citato agendo de Lege æterna, verùm & quæſt. 3. agendo de lege naturali, propugnando contra Exteros, quòd lex naturalis ſita ſit, non in ipſa natura rationali, quatenus ei ſunt conformia, vel difformia objecta, nec in aliqua potentia, aut habitu, nec in actu judicii, ſed in actu imperii, &c.

Ad 1. Conf. Reſp. quòd tunc objectum eſtò non ſit intrinſecè bonum, vel malum in ſe, eſt tamen intrinſecè bonum, vel malum in ſpecie, & medio repræſentante, in quo intrinſecè repræſentatur ſecundùm eſſe intentionale.

Vel dicatur, quòd tunc tametſi non ſit malum, vel bonum realiter intrinſecè formaliter; eſt tamen tale realiter, intrinſecè æquivalenter, quatenus reſpectu voluntatis ſe habet, ac ſi foret intrinſecè realiter tale. Vel, cum Jo: à S. Th. concedo, tunc non eſſe, niſi extrinſecam per denominationem, ſed hoc ſufficere, ut actus dicant intrinſecam reſpicientiam, ſive relationem, ut abundè oſtenſum eſt num.4.

Ad 2. jam ex dictis habes, vel cum Salmant. Tunc bonitatem deſumi, non ab illo objecto, ſed ab alio objecto, nimirum à fine, propter quem ſuperior objectum illud præcipit, aut prohibet.

Vel cum Jo: à S. Th. tunc non adeſſe, niſi denominationem extrinſecam; at hanc optimè ſufficere, ut voluntas dicat intrinſecam realem tendentiam, & reſpicientiam juxta dicta n. 4. Vel demum, tunc eſſe quid intrinſecum realiter æquivalenter, tametſi non formaliter.

8. Arg 2. contra 2. p. adverſus quam militant quoque ea, in antegreſſo arg. ſoluta. Actum eſſe moralem haud aliud eſt, quàm actum liberum eſſe ſubordinatum, vel ſubjectum advertentiæ rationis circa materiam moralem, hoc eſt honeſtum, vel turpe, vel eſſe deliberatum à ratione diſcurrente in materia morali, ut circa legem, &c. ſed hoc in actu voluntatis haud aliud ponit, quàm extrinſecam denominationem ex terminatione actus voluntatis derivatam: ergo moralitas actus voluntatis in extrinſeca duntaxat denominatione ſita eſt. Prob. min. à pari. Moralitas in aliis rebus, nimirum pretiis rerum venalibus, contractibus humanis, dominio, ſervitute, eſſe doctorem, Prætorem, Uxorem, &c. importat duntaxat denominationem extrinſecam, vel relationem rationis: ergo à pari &c. Conſeq. eſt exacta ex omnimoda paritate, inquit Maſtrius. Ant. prob. Uxor eſt ſui viri Uxor, per relationem, non realem, quia ratio fundandi fuit contractus præteritus, inter eos liberè initus, qui nihil reale ponit in viro, & Uxore, ſed per ſoli relationem rationis fundamentaliter inſpectam, cùm ſit Viri ſui Uxor tametſi talem intellectus non concipiat relationem; ſic etiam ſervus eſt Domini ſui ſervus ex eo, quod Dominus vel legitimè eum emerit, vel juſto bello cœperit, quod nihil influit phyſicum in Dominum, aut ſervum; eodem modo Orbis ligneus, qui apponitur vino venali eſt ſignum venditionis vini, non naturale, neque propriè artificiale, benè verò morale ſolam per communem Hominum impoſitionem ad illud ſignificandum, tametſi non ſignificet in actu ſecundo menti Hominum, niſi hæc duo, Orbem nimirum ligneum, & vinum ſimul eſſe in eodem ex veteri conſuetudine.

Atque hoc eſt concipere ſigni relationem fundamentaliter. Ex hoc namque intellectus accipit ſufficiens fundamentum, concipiendi relationem ſigni ad vinum venale, tanquam ſuum ad ſignificatum. Sic pariter in actibus humanis ut cognoſcantur quatenus boni, vel mali, opus non eſt, quòd concipiatur actualiter in eis relatio conſonantiæ, & diſſonantiæ à recta ratione, ſed ſat eſt, ut apprehendatur, hoc fieri debere, quia eſt præceptum, illud verò non eſſe faciendum, quia eſt prohibitum, alioquin Ruſtici, & Idiotæ, qui tales non faciunt comparationes nec tales apprehendunt ordines, nunquam peccarent, aut benè agerent, inquit Maſtrius.

Reſp. primiter, nego min. Ad prob. ex dictis §. 2. n. 4. retorque cum Jo: à S. Th. arg. Tametſi eſſe Prætorem, Conſulem, &c. ſint puræ denominationes extrinſecæ, ſunt tamen appetibiles per intrinſecum voluntatis actum, vel odibiles, ut eſſe ſervum, &c. ergo pariter eſſe bonum, vel malum, tametſi puræ forent denominationes extrinſecæ (quod abnuunt Salm. ubi ſupra dub. 6. de quo aliquid iterum dicam art 4.) erunt quid appetibile, vel odibile per intrinſecum voluntatis actum. Cùm ergo actus, quo voluntas appetit aliquod ſit tendentia in illud, vel converſivè, ſi appetit, vel averſivè ſi non vult, vel odio habet, jam in ipſo voluntatis actu importatur tendentia poſitiva. Tendentia, inquam, non illa tantùm in eſſe naturæ, quia per illam tendit ad objectum in eſſe naturæ, ſed tendentia in eſſe moris; qua tenderet in objectum ſecundùm quòd objectum dicit extrinſecam illam denominationem. Quæ tendentia in eſſe moris eſt ſeparabilis ab illa in eſſe naturæ, ut perſpicuum eſt cùm voluntas aliquod appetit ignorando, illud eſſe malum, vel in illud tendit abſque ſufficienti advertentia; Tunc namque non dicit ad illud tendentiam ſecundùm eſſe morale; & tamen tendit ad illud in eſſe naturæ.

Præterea permiſſo ant. nego conſeq. Siquidem in nullis ex illis importatur tendentia ad aliud; benè verò in actu voluntatis appetentis habetur tendentia, quæ tendentia intrinſeca eſt relatio, & reſpicientia quædam.

Dixi *permiſſo ant.* quia diſtingui poterat. Quandoquidem prælatis in exemplis vel ſit ſermo de eo, quod ad internum pertinet voluntatis actum, quo quis V. G. matrimonium contrahit, quo quis accipit, aut alteri confert prætoriam dignitatem, &c. & tunc dico, quòd illa habetur tendentia, & quidem irrevocabiliter facta, ſi eſt in matrimonio, aut aliis rebus irrevocabilibus; & perſeverat, ſaltem donec non revocetur, imò & irrevocabiliter in irrevocabiliter factis. Idem dic de eſſe ſervum, quando quia ſponte ſe vendidit; Si autem ſit vi factus ſervus, vel eo inſcio, tunc annuo, non haberi, niſi extrinſecam denominationem in ipſo ſervo, licèt ſit quid morale intrinſecum voluntati in ipſo Domino, qui eum pretio comparavit, aut vi, ſicut & in eo, qui vendidit illum: ſed tunc ſumus extra controverſiæ fines, quoniam procedit iſta de moralitate actuum voluntatis, eorumque tendentia.

Vel loquimur de actibus exterioribus, hoc eſt aliarum potentiarum, ſive ab aliis potentiis elicitis, & à voluntate nonniſi imperatis. Et in his jam diximus § 1. n. 1. non adeſſe, niſi extrinſecam denominationem. Illud autem de Orbe ligneo non eſt ad rem.

Qua ex re habes, paritatem eſſe penitùs diſparatam.

Ad id, quod ſubdebatur, nego quòd Rudes non faciant comparationes illas; licèt enim eas non apprehendant ſignatè, ſeu reflexè, apprehendunt tamen eas ſaltem exercitè. Sanè Ruſticus nec relationes rationis, nec extrinſecas novit denominationes.

9. Arg. 3. Si moralitas in aliqua conſiſteret relatione ſuperaddita, ſequeretur, quòd etiam valor infinitus moraliter Chriſti operum præſtitus à Verbi perſona eſſet relatio realiter infinita, ſicque aliquid infinitum reciperetur in opere finito humanitatis Chriſti. Idem dic de infinita peccati gravitate.

10. Reſp. primitùs, quòd nos hic loquimur, non quacunque de moralitate, ſed de moralitate duntaxat actuum voluntatis.

Præterea dicimus, quòd valor ille, ſi fundamentaliter inſpiciatur, eſt relatio quædam, non recepta inhæſivè in humanitate, ſed ei unita terminativè, nimirum ipſa Verbi Perſona. Offenſa autem inſpecta in ratione offenſæ paſſivæ eſt moraliter in Deo ſubjectivè ut quid intentionale, non verò ut quid naturale, vel ſaltem intentativè.

Tandem ex dictis anteacto §. 2. n. 6. Reſp. eſſe quid reale intentionale, de quo nullum militat incommodum eorum, quæ de phyſico militant infinito.

11. Argumentum aliud, concernens modum, quo voluntas fertur ad objectum malum, legi poteſt ſolutum apud Jo: à S. Th. ubi ſupra n. 24. & iterum num. 29.

12. Aliud quoque arg Cajetani, volentis, moralitatem eſſe quid abſolutum, quia eſt quid operativum, ſolvit idem Jo: à S. Th. ubi ſupra n. 79 dicens, inde duntaxat ſequi, non eſſe relationem prædicamentalem, quæ non eſt operativa, at non excludi, quòd ſit relatio tranſcendentalis.

13. Alia quædam argumenta, probantia, eſſe relationem prædicamentalem lege ſoluta apud Salm. ubi ſupra dub. 3. §. 2. & 3.

14. Ex dictis habes, quòd actuum voluntatis moralitas pro fundamentali eſt relatio realis tranſcendentalis, & qualitas quædam, licèt pro formali ſit extrinſeca denominatio, vel relatio rationis.

15. Priuſquam finem huic demus articulo, libet non penitùs prætermittere opinionem, quæ inter cæteros ſolet etiam attribui Scoto in 1. ſent. diſt. 17. q 3. num. 3. & in 2. ſent. diſt. 40. ut fert Guerinois hic, nimirum quòd moralitas in cunctarum circunſtantiarum aggregatione ſita ſit.

Quæ opinio exſoleta modò jam videtur. Et meritò. Tum quia voluntas cunctas illas circunſtantias attingit per ſuum actum: ergo in omnes tendit, adeoque in iſta tendentia ſtabit moralitas. Tum quia moralitas eſt unum per ſe in eſſe moris, cum quælibet moralitas ſit quædam moralitatis ſpecies, & omnis ſpecies ſit unum per ſe; illa autem omnium conditionum, ſive circunſtantiarum aggregatio eſt unum per accidens: ergo in illa non eſt ſita moralitas, licèt ad iſtam requiratur.

Hinc Maſtrius in 2. ſent. diſp. quinta q 4. n. 159. folio 271. ſtudet, Scotum in bonum ſenſum trahere. Circa quod idem poteſt videri Maſtrius ibi.

ARTICULUS TERTIUS.

A quonam proximè, & immediatè habeatur moralitatum ſpecies in Voluntatis actibus.

§. I.

1. Dixi *proximè, & immediatè*; quoniam tota lis eſt de ſpecificativo immediato, & proximo.

Duæ præliantur opiniones, quarum una contendit, immediatum moralitatis ſpecificativum eſſe naturam rationalem, hoc eſt rectam rationem, & legem. Hanc tuentur Scotiſtæ. Secunda ſuſtinet, immediatum ſpecificativum eſſe objectum, non quidem ſecundùm ſe, ſed in eſſe moris conſideratum, ut morum regulis ſubſtat. Hanc propugnant Thomiſtæ.

Maſtrius in 2. ſent. q. 2. art. 1. num. 10. putat, vel ſaltem putare ſe fingit, diſcrepantiam iſtam eſſe duntaxat de voce. Nam, inquit ipſe, cùm illi, qui dicunt, immediatum ſpecificativum eſſe regulas morum, puta naturam rationalem, legem, &c. dicant, eſſe tales regulas, non ſecundùm ſe inſpectas, ſed hoc, vel illud objectum præcipientes, vel prohibentes, &c. Item qui dicunt, immediatum ſpecificativum eſſe objectum, velint, eſſe objectum, non ſecundùm ſe, ſed ut ſubeſt morum regulis inſpectum. Idcircò in voce duntaxat diſcrepare videntur. Quamobrem Maſtrius conciliari eos poſſe cenſet dicendo, eos velle, quòd objectum ſit ratio *qua* proximè ſpecificativa, regulæ verò morum ſint ratio *ſub qua* proximè ſpecificativa, hancque opinionem ipſe amplectitur. De hac re iterum nonnihil habet ibi eadem diſp. 5. q. 4.

2. Aſt diſcrepantiam iſtam non eſſe de nomine, nec morum regulas, nimirum naturam rationalem, aut legem præcipuè æternam, aut naturalem, eſſe rationem formalem *ſub qua* proximè ſpecificativam, ſeſtinè § ſequenti 2. conſpiciemus. Eapropter Noſtrates, dicentes, objectum non eſſe ſpecificativum, niſi ut ſubeſt morum regulis, volunt, morum regulas eſſe quidem ſpecificativum; non tamen proximum, & immediatum, ſed mediatum duntaxat veluti radicale, ac remotum. Quod illuſtrari exemplo poteſt in rebus naturalibus. Quandoquidem potentiæ ſpecificantur immediatè ab actibus, non quidem abſolutè conſideratis, ſed in ordine ad objecta, circa quæ actus verſantur; nec tamen objecta ſunt ratio formalis *ſub qua* immediata, ſed ſunt ſpecificativum duntaxat mediatum potentiarum, quæ ſpecificantur immediatè ab actibus, & mediis iſtis ab objectis, quæ poſtea ſunt ſpecificativum immediatum actuum, & mediis iſtis potentiarum.

3. Præterea Maſtrius proteſtatur, per rationalem naturam ſe non ſumere ipſam naturæ entitatem, cùm iſti unius, ejuſdemque ſpeciei exiſtenti conſonare, vel diſſonare queant moralitates ſpecie diverſæ & inſuper cum ratione ſuæ entitatis non minùs ſit principium entitatis phyſicæ ipſius actus, ac moralitatis ejus; nequit ſpecificare, quod eſt unum ab alio diſtinguere, non ſolùm unam moralitatem ab alia, verùm, & multò magis moralitatem ab ipſo eſſe phyſico (de quo iterum art. ſequenti §. 3. in num. 6.) ſed ſumere rationem naturalem, non quidem abſolutè, & ſecundùm ſe conſideratam, cùm prout ſic poſſint ei eſſe difformes, vel conformes diverſæ moralitatis ſpecies; ſed ut hoc, vel illo, vel alio modo repræſentantem objectum. Sic etiam dicit, eſſe legem ut hoc, vel illud, vel aliud objectum, hoc vel illo, vel alio prohibentem, aut præcipientem.

Tandem ibi q. 4. art. 2. n. 177. contendit, Scotum convenire nobiſcum.

§. II.

CONCLUSIO.

Proximum, ac immediatum ſpecificativum moralitatis actus eſt ſolum objectum, ſecundùm quod objectivè habet eſſe in genere moris, non verò natura rationalis, lex, aut voluntas.

4. Sic edocti à D. Th. ſumus p. 2. q. 18. art. 5. 6. & 8. & ibidem q. 19. art. 1. & 2. & 3. & q. 72. art. 1. & 2. & 7. ſicut & q. 2. de malo art. 6.

5. Prob. 1. Quemadmodum actus in eſſe phyſico inſpectus tendit ad objectum in eſſe phyſico, ita actus inſpectus in eſſe moris tendit ad objectum ut inſpectum in eſſe moris; ſed immediatum ſpecificativum actus in eſſe phyſico eſt objectum in eſſe phyſico: ergo ſimiliter &c.

Si dixeris ex prælaudata Maſtrii doctrina, quòd ſpecificativum actus in eſſe phyſico eſt objectum in eſſe phyſico ut ſtat ſub ſua ratione formali *ſub qua*. Sic etiam objectum in eſſe moris erit immediatum ſpecificativum actus in eſſe moris quatenus objectum ſtat ſub ſua ratione formali *ſub qua*. Ratio autem formalis *ſub qua* objecti in eſſe moris ſunt regulæ morum.

Contra. Siquidem falſum eſt, quòd morum regulæ ſint ratio formalis *ſub qua* objecti in eſſe moris; ergo corruit ſolutio. Prob. ant. Ratio formalis *ſub qua* non dat objecto rationem formalem *qua*, V. G. lux, quæ eſt ratio formalis *ſub qua* objecti viſibilis, non dat objecto colorem, qui eſt ratio formalis *qua* objecti viſibilis, cùm etiam abſente luce objectum colorem retineat ſuum, licèt videri ſemota luce minimè queat; ſed regulæ morum dant objecto in eſſe moris rationem formalem *qua*, nimirum moralitatem, moralitatiſque ſpeciem, cùm eatenus objectum ſit bonum moraliter, quatenus lege præſcribitur, ratione approbatur, &c. ſit verò malum moraliter, quatenus lege prohibetur, ratione improbatur &c. ergo &c.

Nec eſt neceſſe ponere in objectis voluntatis, aut alterius potentiæ, præter oculum corporeum, & oculum incorporeum, nimirum intellectum, diſtinctè rationem formalem *qua* ultra rationem formalem *ſub qua*, aut è contra, rationem formalem *ſub qua* diſtinctam à ratione formali *qua*. Non, inquam, ut palam eſt in ipſo voluntatis objecto in eſſe phyſico, in quo ratio *qua* eſt ipſa objecti entitas, ratio verò formalis *qua*, & *ſub qua* una, eademque eſt ipſa objecti bonitas phyſica. Quod etiam in cæterorum ſenſuum, dempto viſu, objectis eniteſcit. Nam ratio *qua* objecti V. G. auditus eſt res ſonora, ratio verò formalis *ſub qua* ſimul, & *qua* eſt ſonus, nec aliud aſſignatur.

Sic etiam ratio formalis *quæ* objecti actus voluntatis in eſſe moris eſt ipſa objecti entitas, ratio verò formalis *ſub qua* ſimul, & *qua* erit ejus moralitas, nec opus erit alia ratione formali *ſub qua*.

Ideo autem ponitur diſtincta hujuſmodi ratio formalis *ſub qua*, & ratio *qua* in objecto viſus tum corporei, tum incorporei, nimirum intellectus, non obſtante, quòd ſit perfectior, & alia quæ ſunt diſperſa in inferioribus ſunt unita in ſuperioribus; quia ſunt potentiæ viſivæ; ad viſionem autem ultra rationem *quæ*, & *qua* viſibilem, requiritur lux, vel corporea, ut reſpectu oculi corporei, vel incorporea, nimirum abſtractio à materia reſpectu oculi incorporei, videlicet intellectus.

Adde his omnibus, quòd Maſtrius ibidem diſp. 5. citata q. 4. art. 2. à n. 179. defendit, & probat, moralitatem ab objecto deſumptam, nimirum bonitatem, & malitiam eſſe actui in eſſe moris conſiderato primam, & eſſentialem. Et hanc ſententiam communem eſſe fatetur. Videatur ipſemet.

6. Rationem verò, & legem non eſſe immediatum ſpecificativum probant nonnulli cum Salmant. quia secùs omnia moralitas foret rationi, & legi conformis, cum omne ſpecificatum debeat commenſurari, adeoque conformari ſuo ſpecificativo; ſicque etiam malitia moralis eſſet rationi, ac legi conformis.

Verùm ratiocinatio iſta haud ſatis videtur idonea, Tum quia ſequeretur, rationem, & legem non poſſe eſſe ſpecificativum etiam mediatum, cum neque mediatè conformari eis queat malitia moralis, nec poſſet objectum à ratione, aut lege ſpecificari, cùm objectum moraliter malum nequeat rationi, aut legi conformari. Tum quia reſponderi poſſet, quòd ſpecificatur à ratione, & lege non intranſitivè, ſed per relationem aut conformitatis, aut difformitatis ad illas: quemadmodum ab uno, eodemque albo ſpecificatur, ſaltem purè terminativè, non ſolum aliud correlativum album relatione ſimilitudinis, verùm etiam correlativum nigrum relatione diſſimilitudinis.

Vel etiam dici poteſt, quòd effectus monſtruoſus ſpecificatur ſemper per deformitatem ad ſuam cauſam præcipuè formalem. Malitia autem moralis eſt effectus monſtruoſus, & peccatum eſt monſtrum morale. Aliter itaque

7. Prob. communi ratiocinio. Ratio naturalis, & lex non ſpecificant moralitatem actus, niſi mediante objecto: ergo ratio naturalis, & lex non ſunt ſpecificativum, niſi

mediatum. Prob. ant. Lex eatenus ſpecificat actus moralitatem, quatenus dictat, objectum eſſe licitum, vel non licitum, vel etiam (juxta nonnullos) indifferens, ideſt permiſſum: ergo &c.

Dices, hac eadem poſſe ratione probari, quòd objectum non ſit ſpecificativum, niſi mediatum, quia non ſpecificat, niſi inquantum eſt per legem mandatam, vel vetitum, vel permiſſum: ſicut etiam niſi quatenus per rationem dictatur ut prohibitum, vel mandatum, vel indifferens; ideſt purè permiſſum.

Reſp. negando illatum. Ad prob. diſt. ly *niſi inquantum* &c. dicente rationem præſuppoſitam ad moralitatem, concedo, de formali proximè ſe habentem, nego. Ideo namque objectum ſpecificat inquantum per legem prohibitum, vel præceptum, vel permiſſum; ſicut etiam inquantum per rationem dictatur ut conforme, vel difforme legi, aut rationi, quia priùs præſupponitur ipſum objectum poſitum in linea moris per ipſam legem, aut rationem ut licitum, vel illicitum, at probibitum, vel præceptum. Hoc autem non facit, quòd lex, vel ratio naturalis ſit immediatum ſpecificativum. Sicut eſtò effectus ſecundùm rationes particulares non producatur à cauſa ſecunda, niſi quatenus cauſa ſecunda ſupponitur producta à prima cauſa, non tamen inde ſequitur, quòd talis effectus ſecundùm ſui rationes particulares producatur immediatè à cauſa prima. Item licèt actus non ſpecificet potentiam, niſi quatenus talis actus eſt ſpecificatus ab objecto; haud tamen inde ſequitur, quòd immediatum potentiæ ſpecificativum ſit objectum, ut dictum eſt §. 1. num. 2.

8. Demum quòd tale immediatum ſpecificativum non ſit voluntas Prob. Tam quia ſi voluntas foret moralitatis ſpecificativum, nonniſi ratione libertatis moralitatem ſpecificaret. Vidimus autem art. 1. hujus q. 4. num. 3. quòd libertas ſe habet duntaxat ut conditio, at non ut ratio formalis ſpecificativa. Et ibidem num. 4. conſpeximus, quòd invariata libertate variari moralitas poteſt. Tum quia oſtendimus lib. 2. de Anima, potentias ſpecificari ab actibus, & non è contra, adeoque voluntas potiùs habet ab actu ſpecificari, quàm actum ſpecificare. Tum demum quia voluntas non eſt capax moralitatis, niſi ut ſubeſt rationi, & legi; ſed hoc habet mediante actu: ergo voluntas ſpecificatur ab actu, potiùs quàm actus à voluntate in eſſe moris ſpecificetur. Prob. min. Leges feruntur de actibus, non verò de potentiis, imò nec de habitibus.

Adde, quòd, ut art. 1. citato ſcripſimus, moralitas eſt menſurabilitas per legem. Voluntatis autem libertas conducit potiùs ad agendum ſine menſura, ut libertini facere conſueverunt.

§. III.

Adverſantium argumentationes diſſolvuntur.

9. ARg. 1. probando, objectum non eſſe immediatum ſpecificativum. Eatenus per nos objectum eſt immediatum ſpecificativum, quatenus ad illud immediatè actus ordinatur; ſed ratio iſta nulla eſt: ergo &c. Prob. min. Etiam actus interior immediatè ad exteriorem ordinatur; & tamen non ſpecificatur ab illo: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. primitùs dico, quòd nimirum probat. Siquidem probat, non ſolùm quòd non immediatè, ſed & quòd nullo modo ab objecto ſpecificetur, quemadmodum interior actus nullatenus ab exteriori ſpecificetur. Hoc autem nemo ſcripſit. Præterea diſt. ant. actus interior ordinatur ad exteriorem in ſe conſideratum, nego, ut ad medium conſequendi objectum, concedo. Cùm etenim voluntas nequeat per interiorem actum conſequi objectum, quod eſt exterius, idcircò imperat actum exteriorem, quo conſequatur objectum exterius; non verò intendit actum exteriorem propter ſeipſum. At objectum propter ſeipſum intendit.

Contra. Saltem ſequeretur, quòd actus exterior ſpecificaretur ab objecto; ſed falſum prorſus id eſt: ergo ſemper falſum erit, actum ſpecificari immediatè ab eo, ad quod immediatè ordinatur. Maj. eniteſcit, quia actus exterior immediatè ad objectum tendit, & ordinatur. Min. prob. Actus exterior ſpecificatur ab interiori, quoniam dicitur bonus, vel malus à bonitate, & malitia actus interioris, quo imperatur.

Reſp. diſt. maj. Specificaretur &c. in eſſe naturali, concedo, in eſſe morali, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq.

Contra. Ideo ſpecificatur ſecundùm eſſe naturale, quia ad illud ordinatur ſecundùm eſſe naturale; ſed etiam ordinatur ad illud ſecundùm eſſe morale: ergo & ſecundùm eſſe morale immediatè ab illo ſpecificaretur.

Reſp. diſt. maj. & quia aliàs habet ſuum eſſe intrinſecum naturale, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. & aliàs habet in ſe moralitatem, nego, ſecùs, concedo min. & nego conſeq. Ut namque ſcripſimus antegreſſo art. 2. §. 5. num. 1. Actus exterior nec fundamentaliter habet moralitatem intrinſecam, quia ad iſtam requiritur libertas; actus autem exterior eſt liber duntaxat extrinſecè, & extrinſecam per denominationem.

Alia ad hoc ſolutio legi poteſt apud Guerinois hic ad 1. & 2. arg.

10. Arg. 2. ad idem. Objectum eſt actui extrinſecum: ergo nequit ei intrinſecam dare moralitatem.

Reſp. diſt. ant. & aliàs ordo ad objectum eſt actui intrinſecus, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq.

11. Arg 3. ad idem. Cùm quis hunc elicit actum *volo honeſtè vivere*, talis actus moraliter bonus ſuam ſpecificam bonitatem ab objecto non venatur: ergo &c. Prob. ant. Bonitas ſpecifica debet deſumi ab aliquo ſpecifico, & non ab aliquo generico, cùm à generico bonitas generica deſumatur; ſed actus ille gaudet bonitate ſpecifica, & non tantùm generica, & aliàs objectum talis actus eſt quid genericum: ergo &c. Min. quò ad p. p. videtur nota, cùm nihil queat eſſe in genere determinato, quin ſit in ſpecie determinata, qua ratione 1. Phyſ. probavimus, materiam nec ſupernaturaliter poſſe abſque forma conſiſtere; & lib. 3. Phyſ. nec ſupernaturaliter eſſe poſſibile infinitum in actu. Quò ad 2. verò p. prob. Objectum illius actus eſt bonum honeſtum in communi: ergo &c.

Reſp. primitùs, quòd arg. nimium probat. Siquidem probat, non ſolùm quòd non ſpecificetur immediatè, verùm etiam quòd nullo penitùs modo ab objecto ſpecificetur.

Præterea nego ant. Ad prob. nego min. quò ad 2. p. Ad prob. dato ant. nego conſeq. Bonum namque in communi non eſt totum moralitatis genus, cùm genus moralitatis ſit bono, & malo morali commune.

Dices. Saltem non eſt ſpecies aliqua infima moralitatis, cum ſit cunctis bonitatis moralitatis ſpeciebus commune; ſed actus ille eſt in ſpecie ultima, cùm unaquæque res ſit in ſua ultima ſpecie: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. non eſt ſpecies aliqua infima, comparativè ad reliquas virtutes præter charitatem, concedo, comparativè ad charitatis virtutem, ſubdiſtinguo, inſpectis aliis bonitatis moralis ſpeciebus ſecundùm proprias particulares rationes, concedo, ſub altiori ratione, nego maj. cum min. & conſeq. Etenim quemadmodum ſenſus communis quadam ſub altiori ratione attingit ſingulorum aliorum ſenſuum objecta, non quidem ſecundùm talium objectorum particulares rationes, ſed altiori quadam ſub ratione: Ita charitas, quæ cæterarum virtutum eſt veluti Regina quædam, poteſt cunctarum objecta altiori quadam ſub ratione attingere, ut in adducto caſu. Eapropter actus ille *volo honeſtè vivere* eſt actus, quo quis medio Charitatis habitu proponit imperare cæteris virtutibus ſuos actus circa propria earum objecta.

Ea ex re habes, quòd actus ille *volo honeſtè vivere* elicitur à charitatis habitu; ac cohærenter diſcurrendo, alius oppoſitus actus, nimirum *volo inhoneſtè vivere*, ſivè *volo malè vivere* foret ab habitu odii, ut inquit Jo: à S. Th.

Alii cum Salm. dicunt, quòd primus foret ab habitu piæ affectionis, & ſecundus ab habitu malæ affectionis.

Alii, ut Maſtrius ubi ſupra in 2. ſent. diſp. 5. q. 4. art. 2. num. 192. dicunt, actum illum eſſe quadam in ſpecie innominata.

Alia etiam via incedit Guerinois hic art. 2. §. 5. ad 5. arg.

Præterea dici poſſet, quòd quemadmodum non pauci aſſeverant, eundem actum poſſe plures ſimul ſortiri moralitatis ſpecies, ut conſpiciemus infra art. 5. ita dicere poſſemus, quòd poſſet omnes habere, non quidem ut diverſas conſtituant ſpecies, ſed eminentiori modo: non ſecùs, ac in Homine uniantur vegetativum, & ſenſitivum,

non

non ſecundùm quod conſtituunt plantam, & Brutum, Cupreſſum, Canem, &c. ſecùs conſtituerent Hominem plantam, & Brutum, ſed eminentiori quodam modo. Tunc verò immediatum ſpecificativum ejus foret bonitas quædam moralis, aggerens in ſe eminentiori quodam modo cunctorum objectorum cæterarum virtutum bonitatem; nimirum divina ipſa bonitas.

12. Arg. 4 contra 2. p. in favorem Vaſquez, probando, quòd natura rationalis ſit immediatum moralitatis ſpecificativum. Bonitas moralis nil aliud eſt, quàm convenientia ad rationalem naturam, & malitia moralis diſconvenientia ad talem naturam; ſed convenientia, & diſconvenientia ſpecificatur ab eo, cujus eſt convenientia, vel diſconvenientia: ergo moralitas ſpecificatur immediatè à natura rationali.

Reſp. nego maj. Aliud namque eſt, quòd moralitas talem afferat convenientiam, vel diſconvenientiam, aliud verò quòd in iſta conſiſtat. Primum eſt verum, ſecundum eſt falſum. Quandoquidem moralis bonitas actus in hoc ſita eſt, quòd circa objectum moraliter bonum verſetur; & ex hoc, quod circa objectum bonum verſetur, habet, quòd ſit rationali naturæ conveniens.

Dices. Bonum quodcunque ſitum eſt in adæquatione cum propria menſura; ſed menſura boni reſpectivè inſpecti, eſt natura, cujus eſt bonum: ergo ab iſta ſpecificatur.

Reſp. permiſſa maj (quam Salm. ubi ſupra num. 63. volunt eſſe veram de ſolo tranſcendentali, non verò de morali bono) nego min. ſecùs materia foret formæ menſura, cùm forma ſit materiæ bonum. Vel illam diſt. ſic. Si tale bonum illam duntaxat reſpiciat naturam, cui eſt bonum, concedo, ſi reſpiciat & aliud, nego min. & conſeq. Bonum ſiquidem morale reſpicit naturam rationalem ut finem *cui*, objectum verò ut finem *cujus gratia*.

13. Arg. 5. adverſus 3. p probando in favorem Herreræ Scotiſtæ diſp. 28. de peccatis q. 5. ſicut & Angeſti cap. 5. & cap. 7. quòd immediatum moralitatis ſpecificativum ſit lex, ſive ratio naturalis. Invariata lege, tametſi objectum varietur, manet eadem moralitatis ſpecies, ut ſi quis contra eandem juſtitiæ legem furetur nummos, vel pallium: è contra verò lege mutata, tametſi objectum idem maneat, variatur moralitas, ut ſi quis carne veſcatur lege prohibente, & talem continuet carnium eſum lege ſublata: ergo &c.

Conf. Peccatum inquantum malum morale definitur per eſſe contra legem, nulla habitudinis ad objectum mentione facta.

Reſp. ad arg. diſt. ant. tametſi varietur objectum in eſſe naturali, concedo, in eſſe moris, nego. Etenim tunc variatur objectum materialiter, at non formaliter in eſſe moris; quia tunc tam nummus quàm pallium eſt res aliena, quæ furtum ſpecificat. Item ea in comeſtione objectum manet idem in eſſe duntaxat naturali, at non in eſſe morali; quia ſublata lege non eſt ampliùs legi difforme. Ex quo tantùm ſequitur, quòd ultimatè, & mediatè moralitas à lege ſpecificatur, quatenus actus ſpecificatur ab objecto, & objectum ſpecificatur à lege.

Ad Conf. Reſp. quòd illa in definitione ſumitur lex, non in ſeipſa immediatè, ſed mediatè, quatenus actus verſatur circa objectum, quod eſt contra legem. De quo lege Salmant. non ſolùm ubi ſupra in tract. de actibus humanis, verùm & fuſiùs in tract. de peccatis diſp. 6.

14. Arg. 6. contra ult. p. probando in favorem Zumel p. 2. q. 71. art. 6. diſp. 1. q. 1. voluntatem eſſe immediatum moralitatis ſpecificativum. Bonum definitur per convenientiam ad appetitum, ſicut verum per convenientiam ad intellectum, & malum per diſconvenientiam ad voluntatem, ſive appetitum; ergo &c. Ant. docemus nos in Meth.

Reſp. primitèr, definitionem illam eſſe de bono, & malo objectivo, quod eſt ipſum objectum bonum, vel malum moraliter; non verò de bono, & malo morali formali, quod eſt ipſe voluntatis actus.

Præterea dicimus, definitionem illam eſſe relatè ad voluntatem Divinam de primariò, licèt de ſecundariò ſit etiam in ordine ad voluntatem creatam, ut in Meth. dicemus. Ob idque tantùm ſequitur, quòd bonum objectivum, ſicut malum objectivum morale ſpecificetur in ordine ad voluntatem Divinam.

Sed quia in Thomiſtica Schola lex, relatè ad quam objectum dicitur bonum, vel malum moraliter, eſt actus intellectus, & non voluntatis: Idcircò eſt conſultius dicendum, definitionem illam eſſe quidem de bono, & malo objectivo, non tamen morali, ſed naturali, ac tranſcendentali. Bonum autem morale objectivum debet definiri per convenientiam ad legem; ſicut & malum morale per diſconvenientiam ad legem æternam, quæ eſt actus Divini intellectus ut nobis per legem naturalem, ſive per lumen naturale intimatus.

Denique (ut in Meth.) definitio illa traditur per connotata, cùm relatio illa ad voluntatem nonniſi de connotato afferatur à bono; ſicut & relatio ad intellectum à vero.

ARTICULUS QUARTUS.

Quænam ſint morum regulæ.

§. I.

1. INter morum regulas ſupputari objectum, imò ut regulam immediatam conſpeximus antegreſſo art. cùm ſit immediatum moralitatis actuum ſpecificativum. Sed quoniam ſunt aliæ, quas diximus eſſe mediatas, licèt alii Exterorum velint, eſſe immediatas: Idcircò impræſentiarum veſtigatur quænam ſint; ubi & quo ſeſe habeant ordine dicetur.

2. Hac in re Scotus quodl. 18. Vaſquez p. 2. diſp. 73. & diſp. 95. ac 97. Salas ibi diſp. 1. ſect. 2. Suarez ibidem diſp. 2. ſect. 2. tenent, primam moralitatis regulam, per ordinem ad quam ſive actus, ſive objecta habent eſſe bona moraliter, vel mala, eſſe ipſam rationalem naturam, ut antecedit rationis dictamen, & quamcunque legem.

Verum eſt tamen, quòd (ut ſcripſimus antegreſſo art. §. 1. num. 3.) Maſtrius contendit, quòd Scotus nomine rationalis naturæ ſumat, non ipſam ſubſtantiam, ſive entitatem naturæ rationalis, ut rationis dictamen antecedit, ſed rationem naturalem. Reliqui tamen Scotiſtæ interpretantur, ac ſequuntur Scotum in primo ſenſu, in quo ſic fuiſſe Scotum locutum conſpicuum erit ex Scoti argumento, quod hic §. 3. num. 9. ad 3. arg. diluemus.

Thomiſtæ cum S. Th. p. 2. q. 71. art. 6. ſtatuunt, primam moralitatis regulam eſſe legem æternam ut in mente Divina exiſtentem; proximam verò reſpectu objecti (licèt mediatam reſpectu actus) eſſe rationis noſtræ dictamen, quatenus præfatam participat legem, eique ſubordinatur. Cajet. ad præfatum art. Medina, Curiel, Alvarez ibi diſp. 130. Zumel diſp. 1. & diſp. 10. Cornejo excalceatus diſp. 4. dub. 2. Greg. Mart. Salmant. tract. 15. diſp. 1. dub. 5. cum quibus.

§. II.

CONCLUSIO.

Prima moralitatis regula formalis eſt lex æterna in mente Divina exiſtens; ſecunda verò eſt lex naturalis, ſive rationis dictamen; non autem rationalis natura ſecundùm ſe, ut rationis dictamen antegreditur.

3. QUòd ad p. & 2. p. eſt expreſſa D. Th. p. 2. q. 71. art. 6. & q. 2 de malo art. 4. & q. 5. de virtutibus art. 2. & explicatiùs eadem p. 2. q. 19. art. 4. cujus verba exſcribunt Salm. ubi ſupra num. 65.

4. Prob. 1. Quò ad p. p. Tum quia bonitas, & malitia moralis in actibus humanis attenditur per ordinem, & directionem ad ultimum finem vitæ humanæ, quique proinde eſt primus in intentione: ergo illa erit prima regula, quæ prima fuerit hujus ordinis ratio; ſed hæc haud alia eſſe poteſt, niſi ratio exiſtens in Deo, quæ dicitur ejus lex æterna: ſicut nec alius, quàm ipſe Deus poteſt eſſe primum dirigens in prædictum finem; ergo &c. Tum quia prima regula debet eſſe à ſe indefectibilis in dirigendo, & regulando, ſicut primum principium eſt indefectibile in operando; ſed nulla creatura poteſt habere ex ſe indefectibilitatem in ordine morali, quemadmodum nulla poteſt eſſe per ſe impeccabilis; ergo prima hujuſce ordinis regula nequit eſſe quid creatum, proindeque erit ipſa ratio directionis exiſtentis in mente Divina, quæ lex æterna à nobis compellatur.

5. Probo quò ad 2. p. Illa eſt proxima moralitatis regula, quæ in virtute regulæ primæ tanquam ejus participatio dirigit

Digitized by Google

git immediatè actus morales; ſive per quam nobis ipſa æterna lex, & prima regula proponitur, quam ſequamur; ſed hoc eſt rationis dictamen: ergo iſtud erit ſecunda regula.

6. Quò ad 3. & ult. p. probata extat per dicta antegreſſo §. 1. num. 3. Et præterea ſuadetur ſic. Regula formalis moralitatis debet regulare, & determinare morali modo, hoc eſt proponendo, præcipiendo, &c. ſed rationalis natura ut antecedit rationis dictamen, non hoc modo concurrit, cùm moveat per modum naturæ: ergo rationalis natura ut antecedit rationis dictamen nequit eſſe formalis regula moralitatis.

Vid. Salmant. ubi ſupra num. 72.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

7. ARg. 1. contra p. & 2. p. Si regula foret lex, quælibet moralitas foret legi conformis, cùm omne regulatum debeat ſuæ conformari regulæ, ſicque etiam malitia moralis foret legi conformis; ſed hoc eſſet totam evertere moralitatem: ergo &c.

Conſ. Si regula foret lex, omnis actus legis adimpletivus foret bonus moraliter, ſicut & omnis tranſgreſſivus foret malus; ſed nonnunquam lex adimpletur per actum, nulla morali bonitate gaudentem, ut ſi quiſpiam ſacro interſit propter inanem gloriam, implet præceptum, ut vel nos dicemus in tract. de legibus q. 5. quæſito 1. ponendo poſt art. 6. *dico* 3. & nullam obtinet in actu illo moralem bonitatem, quia pravi finis circumſtantia ex toto impedit: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego ſequelam maj. Et ad annexam prob. habes ex dictis antegreſſo art. §. 2. num. 6. quòd verum id foret, ſi regularetur per legem intranſitivè: regulatur autem per reſpectum, & ordinem, ſive relationem ad legem; quæ relatio poteſt eſſe vel conformitatis, vel difformitatis, ſicut luculenter ibi explicuimus. Vid. ibi.

Contra. Plura ſunt, quæ antequam lege præcipiantur, vel prohibeantur intelligimus, eſſe bona, vel mala ex ſola habitudine convenientiæ, vel diſconvenientiæ ad rationalem naturam: ergo iſtorum bonitas, vel malitia nec per ordinem ad legem regulatur. Prob. ant. In his, quæ præcipiuntur, vel prohibentur lege naturæ, V. G. prius eſt, quòd amor Dei ſit bonus, quàm quòd lege præcipiatur, cùm ideò præcipiatur, quia bonus eſt: & ſimiliter odium Dei idcirco prohibeatur, quia malum eſt.

Reſp. quod ad hoc patet ex dictis art. 2. §. 3. ſub num. 6. ad 1. arg. hujuſcemodi pro priori ad legem intelligi mala, vel bona duntaxat fundamentaliter proximè, at non formaliter. Sanè idem fieri arg. poſſet de rationali natura, cùm ideo conveniant rationali naturæ, quia ſunt bona, & ideo diſconveniant, quia ſunt mala.

Dices. Tametſi Deus non præcepiſſet amorem ſui, nec prohibuiſſet odium ſui, adhuc primus foret laude dignus, & ſecundum vituperabile: ergo &c.

Reſp. ut ſupra fore laude, aut vituperio digna, dignitate duntaxat fundamentali, at non formali.

Inſt. ex Salas. Tametſi Homo non haberet Superiorem, vel ab eo non gubernaretur per legem, adhuc foret agens morale, & operaretur benè, dando eleemoſynam, malè autem mentiendo, furando, &c. ergo &c.

Reſp diſt. ant. operaretur ut agens morale &c repugnanter, concedo, non repugnanter, nego. Quemadmodum namque Homo ſi non haberet principium efficiens, tunc vel non haberet eſſe, vel foret ens à ſe, & primum principium: ita niſi haberet ſuperiorem, à quo gubernaretur, & in finem ultimum, tunc vel non operaretur moraliter formaliter, ſed duntaxat fundamentaliter, vel eſſet ipſe ultimus finis.

Item ni primam haberet regulam, nimirum legem æternam, per quam dirigeretur tunc, vel nec benè, nec malè operaretur; vel ipſe foret prima regula. Quod repugnans eſt, non ſecùs, ac repugnet, eſſe primum efficiens.

Sed de his fuſiùs, Deo dante in tract. de legibus q. 2. art. 2. §. 3. per totum §. illum.

Inſt. poſtremò. In Deo extant actus moraliter boni bonitate miſericordiæ, juſtitiæ, &c. ſed reſpectu Dei nulla extat lex, ut vel S. Th. docet p. 2. q. 93. art. 4. ad 2. ergo moralis bonitas non dependet à lege.

Reſp. nego min. ut namque Deo dante, dicemus in tract. de legibus q. 2. art. 1. §. 5. ad 6. & magis ad 7. arg. Lex æterna eſt verè, & propriè lex, non tantùm ut reſpicit creaturas, verùm etiam ut Divinas reſpicit actiones. Non quidem quò ad actum ſecundarium legis, qui eſt dirigere (cùm actiones Divinæ nullo dirigente ſint ex ſe ad bonum tendentes) ſed quò ad actum duntaxat legis primarium, qui eſt reddere bona, vel mala moraliter formaliter objecta, præcipiendo ea, aut prohibendo. Et ſic intelligendus venit S. Th. vel de lege ab alio data. Et in Deo verum extat imperium, non ſolùm politicum, quo creaturis imperat, verùm etiam monarchicum, quo ſuam movet voluntatem, eique practicè intimat quid agendum, & volendum juxta Divinæ rationis conceptum. Ad quod virtualis ſufficit diſtinctio quæ Divinam inter voluntatem, & rationem verſatur.

Ad Conſ. Reſp. quòd nos loquimur de per ſe. Eo autem in caſu actus ille per accidens non eſt bonus ex impedimento extrinſeco, ex mala nempe intentione, qua impeditur reſultantia illius moralis bonitatis ſaltem formaliter completè. Eapropter actus ille tunc eſt ſimpliciter malus, non ex eo, quod ſit contra legem mandantem ſacri auditionem, ſed quia eſt contra legem mandantem, omnia ordinari in Deum, vel explicitè, vel ſaltem implicitè, nimirum ordinando in finem honeſtum, comprehenſam illo in Decalogi præcepto *diliges Dominum Deum tuum*, &c.

Alia ad hoc ſolutio adhibetur à Salm. p. 2. tract. 10. diſp. 6. dub 1. §. 5. num. 23. ad 2. arg.

8. Arg. 2. Nonnulli extant actus moraliter boni, qui ſub nullius legis obligatione cadunt, ut ſunt actus conſilii, & ſupererogationis: ergo &c.

Reſpondent Salm. p. 2. tract. 11. diſp. 1. dub. 6. §. 3. n. 77. quòd actus illi tametſi non cadant ſub lege abſolutè, cadunt ſub obligatione legis ex ſuppoſitione, quia ex ſuppoſitione quòd fiant, præcipiuntur benè fieri.

De hac doctrina nonnulla, Deo dante dicemus in tract. de legibus q. 3. quæ erit de lege naturali art. 2. §. 3. ad 4. arg. Sed quicquid modò de hoc ſit, aliter.

Reſp. opera conſilii eſſe moraliter bona ſine conformitate ad legem præcipientem illa immediatè, non verò ſine conformitate ad legem præcipientem illa mediatè. Opera ſiquidem conſilii ſunt bona, quatenus ſunt media conducentia ad obſervantiam præceptorum; non quidem neceſſaria ſimpliciter, ſed ad melius, & facilius eſſe. Sic ingreſſus Religionis adimendo impedimenta curæ ſecularis magis conducit ad unionem cum Deo per Charitatem, ad quam tenemur ex præcepto: & Virginitas ſeparando ab experientia delectationis venereæ licito in concubito conducit magis ad non concupiſcendum illicitum, & faciliùs præſtat vacare Divinis tollendo matrimonii curas.

Vel denique Reſp. quòd dum dicitur, primam moralitatis regulam eſſe legem, ſumi legem latè dictam, comprehendendo etiam conſilium, at non preſsè pro ſolo obligativo.

9. Arg. 3. contra 2. p. argumento Scoti quodl. 8. Quodvis judicium aliquam ſupponit menſuram, in qua certitudo ejus fundetur: ergo ut judicium, & dictamen rationis noſtræ moralem dirigens actum, ſit certum, & firmum debet in aliquo alio fundari, quod ſit certitudinis ſuæ regula, ſed non eſt excogitabile aliud, in quo fundetur, niſi rationalis natura, ejuſque inclinatio: ergo iſta eſt regula potiſſima tum illius judicii, tum actus moralis, circa quem verſatur.

Conſ. Cujuslibet judicii veritas ſumitur ex veritate rei judicatæ, cùm eatenus verum ſit, quatenus res, de qua judicat ita ſe habet, ſicut Philoſophus inquit in poſtprædicamentis, ab eo, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitionem dici veram, vel falſam: ergo rationis dictamen judicans de convenientia, aut diſconvenientia objecti potiùs regulatur ab eis, quàm ſit earum regula, & menſura. Veſtiganda igitur alia eſt regula, quæ eſſe non poterit, niſi rationalis natura.

Reſp. cum Salmant. p. 2. tract. 11. diſp. 1. dub 5. num. 73. concedendo, ant. loquendo de judicio creato, quod ex ſeipſo non eſt prima ſuæ certitudinis regula: & concedendo quoque primum conſequens, ſed negando ſubſumptam min. ac dicendo, quòd id, in quo judicii illius certitudo in ratione judicii practici fundatur, eſt ipſa æterna, & increata Dei lex, à qua tanquam à prima regula ordinis moralis ſufficientem ſortitur certitudinem, ut in virtute ejus poſſit proximè regulare actus humanos, & ad ultimum dirigere finem.

Ad Conſ. Reſp. cum iiſdem ex D. Th. q. 1. de virtutibus

tuibus art. 13. ant. eſſe verum loquendo de judicio ſpeculativo, quod menſuratur à re ſpeculabili, at non de judicio practico; quia hoc eſt potiùs menſura rei operatæ, & cujuslibet certitudinis in illa repertæ.

Secundò. Ex eodem D. Thom. part. 2. quæſt. 91. art. 3. ad 2. ubi *dicendum*, inquit, *quòd ratio humana ſecundùm ſe non eſt regula rerum, ſed principia ei naturaliter indita ſunt regulæ quædam generales, & menſuræ omnium eorum, quæ ſunt per hominem agenda.*

QUÆSTIO QUINTA

De Speciebus Moralitatis.

COmparata notione quidditatis moralitatis, reliquum eſt, ut notio diviſionis, ſive multiplicitatis ſpecificæ ejuſdem compatetur. Unde

ARTICULUS PRIMUS.

Quot, & quæ ſint moralitatis ſpecies.

§. I.

1. ALiis ſub terminis proponi controverſia iſta conſuevit, *num nimirum indifferentia ſit vera moralitatis ſpecies*; eò quòd exploratum cunctis eſt, bonitatem, & malitiam eſſe verè, & propriè ſpecies moralitatis; proindeque de ſola indifferentia diſſidium manet.

2. Duæ in hoc quoque certamen congrediuntur opiniones. Prima defendit, moralitatem adæquatè dividi in bonitatem, & malitiam, ita quòd indifferentia non ſit membrum contrahens, & dividens moralitatis genus. Hanc excipiunt nonnulli etiam ex Thomiſtis p.2. ut Lezana, Salmant. Gonet, Guerinois hic, Cornexo, quibus adſtipulantur alii, ut Curiel, Lorca, Monteſinos, & alii.

Secunda tuetur, etiam indifferentiam inter moralitatis ſpecies ſupputandam eſſe. Iſtam tutantur communiùs Thomiſtæ p.2. ut Medina, Gregor. Martinez, Joannes à S. Th. Ildephonſus Baptiſta, & alii. Quamobrem immeritò Maſtrius in 2. ſent. diſp. 5. q. 2. dubit. 3. n. 34. dixit, primam ſententiam eſſe communem Thomiſtarum. Hanc eandem ſecundam opinionem tenet D. Bonaventura in 2. ſent. diſt. 41. Maſtrius loco nuperrimè relato num. 35. dicens, eſſe communem Scotiſtarum. Item Vaſquez, & Arriaga.

§. II.

CONCLUSIO.

Non tantùm bonitas, & malitia, verum & indifferentia eſt inter moralitatis ſpecies ſupputanda.

3. COnformior videtur menti S. Th. quia non ſemel tria illa percenſet membra, dividentia moralitatem, ac præſertim q.2. de malo art.5. explicaturè actum humanum dividit ſub ratione actus moralis in bonum, malum, & indifferentem hiſce verbis: *ſi loquamur de actu morali ſecundùm ſuam ſpeciem, ſic non omnis actus moralis eſt bonus, & malus, ſed eſt aliquis indifferens.* Item p. 2. q.92. art.2. docet, quòd lex triplicem habet actum, nimirum *prohibere, præcipere, & permittere.* Qua ex re infert, quòd tres ſunt humanorum actuum differentiæ, ita ut quidam ſint boni ex genere ſuo, quidam ſint ex genere ſuo mali, & quidam ſint ex genere ſuo indifferentes.

Reſpondent Salm. D. Th. ſumere actum moralem, prout idem eſt, ac liber, intellige libertate duntaxat phyſica, at non morali.

At ſolutio iſta minimè cohæret cùm verbis D. Th. qui ibi loquitur de actu morali ſecundùm ſuam ſpeciem. Et magis elongatur ab ejus mente p.2. q 92. art. 2. ubi inter legis actus ſupputat hoc, quod eſt permittere. Ea ex re

4. Prob. Moralitas eſt relatio ſaltem mediata, reſpectus, ſive habitudo ſubjectionis ad legem, ſive poſtea iſta relatio ſit intrinſeca, ſive duntaxat extrinſeca, ſive realis, ſive rationis, juxta diverſorum diverſas opiniones, ut q. antegreſſa art.2. conſpeximus; ſed talis relatio, ſive reſpectus eſt non tantùm in bonitate, & malitia, verùm etiam in indifferentia: ergo &c. Prob. min. In bonitate adeſt habitudo convenientiæ ad legem vel præcipientem, vel prohibentem; in malitia adeſt habitudo diſconvenientiæ ad legem vel præcipientem, vel prohibentem. In indifferentia adeſt habitudo convenientiæ ad legem ut permittentem. Vel (ut alii dicunt) in bonitate adeſt habitudo ſubjectionis ad legem per modum convenientis; in malitia adeſt habitudo ſubjectionis ad legem per modum diſconvenientis; & tandem in indifferentia adeſt ſubjectionis habitudo ad legem, non per modum convenientis, nec per modum diſconvenientis, ſed per modum tolerati, ac permiſſi.

Per quod refellitur reſponſum Salmant. dicentium, talem actum eſſe à voluntate duntaxat ut potentia phyſica, ac libertate phyſica, ſicut & in ordine ad objectum in eſſe phyſico, & naturali, at non in eſſe moris.

Refellitur, inquam; quoniam, ut probatum eſt procedit à voluntate cum reſpicientia ad legem, ac advertentia, & in ordine ad objectum, non tantùm ut dicit delectabilitatem phyſicam, verùm etiam ut præſcindentem poſitivè, & non ſolùm negativè à bonitate, & malitia, nimirum ut toleratum, & permiſſum à lege, adeoque cum habitudine ad legem.

Refellitur deinde etiam ſolutio Guerinois, dicentis, actum illum ſubjici legi, non propriè, ſed duntaxat impropriè, & negativè, quatenus de illo lex non curat.

Refellitur, inquam. Siquidem quod ſub actu legis cadit, poſitivè illi ſubjicitur; actus autem indifferens ſubjicitur actui legis permiſſivo, quia ut cum D. Th. vidimus & S. Iſidoro, tres ſunt legis actus, nimirum præcipere, prohibere, & permittere.

Guerinois dicit, quòd S. Th. ibi ſumit pro poſitivo permittere, quod eſt diſpenſare, at non pro permittere negativè, ut in caſu de re indifferenti.

Aſt dici hoc nullatenus debet, ac poteſt. Siquidem adverſatur, non ſolum Divo Thomæ, verùm etiam Iſidoro. Quandoquidem Angelicus ubi ſupra docebat, tres eſſe legis actus p.2.q 92.art.2.in arg.*ſed contra* ex Iſidoro 5 Etymol. *omnis*, inquit, *lex aut permittit aliquid V.G ut Vir fortis petat præmium; aut vetat, ut quòd Sacrarum Virginum nuptias nulli liceat petere; aut punit, ut qui cædem fecerit, capite plectatur.* Permittere autem, quod Vir fortis petat præmium non eſt ulla in lege diſpenſare, cùm nulla id prohibeat lex. Idque pluribus aliis in conſimilibus permiſſionibus poteſt exemplis illuſtrari.

Multò minùs dici poteſt, quòd permittere ſit duntaxat metaphoricè actus, ut innuere Salm. videntur. Multò minùs, inquam, cum ab Iſidoro, & D. Th. unà cum aliis connumeretur legis actibus, adeoque ſicut alii ſunt propriè legis actus, ita ille, &c.

§. III.

Adverſariorum argumentationes diſſolvuntur.

5. ARg.1. Moralitas ſive in actibus, ſive in objectis haud aliud eſt, quàm habitudo ſubjectionis ad rationem tanquam ad regulam; ſed tantùm per modum bonitatis, &

malitiæ iſta eſſe poteſt; ergo non eſt dabilis tertia ſpecies, quæ ſub his non contineatur, proindeque indifferentia non eſt alia moralitatis ſpecies. Prob. min. Tantummodo per modum convenientis, & diſconvenientis eſſe poteſt; ſed in ipſa convenientia ad legem ſtat bonitas, & in diſconvenientia malitia moralis: ergo &c. Maj. quæ ſola videtur indigere probatione, ſuadetur. Eſſe conveniens, & eſſe diſconveniens in eo, quod ſubeſt regulæ, opponuntur immediatè, ſicut conveniens, & non conveniens; ſed inter ea, quæ immediatè opponuntur non cadit medium, adeoque debet neceſſariò unum ex illis ſubjecto convenire; ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. permiſſa maj. (quam reſpuere plerique ſolent, licèt eos refutent Salm.) diſt. min. in ipſa convenientia ad legem præcipientem, vel prohibentem ſtat bonitas moralis, concedo, in ipſa convenientia ad legem ut permittentem, nego min. & conſeq. Reſponſum nitet ex dictis antegreſſo n. 4. ubi conſpeximus, quòd habitudo convenientiæ ad legem ut permittentem eſt indifferentia. Recole ibi dicta, & hic applica.

Contra. Quod à regula, ſive lege, eſt duntaxat permiſſum non cadit ſub illa; ergo nullam dicit habitudinem ad illam. Prob. ant. De quo lex nullatenus curat, non cadit ſub lege; ſed lex de eo, quod permittit, nullatenus curat; ergo &c. Prob. min. Non curat nec quòd fiat, nec quòd non fiat: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. concedo maj. ſi nullatenus curet, & diſt. min. nullatenus curat præcipere, aut prohibere, concedo, nullatenus curat permittere, nego min. ad cujus prob. dato ant. diſt. conſequens eodem modo. Solutio iterum pateſcit ex dictis, hic redintegrandis.

Hoc verò admonitus ſis, quòd ſit hic ſermo, non de permiſſione, quæ etiam aliquid illicitum permittit, non impeditiva, & qua Deus permittere dicitur peccata; ſed de permiſſione veluti conceſſiva, qua licitè fieri quicquam poteſt, ut notavit S. Th. p. 3. q. 92. art. 2. ex Iſidoro 2. etimol. cap 19.

6. Arg. 2. ex Guerinois. Vera, & propriè dicta moralitatis ſpecies debet eſſe quid poſitivum (inter genus quippe, & ſpeciem proportio neceſſaria eſt, idcirco quando genus eſt quid poſitivum, etiam ſpecies ſit quid poſitivum eſt neceſſe; moralitas autem in communi ex unanimi Authorum doctrina eſt quid poſitivum) ſed indifferentia eſt quid potiùs negativum, non verò poſitivum; ergo &c. Prob. min. Indifferentia in caſu eſt negatio bonitatis, & malitiæ moralis, quæ eſt quibuſdam in actibus noſtris ex parte objectorum ipſorum cum non repugnantia, ſed cum capacitate ad illas habendas aliunde, nimirum ad ipſas ex circumſtantiis bonis, vel malis accipiendas; ita ut eatenus aliqui actus noſtri ſint in genere morali, quatenus ex parte objecti neque boni ſunt, neque mali moraliter, licèt ex parte circumſtantiarum interdum boni, vel mali reddantur; ergo &c.

Reſp. permiſſa maj. (quam reſpueret Ataunxo, volens malitiam moralem peccati, etiam commiſſionis ſitam eſſe in mera rectitudinis privatione, ut ſcripſimus q. antecedenti 4. art. 2. n. 2.) nego min. ſi loquamur in ſenſu formali. Ad prob. diſt. ant. conſecutivè, concedo, pro formali, nego ant. & conſeq. Quandoquidem pro formali dicit habitudinem convenientiæ ad legem ut permittentem. Ad quod poſtea conſequitur, quòd non dicat habitudinem convenientiæ, vel diſconvenientiæ ad eandem legem ut præcipientem, vel prohibentem, ſeu negatio bonitatis, & malitiæ moralis; ſicut ſubſiſtentia dicit pro formali eſſe terminum, & complementum, de conſequenti verò negationem eſſendi in alio ut in ſuppoſito.

7. Arg. 3. ex D. Th. qui p. 2. q. 6. præſertim art. 5. in corp. & ad 4. & art. 4. nominat actum bonum, & actum malum moraliter, nulla mentione facta actus indifferentis: ergo &c.

Reſp. nihil inde ſequi contra nos. Quandoquidem ibi tametſi mentionem actus indifferentis minimè faciat, nec tamen eum reſpuit. Et quamquam mentionem non fecerit ibi, tamen mentionem ejus alibi facit, præſertim locis citatis à nobis n. 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num idem numero actus poſſit eſſe in ſpecie boni, & mali moralis ſimul.

§. I.

1. DIxi *ſimul*. Quandoquidem cum D. Th. p. 2. q. 20. art. 6. & in 2. ſent. diſt. 40. art. 1. & q. 2. de malo art. 4. ad 7. cunctis (dempto Gabriele, Conrado, & Martinez) exploratum eſt, poſſe eundem actum eſſe ſuccedaneè in ſpecie boni, & mali moralis. Etenim ſi Titius mediam ante feriæ quintæ noctem carnibus veſcatur, licitè operatur, imò ſi recto cum ordine ad bonum finem id fecerit, meritoriè operatur, juxta illud Apoſt. *qui manducat, domino manducat*, & 1. Corinth. *ſive manducatis ſive bibitis, ſive aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*; ſi verò media labente nocte abſque rationabili cauſa in eodem perſeveret actu perperam moraliter agit, quia illicitè operatur. Ob idque idem numero comeſtionis actus de bono & licito moraliter, malus, & illicitus evadet. Item ſi Sabbato paulò ante mediam noctem carnibus veſcatur, perperam moraliter agit; ſi verò hunc actum perſequatur media labente nocte poteſt benè moraliter operari.

Si objiciatur, quòd neque ſucceſſivè poteſt eadem res eſſe duplici in ſpecie, præcipuè oppoſita, naturali: ergo neque in duplici ſpecie morali, præſertim oppoſita.

Reſp. diſt. ant. nequit eſſe in duplici ſpecie eſſentiali, concedo, accidentali, nego ant. & conſeq. Poteſt namque eadem res eſſe calida, & frigida ſucceſſivè, licèt non ſimul. Ob idque retorquetur arg. cùm ſit entitati actus accidentalis.

Qua ex re habes, quòd dum hic veſtigatur, *num idem actus*, &c. non ſumitur actus ille, qui ſit unicus genere, vel ſpecie in eſſe moris (cùm in hoc genere bonitas, & malitia ſint differentiæ eſſentiales) ſed in eſſe phyſico. Eapropter quemadmodum hac ratione eadem propoſitio in materia contingenti poteſt tranſire de vera in falſam, ut in Meth. defenſabimus, ita &c.

2. Totus itaque difficultatis nodus ſitus in eo eſt, num queat eſſe ſimul ex objecto bonus, & ex fine malus, vel è contra malus ex objecto, & bonus moraliter ex fine. Qua in re duarum opinionum

Prima aſſeverat, volens, quòd cùm Cajus V. G. eleemoſynam elargitur ob inanem gloriam, talis actus ſit malus moraliter ex illo fine pravo, & ſimul bonus ex objecto. Hanc poſt Cajet. p. 2. q. 18. art. 9. aliiſque in locis à Guerinois citatis, amplexati ſunt Almay in tract. 1. moral. cap. 12. Corduba lib 2. quæſt. 23. & Granad. controv. 2. tract. 14. diſp. 1

Secundam abnuit, quam omnes excipiunt Thomiſtæ, ſi Cajetanum demas. Thomiſtis adſtipulantur Vaſquez, Suares, Salas, Valentia, Monteſin. Amicus, Averſa, Arriaga, Maſtrius, & reliqui, quos propriis locis citant Salmant.

§. II.

CONCLUSIO.

Nequit idem numero actus eſſe ſimul bonus, & malus moraliter, nec etiam diverſis ex principiis; ſalva oppoſitæ ſententiæ probabilitate.

3. ADeſit S. Th. tum in 2. ſent. diſt. 38. q. 1. art. 4. ad 4. tum p. 2. q. 19. art. 7. ad 2. Et

4. Prob. ratione ejuſdem p. 2. q. 18. art. 4. ad 3. Quilibet ſingularis defectus cauſat malum, cùm bonum cauſetur ex integra cauſa, ut D. Dionyſius cap. 4. de Divinis nominibus habet; ergo quamquam malitia finis poſſit vitiare, & deturpare objecti bonitatem, haud tamen poteſt finis bonitas objecti malitiam honeſtare, adeoque &c.

5. Prob. 2. eodem cum Angelico eadem p. 2. q. 19. art. 7. ad 2. Cùm quis vult aliquod de ſe bonum ob malum finem, eſto congrediantur duo, quæ ſecundùm ſe ſunt duo principia, unum nimirum bonum, & alterum malum; tamen prout ſic ſunt unum duntaxat principium malum; ergo actus erit ſimpliciter malus, & nullatenus bonus. Prob. ant. Tunc objectum illud quamquam de ſe bonum,

attin-

Google

attingitur eadem ſub ratione mali, ſub qua attingitur finis ille: ergo ut unum, atque idem ſe habet cum fine illo. Prob. ant. Quoties Homo vult aliquod ſub aliqua ratione ad malum conducente, vult illud ea ſub ratione mali, ad quam conducit, ſed cùm Homo vult objectum de ſe bonum propter malum finem, vult illud ſub ratione conducente ad dictum malum finem: ergo &c. Prob. ant. Tunc ſiquidem illam reduplicat rationem formalem, quia vult illud reduplicativè ut ad malum illod ducit Min. eodem ſuadetur modo, quoniam vult illud reduplicanter ut ad malum finem ducens.

Conſ. Qui vult objectum aliquod de ſe bonum propter malum finem, vult illud ut malum; quia vult illud ut medium ducens ad malum. Quod autem ducit ad malum, nonniſi malum eſt ut tale.

Dices, quòd illud vult objectum ſub ratione boni, & mali ſimul, quia qui eleemoſynam dat propter inanem gloriam duplici poteſt ferri motivo, nimirum, & ſublevandi alienam miſeriam, & auram captandi. Sed

Contra primodùm à pari. Nequit intellectus eundem per actum idem attingere objectum ſub ratione veri ſimul, & falſi: ergo nec voluntas eundem per actum idem attingere objectum ſub ratione boni ſimul, & mali. Non minùs namque opponuntur bonum, & malum, quàm verum, & falſum.

Præterea. Reſpectu ejuſdem actus voluntas eſtò ſortiri queat duos fines ſimul ſubordinatos, ſecùs tamen diſparatos; bonum autem, & malum nequeunt invicem ſubordinari:

6. Idem dicas quando quis vult objectum de ſe malum propter bonum finem, V. G. furtum ob eleemoſynam dandam. Siquidem & tunc illum vult finem bonum ſub ea illius mali ratione, ad quod movet dictum furem, quia vult finem ut illud ad furtum conducentem. Et ſanè quemadmodum finis ad bonum inducens bonus eſt, ſic finis ad malum inducens malus quoque eſſe debet. Ille autem finis, nimirum eleemoſyna trahit illum ad furtum, adeoque mala eſt; non quidem abſolutè, & de ſe, ſed ut volita ab eo, qui furari vult, ut eleemoſynam elargiatur.

Et hæc eſt doctrina D. Th. p. 2. q. 19. art. 7. ad 3. ubi *ad hoc*, inquit, *quòd ſit voluntas bona, requiritur quod ſit bona ſub ratione boni, ideſt quod velit bonum, & propter bonum.*

7. Idem tandem dicas, quando objectum de ſe bonum aliqua afficitur circumſtantia mala, ut V. G. reddere debitum in loco ſacro. Tunc namque ea circumſtatia tametſi de ſe ſit mera circumſtantia, tamen induit quodammodo rationem objecti; quia qui vult objectum illud, vult illud ut ea circumſtantia affectum. Et quamvis circumſtantia illa abſolute loquendo non ſit per ſe volita, nihilominùs hic, & nunc eſt per ſe volita, ac directè intenta ſaltem implicitè, cùm hic, & nunc habeat per ſe afficere objectum, non quidem abſolutè inſpectum, ſed ut hic, & nunc obtinendum.

Profectò qui debitum reddere vult in loco ſacro, non intendit reddere debitum ut tale, ſeu reddere debitum, ut debitum, cùm non debitum, ſed indebitum ſit in tali loco. Solùm itaque delectationem intendit, quæ ſanè de ſe non bona moraliter eſt, & pejor tali efficitur circumſtantia; peſſima verò ſi id faciat, ut injuriam loco inurat ſacro, ideſt in loci contemptum, ut magis infra art. 4. §. 3. ad 1. & etiam ad ultim. arg.

Adde quòd objectum nequit eſſe bonum moraliter, niſi conſonum ſit rationi. Quoties autem objectum de ſe bonum eſt propter pravum finem; vel finis bonus eſt obtinendus per medium malum; vel prava aliqua circumſtantia comitatur non eſt rationi cohærens; cum ſynterefis dictet eſſe abſtinendum.

§. III.

Solvuntur oppugnantium argumenta.

8. ARg. 1. Qui V. G. jejunat ob inanem gloriam, implet jejunii præceptum, ſed impleri præceptum nequit per actum malum: ergo jejunium ob inanis gloriæ finem eſt bonum ſaltem ſecundùm quid. Maj. eſt communis doctrina Scriptorum, paucis demptis, & à nobis Deo dante tradetur in tract. de legibus q. 5. ſub finem quæſito 1. *dico* 3. Min. verò prob. Lex non præcipit actum, niſi bonum, ſecùs fæx eſſet, & non lex.

Reſp. nego min. Nam (ut ibidem docetur, & nos dicemus) etiam per actum peccaminoſum poteſt legi ſatisfieri, ut ab eo, qui audit ſacrum animo viſendi mulierem &c. Ad prob. diſt. ant. niſi actum bonum ex objecto ſecundùm rem in eſſe moris, concedo, ſecundùm modum, qui eſt benè, vel malè fieri, nego. Ut namque habet S. Th. p. 2. q. 96. art. 3. ad 2. & q. 10 art. 9. & 10. ac alibi, modus implendi præceptum non cadit ſub præcepto, ſed duntaxat ſubſtantia actus. Undè ad ſummum præcipit actum internum, qui eſt cum externo connexus, qui à nonnullis dicitur modus intrinſecus ipſius actus, ut V. G. cum attentione officium recitare. Ob idque etiam qui ob inanem gloriam officium recitaret attentè cum intentione ſatisfaciendi, faceret ſatis illi præcepto.

Nonnulla de ſacrilega communione paſchali, & annuali confeſſione dicentur in fine hujuſca ſolutionis.

Contra. Finis legis eſt facere bonos ſubditos; ſed ſubditi fiunt boni per hoc, quod benè bonum faciant: ergo & modum præcipit. Maj. eſt communis doctrina cum D. Th. p. 2. q. 92.

Reſp. diſt. maj. ita quòd talis finis cadat ſub præcepto, & obligatione, nego, ita ut ſit quid intentum ut non obligativè, concedo. Sic intentio rei præceptæ, & modus ex parte præcepti cadit ſub præcepto, imò eſt vita, & forma præcepti. At modus ſe tenens ex parte implentis, & finis per præceptum intentus, qui eſt facere bonos ſubditos, non cadit ſub præcepto: Ob idque S. Thom. part. 2. quæſt. 96. art. 3. ad 2. diait, finem legis non cadere ſub lege, ut cernitur in exemplo poſito præcepti jejunii, quòd habet pro fine carnis macerationem, & elevationem mentis in Deum, juxta illod, *qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas*; & tamen implere illud potes, tametſi lautè unica comeſtione cibos non vetitos comedas, & nullatenus caro per illud maceretur, ac mens in Deum elevetur.

In quo diſcriminatur præceptum Charitatis ab aliis præceptis juris Divini, naturalis, aut humani. Hæc ſiquidem in ſingulari impleri poſſunt, tametſi pravo fine actus adimpletivus vitietur. Non verò Charitatis præceptum, quod ex ſe reſpicit ultimum finem Divinum. Et ſic non poteſt impleri prava cum intenſione finis creati, ut ſcribit S. Th. p. 2. q. 109. art. 10.

Idem feſtinè dicetur de legibus præcipientibus etiam modum.

Præterea diſt. maj. Finis legis eſt facere bonos ſubditos, ſupponendo inter ventum alterius legis præcipientis modum, concedo, ſecùs, nego maj. & data min. nego conſeq. Qui namque ob inanis gloriæ finem dat indigenti eleemoſynam, tametſi impleat præceptum obligans ad eleemoſynam, proindeque contra iſtud minimè peccet; tamen peccat contra legem, prohibentem inanem gloriam.

Sit aliud pulchrum exemplum D. Th. p. 2. q. 100. art. 10. Præcipitur nobis honorare parentes. Per hoc præceptum non adigimur parentes honorare ex charitate, ſed præcisè obligamur honorare illos. Obligamur tamen honorare parentes ex Charitate per aliud præceptum, nimirum *diliges Dominum Deum tuum* quod eſt primum decalogi præceptum, & per quod obligamur cuncta in Deum ordinare.

Hic libet ſubjicere ex Salmant. doctrinam quandam D. Th. p. 2. q. 100. art. 9. Leges in duplici eſſe differentia: Quædam dantur de actibus humanis præcisè quoad ſubſtantium, & entitatem phyſicam, ſeu (quod idem eſt) quò ad bonitatem objectivam, ut quæ præcipit ſuccurrere indigenti, audire ſacrum, & hujuſmodi. Aliæ verò dantur de modo, & fine actuum, & conſequenter eorum de honeſtate, & bonitate formali, non quaſi formalis bonitas immediatè ſub lege cadat, quia cadit ex parte fundamenti quicquid requiritur, ut reſultet, ſicut ſe dixiſſe iidem Salm. ferunt in tract de vitiis, & peccatis diſp 6. dub. 2. ut lex Prudentiæ, quæ præcipit, ut morales actus debito modo fiant; & præceptum de dilectione Dei, quo jubemur illos omnes in Dei gloriam ſaltem virtualiter referre, juxta illud ad Cor. 10. *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, in gloriam Dei facite*. Leges igitur, quæ dantur de ſola actus ſubſtantia adimpleri poſſunt per actum qui nullam bonitatem formalem habet, dummodo circa objectum bonum verſetur, & ſit bonus materialiter, ut contingit in exemplis adductis. Lex namque de ſuccurrendis egenis præcipit duntaxat ſubſtantiam actus eleemoſynæ; & lex de audiendo ſacro auditionem ſacri ſecundùm ſubſtantiam.

Qua ex re infero Ego rationem, quare non ſatisfacit Paſchalis communionis præcepto indignè communicans (cujus oppoſitum damnavit Innoc. Papa XI. anno 1679. num. 55.) quia nimirum iſta eſt lex præcipiens etiam modum, quia Concilium Lateranenſe can. *omnes utriuſque ſexus* decernit, Euchariſtiam ad minùs in Paſchate debere ſumi, & quidem *reverenter* haud autem reverenter ſumit communicans ſacrilegè.

Qui autem ſcienter invalidè confitetur, ideo non ſatisfacit annuæ confeſſionis præcepto (cujus oppoſitum confixit Alex. VII. anno 1655. n. 14) quia talis confeſſio ceu non valida, non eſt Sacramentalis, quam, nimirum Sacramentalem, Eccleſia præcipit. At qui ob inanis gloriæ finem dat eleemoſynam, validè dat.

9. Arg 2. Bonitas ex objecto eſt actui eſſentialis: ergo præpediri haud poteſt, ne ei proveniat ex objecto bono, licèt malum propter finem volito.

Reſp. diſt. maj. Si actus tendat in illud ut bonum moraliter, concedo, ſecùs nego. Tunc autem tametſi objectum ſit de ſe moraliter bonum; ab actu tamen illo non attingitur ut tale, ideſt ut legi conforme, ſed ſub ratione mali, ſub qua procedit finis ille, ad quem ducit, ut ex dictis anteacto §. 2. niteſcit. Ideircò tunc eſt actus illius objectum ut malum.

Dices. Actus tendit in illud ut legi conforme; ſed ut legi conforme eſt bonum, quoniam ut q. præcedenti art. ult. ſcripſimus, regula eſt lex: ergo tendit in illud ut bonum. Prob. min. Per talem actum, ut prægreſſo num. 8. dictum eſt, implet legem: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. cujus ad prob. dato ant. nego conſeq. Etenim ad legem implendam ſat eſt, quòd quia faciat rem, quæ aliàs eſt legi conformis, tametſi non modo virtuoſo; nimirum faciendo illam reduplicativè ut legi conformem, quia modus implendi præceptum non cadit ſub præcepto, ut hactenus dictum eſt.

Inſt. Qui urgente præcepto elargitur eleemoſynam ob inanem gloriam, meliùs facit, quàm qui eam nullatenus impertitur, quia iſte præceptum implet; ſed qui meliùs facit, profectò bonum aliquod facit: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. meliùs facit, ſumpto ly *melius* adverſativè, concedo, comparativè, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Quamquam etenim grammaticaliter ly *melius* ſit ſemper comparativum, tamen moraliter interdum ſumitur adverſativè, ut cùm Apoſtolus ſcribit *melius eſt nubere, quàm uri;* & tamen certè uri nunquam eſt bonum. Itaque minùs malè ille operatur.

10. Arg. 3. Actus quilibet virtuoſus eſt moraliter bonus, cùm actus omnis virtuoſus debeat eſſe honeſtus, ſed actus, quo quis ob inanis gloriæ finem dat eleemoſynam, eſt virtuoſus; ergo &c. Prob. min. Actus qui eſt ab habitu virtutis eſt virtuoſus; ſed præfatus actus eſt ab habitu Charitatis, cùm haud alius ſit excogitabilis habitus, à quo eliciatur; ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego min. cujus ad annexam prob. dicitur, actum illum à nullo habitu eſſe, ſed à voluntate ex ſe. Vel eſſe ab habitu vitioſo inanis gloriæ, cùm ut §. 2. diximus, attingat objectum ſub ratione illius mali finis.

Dices. Actus, qui producit, vel auget habitum virtutis eſt ab habitu virtutis; ſed ex repetitis illis actibus elargiendi eleemoſynam ob inanem gloriam augetur miſericordiæ habitus: ergo &c. Prob. min. Habitus dantur ad faciliter operandum; ſed qui repetitos elicit actus elargiendi eleemoſynam ob inanem gloriam, majorem in ſe experitur facilitatem ad dandas eleemoſynas: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. ad faciliter operandum ob finem illum, ob quem habitus datur, & ad quem habitus tendit, concedo, ſecus, nego maj. & diſtinguo min. majorem experitur facilitatem ad dandas eleemoſynas ob inanem gloriam, concedo, ob finem honeſtum, nego min. & conſeq. Ob idque ſolùm ſequitur, eſſe ab habitu inanis gloriæ. Cujus ſignum eſt, quòd majorem experitur difficultatem ad illas ob honeſtum finem dandas; quia vincere debet malam vitioſi illius habitus inclinationem.

Vel cum aliis Reſp. quòd majorem experitur facilitatem in potentiis externis, at non in potentiis internis. Quæ facilitas in externis potentiis facit apparere quòd non eſt.

Inſt. à pari. Actus Fidei Theologicæ poteſt eſſe ob inanem gloriam: ergo pariter & actus miſericordiæ, adeoque ex habitu miſericordiæ.

Reſp. nego conſeq. Diſcrimen poſt Jo: à S. Th. & Salm. aſſignat Guerinois, quia reſpectu Fidei Theologicæ, ceu virtutis intellectualis, per accidens ſe habet, quòd benè, vel malè actus fiat, cùm bonitas moralis ad voluntatem, & non ad intellectum ſpectet.

11. Arg. 4. Si quælibet circumſtantia mala humanum actum omni morali bonitate fraudaret, eumque moraliter malum redderet, nullum fermè eliceremus actum, qui bonus foret moraliter, & præmii meritorius, imò cuncti actus noſtri evaderent moraliter mali, & pœna digni; ſed durum ſatis hoc videtur; ergo &c. Prob. maj. Spectata infirmitatis humanæ conditione videtur impoſſibile, quin circumſtantia aliqua mala in actibus noſtris interveniat, juxta illud Iſaiæ *omnes actiones noſtræ quaſi pannus menſtruatæ*: ergo ſi &c. Eò vel maximè quòd antegreſſo §. 2. ſcripſimus cum Dionyſio, & D. Th. bonum eſſe ex integra cauſa, & malum ex ſingulis defectibus.

Reſp. conceſſa maj. diſt. min. durum videtur abſolutè prolatum, concedo, cum duabus ſequentibus adnotationibus, nego. Prima, quòd non quæcunque mala circumſtantia ſufficit ad reddendum mortale peccatum ipſum actum; ſed ſi circumſtantia mala eſt mortiferum peccatum, actus eſt lethale peccatum; ſed iſta non adeo frequenter evenit. Si circumſtantia eſt materia peccati venialis, totus actus eſt peccatum veniale. Nec tamen tunc duplex committitur peccatum, quicquid dixerit nonnemo apud Jo: de S. Th. Non, inquam, quia (ut anteacto §. 2. dictum eſt) principia illa licèt ſeorſim duo ſint; tamen per modum unius ſe habent.

Imò in ſuſceptione Sacramentorum, quæ indiviſibili modo fit, tametſi fiat cum peccati venialis circumſtantia, taliſque ſuſceptio ſit peccatum veniale, nullatenus impedit collationem gratiæ, ſive gratiæ augmentum, dummodo ſuſcipiens ſit in gratia; quia veniale non obſtat gratiæ collationi. Verum eſt tamen, quòd tunc talis gratiæ collatio, vel augmentum fit, non ex opere operantis, quod malum eſt, ſed ex opere duntaxat operato. De quo lege Jo: à S. Th. loco perſæpè citato ex p. 2. ubi hanc agit difficultatem, & etiam Salmant.

Secunda adnotatio eſt ex D. Th. p. 2. q. 19. art. 7. ad 2. quòd licèt complurimum circumſtantia aliqua mala in noſtris actibus interveniat, tamen plerumque non afficit totum actum, ſed duntaxat vel initium, vel medium, vel finem. Ideircò licèt eam operis partem, quam afficit, malam reddat; non tamen totum efficit opus malum, ſed hujuſcemodi opus ſecundùm reliquas ſui partes, mala circumſtantia non affectas, bonum eſt, & præmio dignum; ac interdum ſua bonitate, & perfectione longè ſuperat defectum, qui in altera ex partibus accidit.

12. Arg. 5. In naturalibus bonitas naturalis alicujus rei ſtare cum aliquo ejus defectu poteſt, ut palam eſt in Homine, cui alter oculorum deſit; ergo & in moralibus bonitas eſſentialis, quæ ex objecto ſumitur, ſtare cum malitia ex fine, vel alia circumſtantia poterit. Paritas videtur deſumpta ex D. Th. p. 2. q. 18. art. 1.

Conf. ex Juriſtarum regula, quod *utile per inutile non vitiatur lib. 1. de verb. oblig.*

Reſp. ad arg. permiſſo ant. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia naturalis bonitas deſumitur ab eo, quod res eſt, vel non eſt. At moralis bonitas deſumitur per conformitatem ad legem, & ad Prudentiam. Prudentia autem dictat, & imperat objectum benè circumſtantiatum. Solutio alia apud Guerinois hic §. 2. ad 2.

Dixi *permiſſo ant.* Tum quia non extat malum phyſicum verè tale, ut in Meth. dicetur agendo de bonitate. Tum quia etiam in naturalibus turpis etiam vultus ille dicitur, qui una duntaxat parte deformis extat.

Ad Conf. Reſp. Regulam illam intelligendam fore juxta dicta nuper num. 11. cum D. Th. nimirum quòd defectus V. G. qui fuit in principio non vitiat actum in medio, &c. Vid. ibi.

13. Arg. 6. S. Th. in 3. ſent. diſt. 36. q. unica art. 5. ſub finem corporis: *contingit*, inquit, *actum habere bonitatem ex materia* (ideſt ex objecto) *& tamen eum malè fieri propter indebitas circumſtantias.* Et iterum ibi ad 2. *illa*, inquit, *bonitas, quæ eſt ex genere* (ideſt ex objecto) *manet in actu, quantumcunque per alias circumſtantias in-*

debitas

Google

debitas deordinetur. Undè non dicitur actus, qui eſt bonus ex genere, male fieri; quia privetur ab eo bonitas ſui generis, ſed quia privatur bonitate circumſtantiarum.

Reſpondent nonnulli, ibi S. D. fuiſſe locutum, non ea proprio ſenſu, ſed ut commentatorem Petri Lombardi.

Alii cum Alvarez, & Martinez, quos ſequitur Guerinois hic, dicunt, S. Th. intendere, quòd actus ille maneat bonus negativè, non poſitivè.

Dices. Idem S. D. p. 2. q. 18. art. 4. poſt dinumeratas in corpore quatuor bonitates, quæ actioni humanæ competere poſsunt, ad 3. *nihil prohibet*, inquit, *actioni habenti unam prædictarum bonitatum deeſſe aliam; & ſecundùm hoc contingit, actionem, quæ eſt bona ſecundùm ſpeciem ſuam, vel ſecundùm circumſtantias, ordinari ad malum finem, vel è converſo; non tamen eſt actio bona ſimpliciter, niſi omnes concurrant.*

Reſp. communiùs cum Cornejo. Jo: à S. Th. Salm. & aliis S. Th. loqui in ſenſu diviſo, & ſucceſſivè.

Ut quid meo inſedit animo proferam, dico, Angelicum, ut puto, hac in re problematicum fuiſſe.

14. Arg. 7. de eo adulto, qui ob inanem gloriam baptiſmum ſuſciperet, cujus intentio, licèt mala, foret ſimul bona, cùm ſufficeret ad juſtificationem. Et

Conf. in eo, qui ob inanem gloriam martyrium ſubiret.

Hoc arg. fusè ſolvunt Jo: à S. Th. Salm. & alii ubi ſupra negando, quòd talis intentio foret ullo modo bona; ſicut & negando, quòd ad juſtificationem ſufficeret. Reciperet namque Sacramentum informe, quoniam in adulto baptiſmum ſuſcipiente ex fine inanis gloriæ, ceu non exiſtente in gratia, unica diſpoſitio eſt contritio, vel ſupernaturalis attritio. Ob idque iſti, utpote non diſpoſito, nec ex opere operato gratiam conferret.

Item ad conf. negant, illum tunc ullo modo benè operari, ac negant, tunc verum intervenire martyrium, nec talem ſic morientem, dicunt, martyrem fore. Videantur ipſi.

15. Arg. denique. Duæ qualitates contrariæ ſaltem in gradu remiſſo ſtare ſimul queunt; ergo & bonitas, ac malitia, quamquam opponantur.

Reſp. diſcrimen eſſe, quia qualitates naturales opponuntur duntaxat ex parte ſubjecti, bonitas verò, & malitia opponuntur & ex parte ſubjecti, & ex parte objecti.

16. Ex dictis inferas, quàm rationabiliter in concluſione dixerim *Salva oppoſitæ ſententiæ probabilitate*. Eſt namque non contemnendis ſuffulta argumentis tum ab authoritate, tum à ratione, tum à paritatibus, adeo ut, ni tot virorum inſignium obſtitiſſet caterva, eam poſtbabitam minimè habuiſſem.

ARTICULUS TERTIUS.

Num idem actus moralis poſſit ſimul habere vel duplicem bonitatis, vel duplicem malitiæ ſpeciem.

§. I.

1. VIſum eſt unicè Gabrieli Vaſquez p. 2. diſp. 51. quòd idem actus humanus, nequeat ſimul duas bonitatis moralis ſpecies obtinere; licèt de duplici malitiæ ſpecie id annuat, ſed quadam cum diſtinctione videnda apud Jo: à S. Th. ubi ſupra num. 4.

Dixi *unicè*, quia licèt Vaſquez pro ſe alios citet, imò omnes, quos pro ſe adducit Jo: à S. Th. p. 2. q. 18. diſp. 9. art. 5. à n. 2. ut Okam in 3. q. 12. art. 3. Almaynum diſt. 23. q. 1. Martinum de Magiſtr. tract. de Intemperantia, imò (quod majus eſt) Ferrarienſem 3. contra Gentes c. 8. Tamen, ut obſervant Salm. p. 2. tract. 11. diſp. 6. dub 3. §. 3. Ferrarienſis oppoſitum tenet. Et mirum eſt, quomodo pro ſe citare illum potuerit Vaſquez. Item Almaynum, Martinum, & Okam explicat Cornejo, ac probat, talem nullatenus opinionem tenuiſſe.

Oppoſitum autem univerſi tenent Theologi, ac Philoſophi morales, dogmatizantes, quòd ſi quis det eleemoſynam in ſatisfactionem pro peccatis ſuis, actus ille habeat bonitatem moralem, non tantùm ex objecto miſericordiæ, verùm etiam ex fine pœnitentiæ.

§. II.

CONCLUSIO.

Poteſt idem actus humanus duplicem habere vel bonitatis, vel malitiæ moralis ſpeciem; unam nimirum ex objecto, & alteram ex finem operantis.

2. S. Thomæ clara eſt mens repetitis in locis, quæ referunt Salm. & præſertim 3. p. quæſt. 85. art. 2. ad 1. ubi *dicendum*, ſcribit, *quod à charitate derivatur aliquis actus dupliciter; uno modo ſicut ab ea elicitus; & talis actus virtuoſus non requirit aliam virtutem præter charitatem: ſicut diligere bonum, gaudere de eo, triſtari de oppoſito. Alio modo aliquis actus à Charitate procedit, quaſi à charitate imperatus; & ſic quia ipſa imperat omnibus virtutibus, utpote ordinans eas in finem ſuum, actus à Charitate procedens, poteſt etiam ad aliam ſpecialem virtutem pertinere*. Ex quibus infert, *quòd intentio operandi ad expiationem peccati præteriti requirit ſpecialem virtutem ſub Charitate.*

3. Quoad actus malos id habet S. D. ſicut & iterum quo ad bonos 2. 2. q. 85. art. 3. Videri etiam luculentiùs idem poteſt Angelicus eadem 2. 2. q. 32. art. 8. in corp. & denuo, ac præcipuè ad 2. Item in 3. ſent. diſt. 33. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 1. & diſt. 27. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 3.

Vid. Salm. ubi ſupra planè aperientes S. Præceptoris mentem, quam Vaſquez ſuum ad arbitrium pertrahere conabatur.

4. Prob. 1. ratione ejuſdem S. D. Ad perferendam ſui necem per martyrium propter Charitatis finem non ſufficit Sola Charitas abſque fortitudinis habitu; ſed quoties duæ virtutes ad eundem concurrunt actum, iſte utriuſque bonitatem ſortitur: ergo &c. Prob. maj. quam inficiatur Vaſquez. In actu effundendi ſanguinem, mortemque ſubeundi propter quemcunque finem, ſpecialis adeſt difficultas, quæ Charitatis ad lineam non attinet; ſed ubi obviat ſpecialis difficultas ex parte alicujus actus, opus eſt ex parte principii ſpeciali virtute; ergo &c. Maj. neminem præterit, quem non prætereat, quòd hujuſcemodi ſuperanda difficultas eſt propria virtutis fortitudinis, cujus eſt firmare animum in bono contra mortis periculum. Min. ex eo conſpicua eſt, quòd virtus eſt circa difficile, & virtutes ſuppeditantur ad difficultates devincendas.

Reſpondes, ex virtutibus quamlibet ad difficultates ſuperandas ſufficere quæ ejus præpedire valent actum; ſicque eam totam, quæ in Martyrii ſeſe offert actu, vinci à Charitate.

Sed contra. Et primodum non ſolvit noſtram probationem, quæ loquitur de difficultatibus extraneis, non de intraneis illi actui, de quibus ſolis valet, ſi quidquam valet, ſolutio.

Adde, quòd diverſis vitiis adverſantur.

Præterea (ut benè Jo: à S. Th. & Salm.) Si ſola Charitas ad omnium ſufficit virtutum actus eliciendos in quacunque materia, quandocunque ad ejus finem ordinantur, ſequitur, ſuperfluas eſſe virtutes cunctas morales.

Sanè omnino ſtultè, ac hæreticè, ne dicam Judaicè, aut Ethnicè, diceretur, actus omnes morales Chriſti Domini non habuiſſe actualem Charitatis ordinationem in ſupernaturalem finem ultimum; & tamen itidem ſtultè diceretur, Chriſtum Dominum nullius alterius virtutis actum exercuiſſe, cæteraſque in eo virtutes perpetuo fuiſſe torpentes otio. Quo ex abſurdo aliud non inferius ſequitur, nimirum nullas in Chriſto extitiſſe virtutes acquiſitas, cùm iſtæ nonniſi propriis acquirantur actibus.

5. Prob. 2. Quoties diverſæ ſpeciei concurrunt principia, plures debent bonitatis, aut malitiæ ſpecies habere, ſed cùm quis dat indigenti eleemoſynam ad expianda peccata, aut cùm quis furatur ut mæchetur, in primo concurrunt duo ſpecie diſtincta bonitatis moralis principia, & in ſecundo duo moralis malitiæ principia ſpecie diverſa: ergo & in primo actu duplex ſpecie bonitas, & in ſecundo duplex ſpecie moralis malitia habetur. Maj. eſt indubia, quia conſpeximus quæſt. præcedenti, moralitates diſtingui juxta diverſa principia. Min. quoque dubietatem non admittit; Concurrunt namque objectum, quod dicitur finis operis, & ſimul concurrit finis operantis.

Reſpondebis 1. quòd principia illa, licèt in ſe diverſa,

Digitized by Google

attinguntur per modum unius ; quia unum attingitur ut conduceus ad alliud, quemadmodum nos antegreſſo art. §. 2. ſcripſimus ; objectum de ſe bonum intentum propter malum finem attingi per modum unius ſimul cum tali fine ; quia attingitur ut ad iſtum conducit.

Reſpondebis 2. cum Vaſquez, quòd eſtò ſint duo, tamen unum impedit aliud . Sed

Contra primum. Objectum bonum conducens ad finem bonum, eſtò quatenus utile attingatur per modum unius cum illo; & eadem ſub ratione formali; tamen ut quid in ſe honeſtum, ſive bonum honeſtum, vel ut quid habens in ſe appetibilitatem phyſicam, & naturalem, poteſt quoquè ut in ſeipſo attingi; ſed hoc, quod eſt dare indigenti eleemoſynam in expiationem peccatorum, ultra illam pœnitentiæ honeſtatem habet quoque in ſe honeſtam miſericordiæ bonitatem, & habet quoque, vel habere poteſt bonitatem aliquam, & appetibilitatem naturalem, ut puta quia ille indigens eſt conſanguineus, vel affinis aut amicus, &c. ergo & ſub alia poteſt ratione attingi in ſe, ſicque ut diſtinctum principium diſtinctam conferre bonitatem moralem, phyſicam, &c.

Cohæret hoc, cum eo, quod ſcripſimus in Logica, cùrando, in prodromis art. 6. Non ſolum ſyllogiſmum; verùm etiam terminos, & propoſitiones eſſe Logicæ primarium objectum.

Sanè & elementa ad mixti ordinantur compoſitionem; & tamen conſideratur illorum quodlibet in ſe. Ita &c. Cum hac differentia, quòd adductis in caſibus talia objecta, ceo eadem ſub ratione formali attacta ſpectant eandem ad ſcientiam. At quod probare modò ipſe intendo, eſt, poſſe quidpiam attingi, & in ordine ad aliud ſecundùm unam rationem, & etiam ut in ſe aliam ſecundùm rationem.

Et quòd reapſe in caſu attingatur etiam ut in ſe tale objectum, deducitur ex dictis num. antegreſſo, ubi conſpeximus per diverſam attingi virtutem.

Ad id autem, quod ſubjiciebatur de anteacto art. dictis Reſp. diſparem eſſe rationem; quia licèt utrumlibet poſſit in ſe attingi, tamen tum unum nimirum malum, impedit aliud, nimirum bonum, ne attingatur ut in ſe bonum; quia bonum, & malum opponuntur. At in caſu noſtro nulla extat oppoſitio, cùm ambo principia ſint bona, vel ambo mala. De hoc lege Salm p. 2. non ſolùm ubi ſupra; ſed & magis ibi præcedenti 8. tract. diſp. 3. dub. 2. Ubi pandunt, qualiter objectum poſſit attingi ab eodem actu ut eſt electio, à quo ut intentio eſt attingitur finis; quia intentio & electio eſtò interdum ſint duæ actiones, tamen nonnunquam una, eademque actio poteſt utriuſque munus reſpectu diverſorum præſtare.

Contra ſecundum reſponſum. Eatenus una forma aliam impedit, quatenus ei opponitur; ſed in caſu non intervenit oppoſitio; quia nec bonitas bonitati, nec malitia malitiæ adverſatur ; ergo una alteri impedimentum minimè apponit.

6. Prob denique. Bonitas, & malitia moralis petuntur per conformitatem, vel difformitatem ad rationem; ſed in caſu elargitio eleemoſynæ ob expianda peccata, binam obtinet conformitatem ad rationem; & furtum propter luxuriandum, duplicem ſortitur difformitatem ad rationem; ergo &c.

§. III.

Solvuntur oppugnantium argumenta.

7. ARg. 1. Tunc duntaxat actus moralem bonitatem ab objecto ſortitur, quando iſtud objectum eſt volitum ratione ſui; ſed cùm quis eleemoſynam largitur ob ſatisfaciendum pro peccatis, objectum ejuſdem actus eſt volitum ratione finis pœnitentiæ, ad quem ordinatur, non verò ratione ſui ; ergo &c. Maj. eſt doctrina Philoſophi 2. Ethic. cap. 4 & iterum 6. Ethic. cap 12. ubi ſcribit, objectum tribuens bonitatem moralem debere amari propter ſeipſum, hoc eſt propter ſui bonitatem.

Reſp. primitèr min. eſſe veram ex opere operantis, at non ex opere operato. De quo art. ſequenti fusè. Deinde nego min. vel diſt. illam ut præcisè utile eſt ad finem illum, concedo, ut eſt quid etiam in ſe honeſtum ; & appetibile nego, min. & conſeq. Reſponſum nitet ex dictis retroacto §. 2. num. 5. refellendo primum reſponſum. Redintegrentur ibi dicta.

Contra. Etiam objecti honeſtas eſt utilis, & conducit ad finem illum : ergo ſi ut utile non eſt volitum ratione ſui, nec ratione ſuæ honeſtatis in ſe erit volitum.

Reſp. diſt. ant. & aliàs poteſt inſpici dupliciter, nimirum & ut utilis ad finem, & etiam in ſe, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Reſponſum iterum clareſcit ex dictis hic redintegrandis.

Dices. Sequeretur ex hoc, quòd una, eademque voluntatis actio foret electio ſimul, & intentio reſpectu ejuſdem; ſed hoc falſitate laborat : ergo &c. Maj. declaratur. Siquidem actus, quo aliquid eſt volitum ut utile, & medium ducens ad aliud, eſt electio, quæ verſatur circa media; actus verò, quo aliquid amatur propter ſe, eſt intentio : ergo ſi eodem actu &c. Min. verò prob. Idem actus intellectus nequit verſari circa principia, & circa concluſiones : ergo pariter neque idem voluntatis actus circa media & finem, &c. Eò vel maximè quòd electio ab intentione effectivè cauſatur; præſertim ſi Thomiſticis inſiſtas principiis.

Reſp. diſt. maj. reſpectu ejuſdem ſecundùm eandem rationem, nego, reſpectu ejuſdem ſecundùm diverſam rationem, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Igitur cùm prima intentio ſit circa finem, qui non ordinatur ad alium finem, non eſt, niſi intentio. Aſt quando eſt circa aliquid, quod ad aliud ordinatur, poteſt optimè utrumque munus exercere, nimirum & intentionis intendendo illud in ſe, & electionis intendendo illud, ut ad illum alium finem ducit.

Ad probationes Reſp. diſt. ant. Idem actus intellectus nequit verſari circa principia, & concluſiones in ordine ad idem, concedo, in ordine ad diverſa, nego. Exploratum ſiquidem eſt, quòd idem actus intellectus inferens ex aliquo principio concluſionem aliquam, hanc attingere valet ut illatam, & inferentem aliam V. G. cum quis infert *nunc hora ter quina eſt : ergo Sol in noſtro extat Hemiſphærio*, jam eundem per actum, quo intulit *ergo Sol eſt in Hemiſphærio noſtro*, quoque cognoſcit, lucem eſſe noſtrum diffuſam per aerem, adeoque cognovit illam primam illatam concluſionem ut principium relatè ad aliud, nimirum ad lucem. Sic etiam circa idem quidem objectum, ſed diverſas ſecundùm rationes, eſt eadem actio intentio, & electio. Eſt enim electio talis objecti; quod eſt finis operis, non tamen in ordine ad tale objectum, ſed relatè ad operantis finem.

Per quod habes ad 2. prob. Nam intentio eſt cauſa electionis in ordine ad id, ad quod eſt intentio. Unde tunc illa intentio finis operantis cauſat effectivè electionem illius objecti, quod eſt operis finis; at illius objecti intentio non cauſat effectivè electionem ejuſdem objecti; ſed cauſavit effectivè electionem aliorum mediorum : V. G. Imperium, quo voluntas imperat motionem manus ad extrahendam è crumena pecuniam pro danda eleemoſyna, &c: Vel, & meliùs, eadem intentio finis operantis ut eſt intentio talis finis cauſat electionem objecti, ut verò eſt ſimul intentio objecti cauſat aliam electionem mediorum conducentium ad objecti conſecutionem, nimirum imperium extrahendi è crumena pecuniam.

Inſt. Poteſt quiſpiam tali affici animo, quòd eleemoſynam non daret, niſi forent peccata expianda : ergo tunc nullatenus intendit objectum miſericordiæ ut in ſe; & tamen etiam tunc juxta probationes noſtras foret ob habitum Miſericordiæ, quia actus foret in materia miſericordiæ.

Reſp. primitèr, quòd fortaſſis tunc foret peccatum veniale, totuſque actus foret malus juxta dicta art. antegreſſo. Quandoquidem tametſi non teneatur forſan ad illam eleemoſynam dandam, eò quòd forſan pro illo tunc non urgeret præceptum; tamen non eſt licitum ſic parvipendere conſilium oſtendendo animum veluti ſic alienum ab eo.

Præterea quòd tunc eſtò non intenderetur ex opere operantis ; intenderetur tamen ex opere operato. De quo art. ſequenti fusè. Denique dato ant. nego conſeq. Ex eo namque, quòd eo ceſſante fine eleemoſynam minimè daret, duntaxat ſequitur, quòd finis ille ſit conditio ab eo requiſita, non verò ratio formalis. Ob idque cùm illam vult propter eum finem, hujuſcemodi finis non erit ratio formalis volendi talem finem ; adeoque ratio formalis

malis eam volendi erit bonitas, ſive honeſtas tali eleemoſynæ intrinſeca; proindeque iſta ut ratio formalis poteſt eſſe propter ſe volita.

Alia via incedit Joan. à S. Th. concedens, tale objectum non eſſe propter ſe volitum, & pluribus modis explicans Philoſophum in arg. adductum. *Legere poteris* ipſum p. 2. ubi ſupra à n. 57. & ſeqq.

8. Arg. 2. Nequit in eſſe naturali idem V. G. Homo eſſe in duplici ſpecie: ergo nec in eſſe morali &c.

Reſp. primitùs, omiſſa ſolutione Guerinois, quòd arg. nimium probat, ſi quid probat. Etenim probat; quòd neque ſucceſſivè idem actus queat duplicem obtinere moralitatis ſpeciem. Cujus oppoſitum communiter docetur, ut conſpeximus prægreſſo art. 2. §. 2.

Præterea Reſp. 1. cum nonnullis, quòd ex illis duabus ſpeciebus reſultat una tertia ſpecies, in qua eſt actus; quemadmodum ex mixtione unam tertiam reſultare eſſentiam, & ſpeciem ſcripſimus in lib. de Gener. & Corrup.

Reſp. 2. cum aliis diſt. ant. in duabus ſpeciebus, quarum utraque ſit eſſentialis, concedo, una eſſentialis, & altera accidentalis, nego ant. & diſt. conſequens eodem modo. Species namque, quam actus ab objecto ſortitur eſt actui eſſentialis, & quam à fine operantis, vel à circumſtantiis venatur, eſt ei accidentalis, ut art. ſequenti dicetur. Non repugnat autem, eandem rem etiam in eſſe naturali eſſe in duplici ſpecie, una eſſentiali, & altera accidentali; quemadmodum Petrus eſt in ſpecie Hominis ei eſſentiali, & etiam in ſpecie albi, quanti, &c.

9. Arg. 3. Idem habitus nequit ſimul eſſe in duplici virtutis ſpecie, puta nequit eſſe ſimul habitus Juſtitiæ, & Miſericordiæ: ergo neque actus, &c.

Reſp. nego conſeq. & par. Diſcrimen eſt, quia habitus ſi duplici foret in ſpecie, utraque foret ei eſſentialis. Eatenus namque ſaltem una eſt actui accidentalis, quatenus non ex ſui natura, ſed ex libertate volentis ordinatur ultra ſuum objectum. At habitus ſuapte natura ad utrumque inclinaret; quia habitus quamquam quò ad actualem uſum ex noſtra pendeant libertate, quia habitibus utimur quando volumus; tamen ſuapte natura dant inclinationem.

Diſparitates aliæ legi apud Beccanum poſſunt in Theologia tract. 1. cap. 4. q. 4.

Nonnullæ D. Th. authoritates videri poſſunt explicatæ apud Salm. & Jo: à S. Th.

10. Collige ex dictis, quòd quando idem actus duplici polleт bonitate morali, eſt quidem à duplici virtute; non tamen ab utraque elicitivè, ſed ab una elicitivè, & ab alia imperativè, V. G. cùm quis dat indigenti eleemoſynam in ſatisfactionem peccatorum, talis actus eſt elicitivè à virtute Miſericordiæ, & imperativè eſt à virtute Pœnitentiæ.

Collige præterea, quòd dum actus duplici afficitur malitia, eſt duplex peccatum; quia licèt ſit unus actus in eſſe naturali; tamen eſt duplex in eſſe moris.

Alia nonnulla videri apud reliquos Scriptores poſſunt de his, & præſertim apud Jo: à S. Th. qui præ cæteris rem pertractat p. 2. ubi ſupra. Non inutile quoque fuerit videre Maſtrium in 2. ſent. diſp. 5. quæſt. 4. art. 5. difficultate prima, & ſecunda.

ARTICULUS QUARTUS.

Quænam moralitatis ſpecies ſit eſſentialis actui habenti duas, unam ex objecto, alteram ex fine, vel circumſtantiis.

§. I.

1. JAm ex prægreſſo art. non infrequenter dictis liquet, nomine finis venire, non ipſum objectum, quod eſt finis operis, ſed finem operantis, quem Jo: à S. Th. p. 2. q. 7. art. 3. ad 3. vocat circumſtantiam primariam, ut cùm quis propter Mæchiam furatur; ad differentiam circumſtantiarum, quæ nec operantis finis ſunt, ut cum quis V. G. in loco ſacro coire vult, vel cum perſona ſacra (ubi circumſtantia addit ſacrilegii ſpeciem) niſi tamen circumſtantia, quæ de ſe eſt ſecundaria, induat finis conditionem, ut ſi quis vult V. G. cum muliere N. mæchari, ut viro N. ejus marito injuriam inurat: tunc enim circumſtantia illa eſt primaria, & finis operantis, ratione cujus ultra mæchiæ malitiæ, actus ſubit injuſtitiæ malitiam, quam tamen ab ea circumſtantia reciperet tametſi primaria non foret, ut infra dicetur, licèt non eodem modo, hoc eſt non ita de primario. Idem dic ſi quis in Eccleſia fornicetur, ut loco (terribili in ſcripturis dicto) injuriam irroget. Tunc enim ultra luxuriæ, & ſacrilegii malitiam, additur malitia injuſtitiæ, non tantùm generalis, quæ in omni involvitur peccato, ſed & ſpecialiter dictæ.

2. Hac in controverſia varii, & varii dicendi ſunt modi.

Vaſquez part. 2. diſp. 5. cap. 2. & ſuper art. 3. quæſt. 8. circa ſolutionem primi arg. contendit, primam, & eſſentialem ſpeciem in genere moris cujuſcunque actus voluntatis illam eſſe, quæ ex operantis ſumitur fine. Et loquitur tum de electione, tùm de intentione; quia objectum, quod eſt medium ad illum finem, non per ſe, ſed duntaxat propter finem eſt appetibile. Cujus oppoſitum contra eundem Vaſquez tutati ſumus prægreſſo art. §. tum 1. tum 2.

PP. Salm. p. 2. tract. 11. dub. 4. cùm juxta dicta vel à nobis art. antegreſſo §. 3. ad 1. teneant, eandem actionem poſſe reſpectu diverſorum eſſe electionem, & intentionem, reſolvunt ibi §. 2. quòd ſi reduplicativè loquamur talis actio ut electio eſt, ſpecificatur eſſentialiter ab objecto, ut verò intentio eſt ſpeciem eſſentialem habet à fine & accidentalem ab objecto, quod eſt medium. Abſolutè autem loquendo ulla abſque reduplicatione dicunt §. 3. quòd ſpecies, quam habet ab objecto, eſt eſſentialis, quam verò à fine habet, eſt accidentalis.

Verùm id, quod primo loco dicunt de illa reduplicatione videtur locum habere non poſſe. Etenim (ut olim jam dixerat Jo: à Th.) quemadmodum in eſſe naturæ non eſt poſſibile, quòd idem etiam diverſam ſecundùm rationem duas habeat ſpecies, ſaltem totales atomas, niſi iſtæ ſe habeant per modum ſuperioris, & inferioris, generis, & differentiæ, ut in Homine ratio ſubſtantiæ corporis, viventis, ſenſitivi, & rationalis: Ita in eſſe moris impoſſibilitatem redolet, quòd idem duas obtineat totales ſpecies atomas ex æquo etiam diverſam ſecundùm rationem. Eò vel maximè quòd iſtæ diverſæ ſpecies moralitatis nequeunt ſe habere per modum ſuperioris, & inferioris, generis, & ſpeciei, cùm ſint atomæ V. G. furti, & mæchiæ; & rurſus de ſe diſparatè penitùs ſe habent,

Idcircò reor, quòd in tali caſu, eſſe electionem ſit potiùs proprietas quædam conſecuta; non quidem quòd electio abſolutè ideſt in univerſum ſit proprietas intentionis abſolutè (Tum quia interdum ſeparantur; Tum quia intentio, ſaltem in ordine ad diverſa cauſat effectivè electionem, ut etiam præacto art. §. 3. ad 1. arg. dictum ſuit) ſed quòd electio, non quæcunque, eſt proprietas intentionis, non cujuſcunque, ſed duntaxat illius intentionis, quæ eſt intentio ſimul, & electio in ordine ad diverſa, modo ibi dicto. Imò ipſimet Salm. poſtea §. 3. n. 65. ſub finem in Conſ. vocant has reduplicationes accidentales.

Sententia autem, quam communiùs Scholarum Proceres excipiunt, eſt, quòd ſpecies, quam actus habet ab objecto, ſit jugiter eſſentialis; ea verò, quam obtinet, ſive à fine ſive à circumſtantiis, ſit accidentalis. Hanc tuentur Thomiſtæ, & reliqui, quos refert, & ſequitur Maſtrius in 2. ſent. diſp. 5. q. 4. art. 5. difficul. 2. à n. 234. ad 278.

§. II.

CONCLUSIO.

Quoties actus duas ſortitur moralitatis ſpecies, ex objecto unam, & ex fine, aut circumſtantiis alteram; ea, quæ ex objecto habetur, eſt eſſentialis, quæ verò ex fine, aut circumſtantiis eſt ei accidentalis.

3. TAlis eſt in terminis doctrina S. T. p. 2. q. 18. art. 2. ubi docet, *quòd primum malum in actionibus eſt ex objecto* & art. 4. ubi percenſendo quatuor bonitates in actu. *Prima*, inquit, *eſt ſecundùm genus, prout ſcilicet eſt actio. Alia ſecundùm ſpeciem, quæ accipitur ſecundùm objectum conveniens. Tertia ſecundùm circumſtantias quaſi ſecundùm accidentia quædam. Quarta ſecundùm finem, quaſi ſecundùm habitudinem ad bonitatis cauſam*, ideſt quia finis movet ad agendum. En itaque quòd de ejus mente malitia, vel bonitas moralis, quæ eſt ex objecto, eſt prior aliis, ideoque eſſentialis, & aliæ accidentales. Item p. 2. q. 7. art. 3. ad 3. aſſeverat, operantis finem non dare actui ſpeciem ſubſtantialem, ſed eſſe circun-

Digitized by Google

cunſtantiam ejus, ut ſi quis fortiter pugnaret ob Patriæ liberationem, ſpecies eſſentialis illius actus non ſumitur ex liberatione Patriæ, ſed ex bono fortitudinis, ut adnotat Serra p.2.q.18. art.6.

Aliæ D. Th. authoritates legi poſſunt apud Jo: à S.Th. p.2.q.18. diſp 9. art.5. n.40. & 41.

Prob. 1. Malitia, vel bonitas moralis eſſentialis actus debet eſſe jugiter invariabilis; ſed ſola malitia, vel bonitas ex objecto deſumpta eſt ſic invariabilis: ergo iſta ſola eſt eſſentialis. Præmiſſæ videntur non indigere probatione. Maj. quidem, Tum quia accidens eſt illud, quod poteſt adeſſe, & abeſſe abſque ſubjecti corruptione. Tum quia cùm ſpecies eſſentialis ſit ipſa rei eſſentia, nequit variari, niſi deſtructo eo, cujus eſt ſpecies, adeoque nequit ſpecies eſſentialis actus moralis deficere, non deficiente actu illo ab eſſe moris. Min. quoque tum quò ad p. p. Nam furtum eſt perenniter in ſpecie injuſtitiæ, ſive propter mæchiam, ſive alium propter finem perpetretur, nec poteſt committi furtum, quod non ſit injuſtitiæ actus, benè verò poteſt committi furtum non propter mæchandum, ſed alium ob finem. Item poteſt committi furtum, quod non ſit cum circumſtantia, puta loci Sacri. Tum quò ad 2. etenim voluntas dandi indigenti eleemoſynam ſemper eſt in ſpecie Miſericordiæ, ſive fiat in finem Pœnitentiæ, ſive in finem religionis, nec aliud tunc dans eleemoſynam intendit, niſi exercere Miſericordiæ actum in expiationem peccatorum: ergo &c. Quòd ſemper ſit in Miſericordiæ ſpecie exploratum eſt, Tum quia, ut nuperrimè dictum eſt, haud aliud intendit, quàm Miſericordiæ actum exercere ad peccata delenda. Tum quia modò non diſputatur, num habeat ſpeciem ab objecto, cùm hoc ſupponatur, ſed duntaxat veſtigatur, num iſta ſit eſſentialis. Idem de malitia dicas.

5. Prob. 2. ex dictis q. præcedenti art.3. Actus in eſſe naturæ per ſe primo ſpecificatur ab ipſis objectis eſſentialiter: ergo & in eſſe moris.

Conſ. Finis cùm attingatur ſolummodo mediatè, nimirum mediante objecto, ſupponit ſpeciem eſſentialem jam datam. Cùm ergo nequeat idem duas obtinere ſpecies eſſentiales totales, jam prima erit eſſentialis.

Nec reſpondere juverit, id, quod in Conſ. diximus verum eſſe tantùm in executione, at non in intentione; quia qui vult objectum propter finem, vult magis, & priùs finem, quàm objectum.

Non, inquam, Tum quia reſponſum verum eſt de prioritate ex parte operantis, non ex parte operis. Tum quia id verum eſt de ipſo objecto inſpecto præcisè ut utile, & ut medium, at non ſi conſideretur etiam ſecundùm honeſtatem, quam in ſe habet juxta dicta antegreſſo art. §. præcipuè 2.

Ex his remanet probata concluſio quò ad circunſtantias.

Quibus adde, quòd circunſtantiæ dicuntur à circunſtando. Quod autem circunſtat ſupponit jam conſtitutam rem, quam circunſtat.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. Ariſt. 5. Ethic. *Qui mæchatur*, inquit, *propter lucrum injuſtus eſt, non intemperans*. Ex quo vulgare illud factum eſt dictum tanquam Stagyritæ apophtegma *ille qui lucrandi gratia mæchatur eſt avarus, vel fur, potiùs quàm incontinens*. Item quòd *qui furatur, ut mæchetur, magis eſt mæchans, quàm fur*. Sed quod magis conſideratur in re aliqua eſt id, quod eſt eſſentiale: ergo ſigno eſt, ſpeciem eſſentialem ſumi à fine, & non ab objecto.

Reſp. primitùs, quòd arg. nimium probat. Siquidem probat etiam, quòd nullam ſpeciem etiam accidentalem ab objecto habeat, cum ibi Philoſophus dicat, quòd ille talis non eſt intemperans.

Præterea Reſp. interpretando cum diſtinctione *injuſtus eſt, non intemperans*, &c. loquendo ex parte operantis, concedo, ex parte operis, nego maj. & diſtinguo min. ſi conſideretur in eo, de quo agitur, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Cujus ſigno eſt, quòd Ariſt. non dixit, quòd *actus ejus, qui mæchatur, ut lucretur, eſt injuſtitiæ, & non intemperantiæ, ſed quod eſt injuſtus, & non intemperans*: ergo &c. Nos autem loquimur ex parte operis. Reſponſum hoc videatur latiùs explicatum apud Jo: à S. Th. ubi ſupra.

Contra 1. Denominatio agentis ſumitur ab actione: ergo ſi potior denominatio eſt avari, quàm adulteri, etiam in actione debebit eſſe potior denominatio.

Secundò D. Th. p.2. q.18. art.2. ex doctrina illa Philoſophi probat, ſpeciem actus moralis materialiter conſiderari ſecundùm objectum: ergo præfata propoſitio non modò in operante, verùm & ipſo actu locum habere debet.

Tertiò. Hinc ſequeretur, quòd finis ſemper foret circunſtantia malæ, vel bonæ affectionis; ſed hoc falſitate laborat: ergo &c. Maj. eſt patens, quia nunquam præberet primam ſpeciem. Min. prob. Cùm quis furatur propter adulterium, ratio formalis, quæ ad furtum movet, eſt adulterium: ergo &c.

Quartò. Cùm quis vult furari propter adulterium, primum, quod vult, eſt adulterium; quia furtum eſt propter adulterium: ergo eſſentialiter ab adulterio ſpecificatur.

Reſp. ad 1: diſt. ant. Sumitur ab actione tum ſecundùm ſuam eſſe tum ſecundùm afficientiam ſubjecti, concedo, ſecùs, nego ant. & diſt. conſequens, ſi talis denominatio inſpiceretur ſecundùm quòd avaritia vel mæchia eſt, concedo, ſi ſecundùm quòd magis, vel minùs afficit ſubjectum agens, ut reapſe inſpicitur à Philoſopho, nego conſeq. Equidem qui furatur, ut mæchetur, denominatur mæchus magis, quàm avarus, injuſtus, & fur; non quia ejus actio ſit mæchia magis, quàm furtum, ſed quia in eo mæchia magis, quàm furtum prædominatur. Item quæ mæchatur ut lucretur mulier denominatur avara magis, quàm adultera, non quia ejus actio ſit avaritiæ potiùs, quàm mæchiæ, ſed quia in ea magis avaritia, ſive affectus ad lucrum, quàm mæchiæ affectus prædominatur.

Ad 2. nego conſeq. Non ideo namque dicit, conſiderari materialiter, quia non ſit eſſentialis, ſed quia cùm ſit prior ſe habet veluti ſubjectum ad aliam ſpeciem accidentalem, & ſubjectum ſe habet quodammodo ut materia, & ſecundùm quid imperfectius.

Ad 3. nego min. Ad prob. dico, verum eſſe ant. de ratione formali remota, at non de ratione formali proxima, & immediata. Iſta enim eſt objectum.

Ad 4. diſt. ant. loquendo de eo, quod eſt primo volitum ab operante, concedo de eo, quod eſt primò inſpectum, & (ut ita dicam) volitum ab ipſo opere, nego ant. & conſeq. Quamquam etenim ſit in operantis libertate velle, vel non velle furtum; tamen ex ſuppoſitione, quòd velit furtum, non eſt in ejus libertate impedire quominus volitio furti inſpiciat per ſe primò furtum; quia ad illud ex natura eſſentiali talis actionis tendit, adeoque ab eo ſpecificatur, tametſi operans intendat furtum propter aliud, nimirum propter mæchiam.

Si dicas, quòd tunc furtum eſt volitum, non ratione ſui, ſed ratione mæchiæ, propter quam eſt volitum.

Ad hoc dicas, id eſſe verum reſpectu operantis, at non reſpectu operis. Præterea habes ex dictis antegreſſo art. §. tum 2. tum 3. quòd nimirum poteſt utroque modo eſſe intentum. Si namque conſideretur ſecundùm quòd conducit ad mæchiam, eſt intentum ratione mæchiæ. Si verò conſideretur ſecundùm malitiam, & deformitatem, quam in ſe habet furtum, eſt ratione ſui intentum ſaltem implicitè.

Aliud præfati teſtimonii gloſsema legatur apud D. Th. q.8. de malo art. 1. ad 15.

Aliæ quoque ſolutiones legi poſſunt apud Salm. part. 2. tract. 11. diſp. 5. dub 4. §. 6. n. 81.

7. Arg. 2. Electio ut talis eſſentialiter ſpecificatur à fine; ſed omnis actus moralis, etiam inquantùm elicitus, & non ſolùm inquantum imperatus, eſt electio: ergo ſpeciem ſuam eſſentialem à fine, & non ab objecto venatur. Prob. min. Omnis virtus moralis eſt habitus electivus, ut à Philoſopho definitur 2. Ethic. lect. 7. ergo &c.

Reſp. primitèr, quòd nimium probat, nimirum probat, non habere duplicem ſpeciem, nec habere ab objecto accidentalem ſpeciem, ſi omnis actus eſt duntaxat electio.

Præterea tranſmiſſa maj. (quam concedere abſolutè Salm. tenentur, non verò tenemur nos, juxta dicta à nobis hic §. 1. n. 2.) nego min. loquendo de electione propriè dicta, quæ eſt circa aliquod medium relatè ad aliquem

finem

finem particularem, quicquid ſit de electione impropriè dicta, quæ eſt in ordine ad finem aliquem univerſaliſſimum omnibus communem, nimirum Deum; cùm virtutes diſtinguantur per ſuos fines peculiares uniuſcujuſque virtutis, qui ſunt uniuſcujuſque objectum, ſuntque finis operis; non verò ſecernantur ſecundùm illum generaliſſimum finem, mediatum, & remotum, ceu cunctis communem.

Ad prob. dico, ideo definiri ſic à Stagyrita, non quia in electione magis principaliter ſita virtus ſit, ſed ut intentionis indigitaret efficaciam, quam dare virtus ſolet. Efficax namque intentio finis ea dicitur, quæ media eligit; inefficax verò, quæ media non adhibet.

Aliæ ſolutiones apud Salm. p.2. tract. 11. diſp.5. dub. 5. §.6. num.85.

8. Arg.3. Si à fine actio non obtineret ſpeciem, niſi accidentalem ſequeretur, non fore de neceſſitate exprimendum in confeſſione; ſed apud univerſos exploratum eſt, quòd qui furatur ad luxuriandum, tenetur in confeſſione illum exprimere luxuriæ finem: ergo &c. Prob. maj. Eſſet quid purè accidentale, proindeque parvi momenti: ergo &c.

Reſp. primitùs idipſum militare de objecto, quoniam ſi ab iſto haberet ſpeciem duntaxat accidentalem, non teneretur furtum in confeſſione aperire.

Præterea, nego ſequelam maj. Ad prob. diſt. ant. & aliàs per accidens foret, quòd eſſet purè accidentalis ſpecies, concedo, foret de per ſe, nego ant. & conſeq. Ille namque finis quantùm eſt de ſe capax eſt præſtare eſſentialem ſpeciem, & per accidens eſt, quòd eam non præbeat, quia nimirum eam datam ab objecto ſupponit; vel quia eſt diverſæ lineæ: adeoque & per accidens ſe habet reſpectu confeſſionis, proindeque non facit, quominus ſit in confeſſione exponenda.

Dices. Tametſi datam non ſupponeret eſſentialem ſpeciem, adhuc eam minimè daret finis, aut circunſtantia: ergo quod eam non det eſt de per ſe. Prob. ant. Species eſſentialis habetur ab objecto; ſed tametſi non ſupponeret talem ſpeciem eſſentialem datam, adhuc non foret objectum: ergo &c.

Reſp. primodùm diſt. ant. & aliàs quòd non daret eſſentialem ſpeciem eſſet, quia de ſe non foret tanti momenti, tantæque gravitatis, ut eſſet ſufficiens eam dare, nego, quia eſſet diverſæ rationis, concedo ant. & nego conſeq. Sicque id foret per accidens, quatenus nempe diverſæ foret rationis.

Præterea Reſp. cùm Jo: à S. Th. quòd eo in caſu finis, aut circunſtantia tranſiret in conditionem objecti.

Inſt. Quando actus ex genere ſuo bonus fit malus ex circunſtantia, V.G. hoc quod eſt reddere debitum in loco ſacro juxta dicta art.2. Tunc actus non habet ſpeciem ex objecto, quia objectum de ſe bonum eſt; nec à circunſtantia, quia explicabile non eſt, quomodo illa loci circunſtantia tranſeat in objecti conditionem, cùm actus ille nullatenus pro objecto habeat talem locum: ergo ruit doctrina noſtra.

Reſp. cum Jo: à S. Th. ubi ſupra q.18. diſp.10. art.1. per totum quòd tunc circunſtantia tranſit in conditionem objecti indirectè & dat ſpeciem mali indirectè. Nec obeſt, quòd in naturalibus, imò & in moralibus, quò ad bonitatem, id quod indirectè ſe habet, dare ſpeciem nequeat. Non, inquam. Ideo namque id poteſt quò ad malitiam in moralibus, quia (ut art.2. cum Athan. ſcripſimus) malum ex quocunque defectu ſive directo, ſive indirecto.

Hoc verò admonitus ſis, quòd tunc ſolùm circunſtantia mala, aut malus finis dat ſpeciem eſſentialem actui, tranſeundo in objectum, vel quando in eo non ſupponit ſpeciem eſſentialem; ut quando advenit actui ex objecto ſuo indifferenti in ſententia, quòd indifferentia non ſit moralitatis ſpecies. Vel in alia ſententia, quia finis malus, ac mala circunſtantia deſtruit ejus ſpeciem eſſentialem indifferentiæ. Vel quando advenit actui ex objecto ſuo bono; quia tunc, ut diximus, deſtruit eſſentialem bonitatis ejus ſpeciem.

Quo modo autem queat malus finis, aut mala circunſtantia deſtruere bonitatem, aut indifferentiam ejus, cùm interdum non ſit ei contraria: ut cùm quis V.G. eleemoſynam indigenti dat ob inanem gloriam; Inanis namque gloria humilitati, & non miſericordiæ obverſatur.

Reſp. primitùs, quòd tametſi non contrarientur ex ſui ſpecie, aut etiam genere particulari (hoc ſiquidem modo diſparatè ſe habent) contrariantur ex ratione communi boni, mali, & indifferentis, qua in univerſum pugnant bonum, malum, & indifferens.

Vel cum Jo: à S. Th. q.18. diſp.10. art.1. n.30. quòd opponuntur ſaltem ex intentione operantis, tametſi non ex genere, aut ſpecie operis.

Pro cujus doctrinæ complemento non prætermittenda doctrina, quam idem habet Jo: à S. Th. q.18. diſp.9. n.46. quòd triformiter poteſt circunſtantia ſe habere in danda malitia, vel bonitate actui. Primò ita non omnino diſtinctam præbeat bonitatem, & malitiam, ſed infra latitudinem talis bonitatis, aut malitiæ eam duntaxat augeat, vel minuat, ut cùm quis furatur quantitatem magnam, V.G. centum, quod addit ſupra furtum non diſtinctæ ſpeciei malitiam, ſed eandem magis extenſam facit. Et ſimiliter cùm quis intenſiùs, aut diutiùs operatur eandem operationis ſpeciem, addit perfectionem aliquam bonitatis, aut malitiæ, non diverſæ, ſed ejuſdem ſpeciei. Quo in caſu nonnemo dicit, non eſſe neceſſe, talem circunſtantiam in confeſſione aperire, ſed ſatis eſſe dicere V.G. *furtum perpetravi ad mortale aſcendens*. Alii verò dicunt, neceſſe eſſe, eam aperire quoties circunſtantia illa aggravans intra eandem ſpeciem eſt talis, hoc eſt tantæ quantitatis, quòd ſeorſim ſufficeret ad lethalis peccati materiam, ut Confeſſarius, ceu Judex queat aptum de reatu judicium formare. De quo eundem lege Jo: à S. Th. p.2. quæſt.18. diſp. 10. art. 3. per totum.

Secundò quandò bonitas, vel malitia ſpecifica actus, & ex objecto deſumpta ſit omnino diſtincta à bonitate, vel malitia, quæ ſumitur ex circunſtantiis, vel fine; ita quòd non modò augeat, vel minuat, ſed diſtinctam præbeat, ut cùm quis furatur, ut mæchetur, aut cùm quis furtum in loco ſacro committit ſacrilegè. Quo in caſu exploratum cunctis eſt, eſſe de neceſſitate in confeſſione aperiendam.

Tertiò quando circunſtantia tranſit quodammodo in objecti conditionem, ut cùm quis dat eleemoſynam ob inanem gloriam. Item in hypotheſi impoſſibili, quòd objectum non daret ſpeciem actui.

9. Arg. poſtremò. Nequit idem duas obtinere ſpecies totales; ſed interdum poteſt idem actus plura objecta totalia habere: ergo ab objecto non habetur ſpecies eſſentialis.

Reſp. ex dictis art.3. §.3. n.8. quòd objecta illa forent totalia, & adæquata ſeorſim, & in actu primo; tamen in actu ſecundo, & ſimul ſe haberent partialiter, & per modum unius juxta ea, quæ de pluribus finibus totalibus ſcripſimus 2. Phyſ. q.4. §.3. &c. vel ſub aliqua tertia ratione in aliquo tertio juxta dicta hic art.3. §.3. ad 2. De quo vid. Jo: à S. Th. ubi ſupra n.44. Videri etiam poteſt Maſtrius in 2. ſent. diſp.8. q.4. art.5. difficultate tertia n.246. ubi ſcribit, quòd eſtò foret idem actus, non tamen eodem modo circa illa objecta, ſed majori, vel minori cum intenſione circa unum, ac circa aliud &c.

Idem Jo: à S. Th. ultra ea, quæ habet loco citato, iterum hac de materia diſſerit ibi diſp.10. art.1.

ARTICULUS QUINTUS.

Extare num queat actus humanus neuter, ideſt indifferens, tam in ſpecie, tum in individuo? ſive tum quo ad rem, tum quo ad modum.

§. I.

1. PRæſcindimus impræſentiarum à controverſia illa, *num indifferentia ſit vera moralitatis ſpecies*. De qua egimus art.1. & perveſtigamus, num extare queat actus humanus indifferens in ſpecie, vel individuo; quicquid ſit, num hujuſcemodi actus ſic indifferens foret in ſpecie aliqua moralitatis, nec ne.

Quid ſit actus humanus ut à puro actu Hominis diſtinctus extat per dicta ſupra q.4. in præambulis. Et ſermo eſt hic de actu humano, ideſt cum libertate, ac advertentia habitus. Et quæritamus, num queat extare actus aliquis indifferens, non modò ex objecto, verum etiam indifferenti modo factus, hoc eſt indifferens quoque ex fine, aut circunſtantiis;

qui nec bonus, nec malus ſit, ſed indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem?

2. Tres olimiam extitere ſententiæ, ſed duæ duntaxat circunſeruntur hiſce diebus.

Dixi *olimiam*, &c. quoniam opinio quædam vigebat, docens extare non poſſe actus indifferentes ſecundùm ſpeciem, benè verò in individuo. Hæc tribuitur Scoto, qui in 2. ſent. diſt. 7. q. unica §. *ad ſolutionem iſtius quæſtionis* circa medium, aſſeverat, nullum extare actum humanum, qui ſecundùm ſpeciem, ideſt ex parte objecti ſit indifferens. Et deinceps eodem in 2. ſent. diſt. 41. quæſt. unica obteſtatur, extare actus humanos in individuo indifferentes. Ob idque quondam Scotica in cohorte qui agnoviſſet actus indifferentes ſecundùm ſpeciem, deſertoris infidi famam, ac forte etiam mulctam ſubiiſſet. De quo videri poteſt Vulpes Scotiſta diſp. 69. art. 9. & 10. ſuper 2. ſent. At multis abhinc annis impunè eos admittunt, & ad communem ſenſum interpretantur Scotum.

Imò Maſtrius ſuper 2. ſent. diſp. 5. q 6. art. 1. n. 299. obteſtatur, ſententiam iſtam non poſſe ſine contradictione defendi; quia, inquit ipſe, ſi actus in individuo nullam habet bonitatem, vel malitiam, planè neque in ſpecie, quam contraxit, cùm omnis ſpecifica ratio reperiatur in individuo contracta.

Secunda annuit, extare actus humanos & ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm individuum indifferentes. Hanc propugnat Scotiſta, & alii ut Rubion, Baſolius, Vaſquez, Arriaga, Ovvied. Averſa, Caſpenſis, Morandus, quos propriis locis refert, & ſequitur Maſtrius ubi ſupra. Et pro ea citatur D. Bonav. in 2. ſent. diſt. 41. art. 1. q 3. quem tamen aliter exponit Jo: de S. Th. ubi ſupra n. 30.

Tertia denique ſentit, poſſe quidem extare actus indifferentes ſecundùm ſpeciem, neutiquam verò in individuo, ſaltem per ſe loquendo. Hanc cum D. Th. p. 2. q. 18. art. 8 & 9. omnes tutantur Thomiſtæ, quibus adſtipulantur Durand. Richard. B. Alb. M. Suarez, Valentia, Sanchez Amicus, Lorca, Hacquet. & noviſſimè Jo: Bapt. du Hamel, in ſuo opere, cui titulus *Philoſophia vetus, & nova* tom. 2. qui eſt de Philoſophia morali tract. 3. q. 5.

Dixi *ſaltem per ſe*, quia per accidens loquendo non pauci docent, poſſe extare actus etiam in individuo indifferentes, puta vel ex ignorantia invincibili, vel ex ſententia probabili. De quo poſt hunc art. per *Quæres* in §. 4.

§. II.

CONCLUSIO.

Extare poſſunt, ac extant actus humani indifferentes ſecundùm ſpeciem, neutiquam in individuo, per ſe loquendo.

3. QUòd ad p. p. ſupponenda potiùs, quàm probanda venit. Quandoquidem actus quidam ſunt, qui circa objecta non mala, nec bona de ſe, verſantur, ut rheumata abjicere: feſtucam levare, barbam fricare, ludere fidibus, manus ad calorem concitandum fricare, ad Campum pergere, &c. ergo &c.

Objectio quædam, quam hinc eruit nonnemo adverſus Thomiſtas ad probandum, inde ſequi, extare actum indifferentem in individuo; quia quod eſt in ſpecie contrahitur ab individuis, diſſolvetur §. ſequenti 3. ſub n. 10. ad 2. arg. quod eſt Patris Vaſquezii.

4. Quòd ad 2. p. eſt D. Auguſtini, qui lib 2. *de peccatorum meritis, & remiſſione* explicatè ſcribit, non poſſe voluntatem noſtram in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit, quia, inquit, voluntas in omni actu aut bona eſt, aut mala. Quam authoritatem gloſſare nititur Maſtrius, cujus tamen gloſſemma non eſt niſi externum commentum. Eapropter Vaſquez conſuetus, S. Doctorem ſic nitidè loqui ſuccumbit, ac fatetur, Auguſtinum fuiſſe in noſtra ſententia, eique opponit D. Hieronymum, quem tamen nos exponemus, §. 4. ſequenti. Vid. Jo: à S. Th. ubi ſupra à n 20. adusque 26.

Quòd ad eandem 2. p. probat nonnemo, quia in quovis actu humano Homo vel operatur prudenter. Et ſic actus eſt moraliter bonus. Vel operatur imprudenter. Et ſic eſt moraliter malus.

Verùm ratiocinatio hæc haud convincens videtur. Reſponderi ſiquidem poſſet, quòd in actu indifferenti Homo operatur imprudenter, non quidem imprudenter adverſativè, ideſt contra prudentiam (in quo ſtat malum morale) ſed imprudenter duntaxat præciſivè, quatenus nec ex Prudentia, nec ex imprudentia operatur, ſed ex ipſo intellectu, & voluntate nudè inſpectis. Vel ſecundùm alios operatur ex habitu quodam indifferentiæ. Ponunt namque Adverſarii habitum quendam indifferentiæ ſpecialem; ad actus indifferentes inclinantem; quem tamen refutat Cajet. ſuper præfatum D. Th. articulum. Aliter itaque

5. Prob. ratiocinio D. Th. p. 2. q. 18. art. 9. Homo qualibet in actione humana tenetur agere propter aliquem honeſtum finem; ſed hoc ipſo, quòd tenetur agere propter aliquem honeſtum finem, actio vel eſt bona, vel eſt mala moraliter, non verò indifferens; ergo nulla extat actio humana indifferens in individuo. Maj. quam audacter negat Adverſarius, quamque probari minimè poſſe dixit Vaſquez Prob. tum authoritatibus ineluctabilibus. Nam Apoſt. 1. Corinth. 10. *ſive*, inquit, *manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Tum ratione. Siquidem Homo quotieſcunque operatur ex deliberata ratione, tenetur operari, non tantùm ut animal eſt, nihil diſcrepans à Brutis, benè verò ut Homo utens ratione, & juxta inclinationem naturæ rationalis, ſecundùm quam operatur, quemadmodum Artifex, ſaltem quando operatur ut talis debet operari ſecundùm regulas artis, & eoipſo, quod non juxta illas operatur, elicit actum defectuoſum; ſed finis rationis, & inclinationis rationalis eſt bonum honeſtum, cùm utile, & delectabile ſit finis etiam Belvarum: ergo &c.

Conf. Voluntas in actu deliberato vel attendit, quid ratio dictat, illudque ſequitur. Et ſic benè agit. Vel non ſequitur, ſed negligit attendere rationis dictamen. Et ſic perperam operatur: ergo &c.

Reſpondent Adverſarii, & præſertim Maſtrius, ratiocinium hoc, ſi quid probat, probare, quod nec in ſpecie indifferens actus extet.

Præterea reſpondent negando maj. Ad authoritatem Apoſtoli dicunt, eſſe purum conſilium. Ad rationem reſpondent, quòd Homo tenetur operari juxta rationem negativè, quatenus tenetur agere non contra rationem. Sed

Contra primam. Quæ duntaxat de conſilio ponuntur, nuſquam in Scriptura imponuntur abſolutè modo imperativo per verbum *facite*; ſed loco citato dicitur abſolutè facite: ergo &c. Prob. maj. Tum quia ly *facite* indigitat ſimpliciter imperium. Tum quia non aliunde colligimus proponi in Scriptura aliquid de præcepto, niſi ex verbo imperativo hoc vel illud *facite*, ut cùm dicitur, *quod ſupereſt date eleemoſynam*, inde colligitur, eleemoſynam eſſe in præcepto: & cum dixit Chriſtus *hoc facite in meam commemorationem* præceptum impoſuit offerendi ſacrificium. Cùm autem aliquid duntaxat conſulitur, non ponitur verbum imperativum, ut de Virginitate dixit Apoſtolus *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, & Math. 19. *qui poteſt capere capiat*. Et iterum de paupertate, ac abdicatione omnium Dominus in Evangelio dixit: *ſi vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Ubi non abſolutè præcipitur, ſed ſub conditione *ſi vis perfectus eſſe*.

Nec obeſt, quòd etiam ad Coloſſ. 4. Apoſt. ſcribat *omne quodcunque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini Jeſu gratias agentes Deo, & Patri*; & tamen non extet præceptum faciendi omnia propter Chriſti nomen; quia ad hoc, ut opus ſit bonum moraliter bonitate morali ordinis naturalis, non requiritur fides de Chriſto, quæ eſt ſupernaturalis relatio in finem, ſed ſufficit naturalis honeſtas, fides verò de Chriſto requiritur duntaxat ad opus bonum moraliter bonitate ſupernaturali meritoria præmii ſupernaturalis.

Non, inquam. Siquidem (ut benè Jo: à S. Th.) attendenda venit prudentia Apoſtoli, qui hoc in ſecundo loco non poſuit præceptum ſicut in primo poſuit. Nec enim dixit *omne quodcunque facitis, omnia in nomine Chriſti facite*, ſed ſuſpendit ly *facite* quia ſuſpendit à præcepto, relinquens hoc conſilio, & arbitrio, ut ex ſupernaturali Chriſti fide operemur. In primo autem loco non ſuſpendit, ſed appoſuit verbum *facite*. Ob idque retorquetur objectio.

Hinc D. Ber. ſer. 3. de diverſis: *quicquid facimus jubemur facere in gloriam Dei*. Et S. Thom. in commento

mento

mento ſuper Coloſſenſes 3. *quidam dicunt, quòd hoc eſt conſilium, ſed hoc non eſt verum.*

Contra ſecundam. Obligatio de ordinando opere in finem honeſtum cadit ſupra ipſum operans, adeoque concernit finem operantis, non operis, cujus interdum finis eſt quid indifferens. Operans autem reſpicit actum in individuo, ſicut & ipſum operans, quod actione afficitur, & denominatur, eſt ſingulare. Actiones namque ſunt ſingularium, imò ſuppoſitorum. Idcircò dixi in titulo *tam quò ad modum*, quia actus tametſi de ſe indifferens ſit; non tamen eſt indifferenti modo eliciendus.

Contra tertiam. Etiam Belva manducando, bibendo, &c. operatur ſecundùm rationem negativè; quoniam non operatur poſitivè contra rationem: ergo cum Homo eliciendo actum humanum, hoc eſt deliberatè, & cum advertentia rationis, ſecernatur à pecudum more, tenetur quid plùs facere, proindeque poſitivè juxta rationis dictamen operari.

6. Prob. 2. Quivis actus ad bonum finem non ordinatus eſt ſaltem otioſus, ſed de iſto reddet Homo rationem in die Judicii, cùm & de omni otioſo verbo ſit rationem redditurus Math. 12. ergo &c. Prob. min. ex definitione verbi otioſi. Siquidem Gregor. 7. moral. cap. 15. ſuper dictum Math. locum *Verbum*, inquit, *otioſum eſt, quòd aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut ratione piæ utilitatis caret.* Et homil. 16. in Evangeli *verbum*, inquit, *otioſum eſt, quod utilitate rectitudinis*, &c. *caret.* D. Hier. in cap. 12. Math. *verbum*, definit, *otioſum eſt, quòd ſine utilitate loquentis, & audientis dicitur, & omiſſis ſeriis, de frivolis loquimur.* Hocque idem Hier. ſuper c. 4. ad Eph. verbum malum vocat. Et D. Ber. ſer. 3. de diverſis *verbum*, ſcribit, *otioſum eſt, quod caret debito fine honeſto.* Eapropter idem mellifluus lib. 3. de triplici cuſtodia *& otioſum opus, quod honeſto caret fine appellat.*

Reſpondet pars adverſa, opus illud non carere omni fine, ſed habere pro fine aliquod naturæ levamen; nec eſſe penitùs inutile, ſed utile ad aliquod naturæ commodum. SS. Patres loqui, dicit, de eo, quod neque ad naturæ confert utilitatem. Et per finem honeſtum ſumere finem licitum. Sed

Contra 1. cum Serra, & Jo: à S. Th. Actus iſti vel cum moderamine fiunt, vel ſine. Si primum ſunt boni, ſi ſecundùm ſunt mali moraliter: ergo nunquam indifferentes. Ant. quòd ad 2. p. latet neminem; quem non lateat, quòd actus immoderatus eſt vitioſus, cùm immoderamen ſit exceſſus, & exceſſus ſit vitioſus, ceu non ſiſtens in medio, in quo ſtat virtus. Quò ad 2. prob. Hujuſcemodi actus ſic facti ſi utiles ſint, ſunt boni etiam moraliter, ceu de conſilio: ergo niſi ab immoderaminis circunſtantia vitientur, erunt boni moraliter. Prob. ant. Quando ſunt neceſſarii, ſunt de præcepto, & boni ut de præcepto: ergo quando ſunt utiles, erunt boni ut de conſilio, ſicut ſi bonum ut de præcepto eſt alere Parentes egenos, bonum ut de conſilio eſt, eos alere non egenos.

Sanè tales actus, ſive neceſſarii, ſive duntaxat utiles in naturæ ſubſidium ſunt rectæ rationi conformes, & à recta ratione, ac prudentia dictantur, ut expendit S. Th. p. 2. q. 18. art. 9. ad 3. Sic etiam ludricæ actiones, & riſus, ac corporis ſolatium, ſi moderatè fiat, eſt ad honeſtum virtutis finem dirigibilis, ut nimirum poſtea natura melius quæ ſui ſtatus ſunt implere valeat, curam rei familiaris habere, labores perferre, orare, ſtudere, concionari. Quandoquidem ad hujuſcemodi jocos, & alias animi recreationes datur Eutrapelia, quæ univerſis à Philoſophis, ac Theologis inter virtutes morales ſupputatur. De qua S. Th. q. 168. art.

Moleſtiam hanc prævidit quidem, at ſe ab ea expedire minimè potuit Maſtrius ubi ſupra num. 332. dicens, ſe loqui de actibus, qui nec neceſſarii ſunt, nec notabiliter utiles, ſed tantiſper utiles ad vitam tuendam, vel valetudinem conſervandam, ut ſunt muſcam capere, culicem è facie tollere, cantiunculam canere ad tædium removendum, & ſimilia. De notabiliter utilibus duntaxat concedit, eſſe bonos moraliter, ſi modum non excedant.

Se, inquam, expedire minimè potuit. Etenim qui ſunt notabiliter utiles ſi modum non excedant, ſunt notabiliter boni: ergo pariter qui ſunt tantiſper utiles, erunt ſaltem tantiſper boni moraliter, ſi modum non excedant. Conſeq. ſequitur à pari ant. ſuadetur. Ideo namque ſunt boni, quia ſunt utiles, & cum moderamine: ergo eo modo, quo ſunt utiles, & cum moderamine, erunt boni, adeoque ſi notabiliter utiles cum moderamine erunt notabiliter boni.

Sanè quemadmodum primi notabiliter ſub Eutrapelia cadunt, ita & ſecundi, licèt non notabiliter.

Contra 2. D. Baſilius quæſt. 9. compendio explicatis q. 23. *omne verbum*, inquit, *quod non conducit ad propoſitam in domino utilitatem vanum, & otioſum eſt.*

Nec cum Maſtrio reſpondere juverit, Baſilium loqui rigoroſiùs, ad Monachos, qui cùm arctioris vitæ ſint, tenentur ad perfectionem tendere.

Non, inquam. Siquidem etiam Monachis, quamquam vitæ arctiſſimæ, conceduntur honeſtæ recreationes. Et certè morales virtutes (quas inter Eutrapelia) etiam; imò magis, Monachis convenientes ſunt.

Et animadvertas hic cum Jo: à S. Th. ubi ſupra n. 30. veliut, quòd hoc non paucos fallit, quia nimirum putant, ad hanc moralem honeſtatem requiri ſemper actualem relationem in finem honeſtum in ſingulis actionibus; Idcircò oneroſam plus æquo noſtram ducunt opinionem. Sufficit namque generalis intentio illa, qua quis ſibi conſtituit ſecundùm rationem vivere. Et hoc in ſenſu Jo: à S. Th cum D. Bonav. concedit, verba, quæ frequenter inutilia videntur, eſſe utilia.

7. Prob. 3. Nullus in individuo extat actus deliberatus, &c. de quo non ſit Homo in die Judicii redditurus rationem; ſed nullo de actu indifferenti erit reddenda ratio in Judicii die: ergo nullus actus indifferens in individuo extat. Maj. omni pollere certitudine videtur. Quæ namque in judicium adducuntur, ſanè vel ad præmium, vel ad pœnam adducuntur. Ad præmium quidem ſi juſta de eis ratio, nimirum juſtus finis aſſignetur. Ad pœnam ſi injuſta aſſignetur ratio, ideſt non juſtus, & honeſtus finis. De indifferentibus autem nec juſta, nec injuſta, ideſt nec bona, nec mala reddi ratio poteſt. Maj. prob non tantùm ex tex. jam citato Math. 12. *Omne verbum, otioſum quod locuti fuerint Homines reddent rationem de eo in die Judicii.* Verùm etiam ex Eccleſiaſtes ultimo *Cuncta, quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum illud ſit.* Iſaiæ ult. *Ego autem opera eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus, & linguis.* Et Corinth. 5. *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Reſpondent negando maj. Ad prob. dicunt, authoritates illas eſſe intelligendas de omnibus operibus bonis, vel malis, ut allata indigitant Apoſtoli verba. Sed

Contra. Quemadmodum Apoſtolus dicit, *omnes nos manifeſtari oportet*, &c. ita Eccleſiaſtes dicit *cuncta quæ fiunt adducet Deus*, &c. Sed ly *omnes* proculdubio intelligitur de ratione utentibus, & humano modo operantibus, nimirum de omnibus adultis: ergo pariter ly *cuncta* de cunctis debet intelligi operibus humano modo, ideſt deliberatè, ac advertenter factis. Prob & explanatur maj. ſimul, & min. Extet aliquis, cùm ad rationis uſum pervenit exercens primos actus deliberatos advertenter, & antequam bonum, vel malum eliciat actum, moriens. Talis eſt adultus, & utens ratione, & non habet niſi actus indifferentes. Igitur ſi iſti non adducuntur à Deo in Judicium, talis adultus non manifeſtabitur ante Chriſti tribunal. Hoc autem eſt contra illud Apoſt. *omnes nos*, &c.

Nec poteſt ſolvi, inquit Jo: à S. Th. niſi ſententiam admittendo S. Th. quòd nimirum Homo in primo inſtanti tenetur converti ad Deum, & ita niſi convertatur peccat, tametſi actum indifferentem habeat.

Quam ſententiam ſi ſequi adigantur adverſarii, ut defendant, extare poſſe actum indifferentem, gratias agimus. Eam tamen reſpuunt ipſi, vel etiam Vaſquez ſuper q. 89. art. 8. diſp 149. concludit idem Jo: à S. Th.

8. Adduci ratio alia conſuevit ex capite prodigalitatis, quia nimirum actus prodigalitatis vitioſi ſunt. Qui autem actus nullum ad honeſtum elicit finem, terit tempus, & ut prodigus profundit illud. Sed hæc ad præcedentem reducitur, imò eadem cum illa eſt.

§. III.

Inſenſorum argumenta diſſolvuntur.

9. ARg. 1. contra p. p. variis arg. quæ legi ſoluta poſſunt tum apud Jo. à S. Th. p. 2. q. 18. diſp. 9. art. 5. à num 25 tum apud Salm. ubi ſupra, tum apud Guerinois hic. Nos enim omittimus, quia ſententia illa exſoleta jam extat.

10. Arg. 2. contra 2. & ſimul contra p. p. ex Vaſquez. Datur actus indifferens ſecundùm ſpeciem; ſed nequit dari ſpecies aliqua, cujus nullum ſit poſſibile individuum: ergo debet & in individuo actus dari indifferens, vel nec in ſpecie. Maj. excipitur, nemine inficias eunte cum D. Th. p. 2. q. 18. art. 9. Min. prob. Tum quia ſpecies eſt prædicabilis de individuis. Tum quia vera nequit eſſe ſpecies, quæ dari nequit in rerum natura; ſed dari nequit, niſi in aliquo ex individuis: ergo &c.

Conf. Quod convenit ratione ſpeciei, nequit tolli per aliquid ſuperveniens, niſi ſpecie deſtructa; ſed indifferentia eſt vera moralitatis ſpecies, ut vel nos art. primo docuimus: ergo ſi aliqui dantur actus ex ſpecie ſua indifferentes, neque per individuationem deſtrui poſſunt, niſi ſpecie ſublata. Supponitur autem per individuationem non adimi ſpeciem, ſecùs individuatio non foret individuatio talis ſpeciei; Imò nequit vera eſſe ſpecies, quæ per individuationem convellitur, cùm ſpecies contrahatur, non verò deſtruatur per individuationem.

Conſideratio quædam, quam quòad hoc habet Joan. à S. Th. circa Scotiſtas videri poteſt apud eundem ubi ſupra art. 7. num. 50.

Reſp. primitèr, quòd arg. hoc quod plùs æquo extollunt Adverſarii, nimium probat, ſi quid probat. Quandoquidem probat, omnem actum ex objecto ſecundùm ſpeciem indifferentem debere ſemper manere indifferentem in individuo, nec poſſe aliundè honeſtari, aut vitiari, ſi ſemel verum eſt, quòd opponentes dicunt, quòd indifferentia illa ſpecifica debeat ſemper in actu manere. Hoc autem dixerit nemo, cùm poſſit quis Protervus actum ex objecto indifferentem ordinare ad malum finem: & ſaltem viri eximiæ virtutis, & probitatis curant & indifferentes actus in Dei gloriam dirigere.

Præterea cum Serra p. 2. q. 18. art. 8. Reſp. poſſe concedi maj. cum min. ac etiam conſeq. loquendo de indifferentia ex parte objecti, & dici, quòd extat actus in individuo indifferens quidem ex parte objecti, ſed vel bonus, vel malus ex fine, aut circunſtantia. Quemadmodum enim ſcripſimus ſupra art. 3. eundem actum in individuo poſſe habere duplicem moralitatis ſpeciem, nimirum duplicem bonitatem, vel duplicem malitiam; ita dici poteſt habere indifferentiam cum bonitate vel malitia in ordine ad diverſa. Nos autem reſpuimus actum, qui ſit purè indifferens,

Per quod habes. Ad Conf.

Contra. Nequit idem actus eſſe bonus & malus ſimul, ut hic ſcripſimus art. 2. ergo pariter nec bonus ſimul, & indifferens, vel indifferens ſimul, & malus. Conſeq. eſt exacta, quia etiam indifferens moraliter, & malum moraliter opponuntur.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. diſt. opponuntur rigoroſè, nego: ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Siquidem diſparatè potiùs ſe habent; cùm non opponantur contrariè, ſecùs opponerentur ſicut bonum, & malum, cùm aliàs exploratum ſit, minùs opponi; nec privativè, ſemel ſuppoſito, quòd indifferentia ſit poſitiva moralitatis ſpecies; nec à fortiori contradictoriè, cùm oppoſitio contradictoria rigoroſa verſetur inter ens, & non ens, ſeu nihil.

Nec de iſtis urget ratio, quæ urgebat de bono, & malo, nimirum *bonum ex integra cauſa*, *malum ex quocunque defectu*. Non, inquam, quia ad bonitatem, & non ad indifferentiam integra requiritur cauſa.

Sanè ibi vix ſuſtinui, eundem numero actum non poſſe bonum eſſe ſimul, & malum, non modicam deprehendens adverſæ opinionis probabilitatem. Numquid modò tutabor, nec indifferentem ſimul, & malum, aut bonum eſſe poſſe?

Reſp. denique conformiùs ad ea, quæ eodem art. 2. ſcripſimus diſt. min. cujus nullum ſit poſſibile individuum, quantum eſt ex intrinſecis, concedo, ſecùs nego min. & conſeq. Quòd igitur non extet aliquod indifferentiæ individuum, provenit, non ex intrinſecis indifferentiæ ſpeciei, ſed ab extrinſeco, nimirum ex fine, circunſtantiis, & ex præcepto omnia ordinandi ad finem honeſtum.

Nec obeſt, quod in naturalibus non ſit de hoc invenibile exemplum ſpeciei, quæ etiam ab extrinſeco impediatur ad aliquod ex individuis contrahi. Non, inquam. Etenim in naturalibus ideo non extat, quia naturalia non pendent ab extrinſecis præceptis, benè verò moralia.

Ad Conf. Reſp. quòd in individuo deſtruitur ſpecies indifferentiæ per ſpeciem bonitatis, & malitiæ in individuo advenientis ex fine vel circunſtantiis. Nec tamen deſtruitur per individuationem indifferentiæ (ut falsò arguens ſupponit) quod eſſet deſtrui per individuationem ſuæ ſpeciei; ſed per ſpeciem, & individuationem vel bonitatis, vel malitiæ.

Solutio altera aliorum, dicentium, indifferentiam eſſe moralitatis ſpeciem incompletam, exigentem compleri vel ex fine, vel ex circunſtantiis. Aut eſſe ſpeciem purè negativam videri poteſt apud Jo: à S. Th, ubi ſupra à num. 52.

11. Arg. 3. Si foret peccatum exercere actus indifferentes, eos non ordinando in finem honeſtum, ſequeretur etiam, quòd eos omittere non ordinando talem omiſſionem in finem honeſtum eſſet peccatum; ſed conſequens falſitatem redolet: ergo & ant. Maj. videtur ſapienti conſtans, Tum quia ſaltem regulariter loquendo non datur omiſſio voluntaria abſque omni actu poſitivo, per quem ſit ſaltem antecedenter volita. Tum quia omiſſio tametſi non ſit actus formalis, eſt tamen actus virtualis voluntatis, proindeque ſi dari omiſſio poſſet nullum ad honeſtum finem ordinata, quæ peccatum non eſſet, jam & actus poſitivos ad nullum honeſtum finem ordinatus daretur, qui malus minimè foret. Min. verò prob. Qui die non feſtivo tenuit audire ſacrum nullatenus peccat, cùm non teneatur, ſecùs teneretur: ergo &c. Idem dic quando quis omittit conſilii opera, vel levare feſtucam, vel capitis purgamenta abjicere.

Reſp. conceſſa maj. nego min. Ad prob. nego ant. & ad annexam prob diſt. non tenetur audire ſacrum, concedo, non tenetur ordinare ad finem honeſtum talem non auditionem ſacri, ſubdiſtinguo non tenetur ex vi præcepti mandantis audire ſacrum, concedo, ex vi præcepti Charitatis, quo omnia tenemur in Deum ordinare, nego. Lege n. 5. ac intellige, quando omiſſio eſt deliberata, ac cum advertentia.

Contra 1, Non eſt excogitabile vitium, ad quod hujuſmodi pertineant actus, quando non ſunt in finem honeſtum: ergo &c.

Conf. Non eſt excogitabilis virtus, à qua prodeant, quando ſunt in finem honeſtum relati: ergo nec boni tum moraliter ſunt,

Secundò. Hujuſcemodi actus indifferentes in bonum finem non relati, ſi forent mali, & peccata ſaltem venialia, forent materia ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ. Experimento autem niter, neminem quantumvis ſcrupuloſum de talibus ſe accuſare. Nec ſilus eſſet Confeſſarius talem admittens materiam ut ſufficientem pro abſolutione impienda. Unde Monteſinos ingenue fatetur, quòd etiam Thomiſtica admiſſa ſententia, non ſtatim admitti debet, hos & ſimiles actus eſſe ſufficientem confeſſionis materiam, ſed prudens Confeſſarius aliam ad hoc debet exigere materiam; quia difficile erit cognoſcere, num hæc opera ex puro motivo indifferenti exercita interdum exiſtant.

Reſp. ad 1. (miſſis, brevitatis gratia, nonnullis reſponſis, quæ impugnat Maſtrius ubi ſupra à n. 358.) quod eſſet ab habitu otioſitatis.

Neque cum Maſtrio objicias, à Theologis moralibus non aſſignari habitum iſtum vitioſum ſpeciali oppoſitum virtuti. Ne, inquam. Iſte namque habitus eſt habitus Negligentiæ oppoſitus virtuti Solertiæ, de qua dicemus infra agendo de partibus potentialibus Prudentiæ, & vitiis eis obverſantibus, inter quæ Socordia ſive Negligentia locum tenet.

Reſp. 2. cum Lezana, quòd tales actus, quando ſiunt abſque honeſto fine, eliciuntur à vitio oppoſito illi virtuti, per quam eliciuntur, quando ſiunt propter honeſtum finem.

Nec dicas cum Maſtrio, nullam talem poſſe aſſignari virtutem à qua eliciantur.

Non, inquam. Etenim cùm quis in naturæ levamen aliqua exercet opera indifferentia, ut meliùs poſtea orare,

Deum

Deum laudare, &c. queat, elicit talem actum media virtute Religionis. Cùm quis ſic agit, ut meliùs poſtea ſtudere poſſit, elicit media virtute ſtudioſitatis; quia tametſi non ſtudeat, ordinat tamen ad ſtudium.

Præterea dici poſſet, elici media Charitate, quia ut conſpeximus num. 5. præcipimur, cuncta in Deum ordinare. Hinc

Reſp. 3. cum aliis, tales actus peccaminoſos eſſe contra charitatem per modum omiſſionis.

Reſp. 4. cum Medina, eſſe à vitio prodigalitatis. Vide num. 8.

Ad conf. jam per nuperrimè dicta contra Maſtrium patefcit, interdum eſſe à virtute Religionis, interdum, &c: Sanè arg. nimium probaret. Siquidem probaret, non ſolùm non eſſe vitioſum, ſed nec poſſe vitiari; quia, ut objiciens ait, non eſt excogitabilis vitioſus habitus, à quo provenire queat.

Præterea cum aliis Reſp. eſſe à virtute charitatis, qua præcipimur, cuncta in Deum ordinare.

Ad 2. Reſp. concedendo, poſſe eſſe Confeſſionis materiam. Eatenus autem Confeſſarius non admittet, Tum quia eſt probabilis vel inter Thomiſtas ſententia, quòd ſaltem per accidens, nimirum ex ignorantia invincibili dari queat actus indifferens in individuo. Tum quia haud facile eſt cognoſcere, num ſint cum advertentia facta, & an ex puro motivo indifferenti.

12. Arg. 4. Eatenus per Thomiſtam dari nequit actus indifferens in individuo, quatenus præceptum extat Charitatis, quo cuncta præcipimur in Deum, ſaltem implicitè dirigere; & quia extat illud Apoſt. *omnia quæcunque facitis*, &c. Sed nihil inde infertur pro noſtra ſententia: ergo &c. Prob. min. 1. quò ad p. p. Tali præcepto fit ſatis per cæteros principaliores actus diligendo Deum 2. quò ad 2. p. Illud eſt purum conſilium: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad 1. prob. dicatur, fieri ſatis per illos actus pro illis actibus, at non pro reliquis actibus. Ad 2. habes per dicta n. 5. qualiter non ſit purum conſilium.

Dices. Præceptum referendi ad Deum conctos actus noſtros deliberatos eſt præceptum affirmativum; ſed iſtud, ad differentiam negativi, non obligat ſemper, & ad ſemper: ergo non ſemper ad id tenebitur homo.

Reſp. primitùs, min. eſſe veram de præceptis particularibus concernentibus particulares materias, at non de præcepto univerſali, ſub quo particularia omnia cùm poſitiva, tum negativa continentur, uti eſt Charitatis præceptum; & illud Apoſt.

Præterea reſpondent alii, In tali præcepto poſitivo aliud implicitè contineri negativum, nimirum *non ſiſtes in aliqua propter ipſam, ſed omnia referes in Deum.*

13. Arg. 5. authoritate plurium SS. PP. qui expreſsè admittunt actus indifferentes, ut Hier. &c.

Conſ. In Concilio Conſtantienſi fuit hæc confixa Joannis Hus propoſitio: *diviſio immediata humanorum operum eſt, quòd ſint virtuoſa, vel vitioſa, ideſt bona, vel mala, & nulla ſunt opera indifferentia.* Quod etiam damnavit Sanctus Pius V. Et Gregor. XIII. contra Michaelem Bajum prop. 34. & 39.

Reſp. ad arg. loqui SS. PP. de actu indifferenti ex objecto, ideſt ſecundùm ſpeciem. Vid. etiam Guerinois hic §. 4. ad 1. & 2. & 3. arg.

Ad Conſ. diſt. ant. damnata fuit propoſitio illa in ſenſu Joannis Hus, & Michaelis Baii, concedo, abſolutè, nego ant. & conſeq. Joannes Hus, qui propter iſtam, & alias hæreſes, fuit eodem à Concilio igni adjudicatus, aſſeverabat, omnia opera facta ab Homine juſto eſſe bona, & virtuoſa; omnia verò facta à peccatore mala eſſe, & vitioſa, ita quòd Peccator nec bonitate ordinis naturæ poſſet bona opera facere. Nos autem eſtò noverimus, Peccatorem non poſſe elicere opera bona ordinis ſupernaturalis meritoria præmii ſupernaturalis; non tamen ignoramus, eum poſſe elicere opera bona bonitate ordinis naturalis. Præterea de fidei dogma eſt, vel juſtos ipſos peccare venialiter, & Hominem peccatorem poſſe elicere actus informes fidei, ſpei, & aliarum virtutum demptis Charitatis operibus.

Item inficiabantur iſti hæretici actiones indifferentes, etiam indifferentia ex parte ſubjecti, & non tantùm ex parte actus; quia dogmatizabant, Juſtum non eſſe indifferentem ad bonum, vel malum faciendum, ſed ita eſſe determinatum ad opus bonum faciendum, ut facere malum non poſſet. Peccatorem verò ita eſſe determinatum ad malum agendum, ut opus bonum facere nequaquam poſſet. Noſtra autem ſententia non inficiatur, Juſtum eſſe potentem tum ad malum, tùm ad bonum faciendum, ſicut & peccatorem ad bonum, & malum.

14. Collige ex dictis, nos nullatenus gravius reddere Dei Jugum. Siquidem ſat eſt, ordinare opera in Deum implicitè, quatenus honeſtum aliquem dirigantur in finem; quoniam iſte ſuapte natura in Deum ordinatur. Item non requiritur ſemper actualis ordinatio, ſed ſufficit habitualis, quæ eſt virtualiter actualis, nimirum generalis illa intentio, qua quis ſecundùm rationem vivere conſtituit. Imò in quolibet juſtorum etiam pro merito ſupernaturalis præmii ſat eſt actus ille, quo pro omni tempore futura ſua opera in Deum ordinant; quia ceu ex gratia elicita ordinantur ſuapte natura in Deum, quouſque manet in gratia, eò quòd gratia eſt formalis divinæ naturæ participatio. Non ſic autem habitualis ſufficit intentio ad Sacramenta conficienda, quia non omnia opera ordinantur ſuapte natura ad Sacramenta conficienda. De quo tamen vide q. antecedenti nimirum 4. art. 1. §. 3. num. 10. in fine.

Collige præterea, quòd hic ſemper ſermo eſt duntaxat de operibus deliberatè, & cum advertentia factis.

De libro inſcripto *propoſitiones per Belgium diſſeminatæ* &c. In quo ad ſupremum Tribunal Innocentii XII. damnanda deferebatur noſtra hæc concluſio de ferendis omnibus actibus in Deum habet Opella cui titulus *Artes Jeſuiticæ* §. 62. artificio 35. ad Clem. XI. directa.

§. IV.

QUÆRES.

Num ſaltem per accidens poſſit dari actus indifferens in Individuo?

15. ABnuit Jo: à S. Th ubi ſupra n. 43. cui adſtipulantur Serra, Monteſinos, & alii; eò quòd autumant, dari non poſſe ignorantiam probabilem, ideſt inculpabilem, ſeu invincibilem illius obligationis ordinandi cuncta in finem honeſtum; quoniam nemo poteſt inculpabiliter ignorare, ſe teneri, benè, & non malè operari. Qui autem opus ordinat in finem honeſtum benè operatur; qui verò non ſic ordinat, malè operatur. Item Scoti opinionem dictitant, eſſe probabilem duntaxat ſpeculativè, at non practicè: Idcircò nemini licitum eſſe, eam in praxi ſequi.

Annuunt verò Salm. p. 2. tract. 11 diſp. 6. dub. 2. §. 4. citantes pro ſe Alvarez, Curielem, & Cornejum, ac ex cæteris Valentiam, Granadum, Suarez, & alios. Cum quibus

16. Et ipſe probabiliter ſentio affirmativè. Quandoquidem ſi viri docti, ut ſunt omnes, quos contra hactenus dimicavimus, & quidem ſaltem cum aliquo non levi motivo, ſi non penitùs invincibiliter, hanc ignorant obligationem; ecquis non annuat, eam poſſe invincibiliter ignorari rudi à viro? Quamobrem Arriaga de ſe *ego*, inquit, *de me fateor, quouſque hanc quæſtionem agitare audivi, nil de tali obligatione unquam cogitavi, nec putavi, me aliquid mereri, vel demereri ſpuendo, barbam fricando, faciem lavando, de nullo alio honeſto fine cogitando.*

Et quamquam ignoret nemo, ſe teneri, nunquam malè operari; attamen poteſt inculpabiliter quis ignorare, quòd operari ob finem indifferentem ſit malè operari.

Nec reſpondere cum Medina juverit, admiſſa invincibili ignorantia talem actum eſſe malum, & peccatum, & duntaxat excuſari ratione talis ignorantiæ.

Non, inquam. Nam (ut benè Salm.) hoc modo erit malum, & peccatum duntaxat materialiter, at non formaliter.

17. Quò ad Scoti ſententiam, quicquid ſit num duntaxat ſpeculativè probabilis ſit, vel etiam practicè; nihilominùs à nonnullis firmiter cenſetur probabilis etiam practicè: ergo ſaltem in iſtis per accidens, ideſt ratione hujus ſive veræ, ſive falſæ exiſtimationis, poterit dari actus indifferens in individuo.

Nec reſpondere cum Serra proderit, in iſtis talem actum eſſe moraliter bonum, quia exiſtimando, eam

eſſe probabilam, putant, quòd juxta eam operari ſit prudenter operari.

Non, inquam, proderit. Quandoquidem opinio probabilis talem facit actum, qualis ab ea proponitur: ergo cum in tali caſu proponat actum illum ut indifferentem, & præciſè licitum, ſive permiſſum, non verò præceptum, aut prohibitum ſive bonum, aut malum, &c. jam actus ex ea procedens, erit præciſè indifferens.

Vid. Salm. ubi ſupra num. 25. ubi dicunt, noſtrum hoc placitum eſſe D. Th. p. 2. quæſt. 6. art. 8. & ibi quæſt. 76. art. 3. ac ſubdunt quòd ubicunque Angelicus abnuit, poſſe dari actum indifferentem, loquitur de per ſe.

ARTICULUS SEXTUS.

Nam actus externus addat aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interno.

§. I.

1 TRiformiter ſumi actus externus poteſt. Primò pro actu aliquo ab ipſamet voluntate elicito, ſed per alium antecedentem ejuſdem voluntatis actum imperato. Quo in ſenſu non infrequenter ſumitur à D. Th. p. 2. quæſt. 1. art. & ibi q. 20. art. 1. ad 1. quatenùs licèt non ſit exterior voluntati, eſt tamen exterior actui, per quem imperatur. 2. pro actu immanenti, ſed tamen elicito per potentiam aliam à voluntate, ut puta ab intellectu, vel à ſenſu. 3. pro actu membrorum exteriorum.

Exploratum extat, actum exteriorem primo modo, ſi in eo adſit malitia ex objecto proprio, illam addere malitiæ quæ eſt ex fine, & oritur ex actu interiori intentionis, ut ſi propter mœchiam quis furetur. Ille namque actus exterior eſt formaliſſimè intrinſecè liber, & relatè ad duas malitias diverſæ rationis. Dubium itaque emergit de actu exteriori ſecundo, & tertio modo; ſicut etiam primo modo, quando non habet ſpecialem ex objecto malitiam. In quo caſu dicit Thomiſta, non novam malitiam, ſed majorem duntaxat extenſionem intrinſecam priori malitiæ affert, ut legere eſt apud Jo: de S. Th. p. 2. q. 8. diſp. 11. art. 6. num. 55. Actum verò externum ſecundo, & tertio modo nonniſi eandem malitiam purè extrinſecè. De quo infra n. 5.

Igitur lis intentatur de ſola malitia illa, quæ eſt in actu interiori, & poſtea derivatur per executionem ad exteriorem actum: num videlicet ipſa malitiæ executio jam volitæ, quæ eſt in actu interiori ex eo præciſè, quod ad executionem deducatur, novam addat malitiam ſuper malitiam actus voluntatis, quo ipſam voluit, & determinavit executionem.

2. Hac non modica in controverſia ſententiæ annuenti plauſum facit Scotiſta cum Scoto in 2. ſent. diſt. 42. quæſt. 4. §. *quantùm ad* 2. Et citatur D. Bonav. Ripalda, Amicus, & Granadus.

Pars verò abnuens arridet Thomiſtæ, cui adſtipulantur Suarez, Vaſquez, Salas, Oviedus, Caſpenſis, Averſa, Valentia, Acquetus, Morandus, Arriaga, & alii paſſim. Quæ opinio duntaxat concedit, actum exteriorem poſſe quandam bonitatem, vel nequitiam addere occaſionaliter ſufficientem ad præmium accidentale, quatenus eſt occaſio, quòd magis intendatur actus internus. Qua ex conceſſione Maſtrius ſuper 2. ſent. diſp. 5 q. 5. tum n. 260. tum art. 1. n. 263. motivum eſt nactus ſcribendi, Thomiſtam ſuccubuiſſe ponderi rationum oppoſitæ opinionis, & cum Scotiſtis modò convenire. Sed erravit, & turpiter Maſtrius, Tum quia Thomiſta in hoc nuſquam quicquam immutavit, quod cernere Maſtrius potuiſſet, ſi legiſſet S. Thom. in 2. ſent. diſt. 40. q. 1. art. 3. ubi *ad præmium autem*, inquit, *accidentale ordinatur per bonitatem, quæ eſt ipſius actus exterioris ſecundùm ſe; & ideo actus exterior adjungit aliquid ad præmium accidentale, V. G. Martyr, inquantum exteriùs patitur, victoriam de adverſariis habet; & ex hoc ei aureola debetur.* Tum quia Scotiſta contendit, actum exteriorem addere malitiam, aut bonitatem eſſentialem, ac diverſæ ſpeciei, ut videre eſt in PP. Vulpes diſp. 74. art. 3. & 4. Fabro de pœnitentia diſp. 2. Quod nec Maſtrius inficiatur, imò n. 263. dicit, hoc gratis à Thomiſta negari. Tum denique quia, ut jam dictum eſt, Thomiſta annuit, addere ſpecialem bonitatem, vel nequitiam, non formaliter, ſed duntaxat occaſionaliter, ut luculentiùs dilucidabitur num. 11. ad 4. arg.

§. II.

CONCLUSIO.

Actus exterior non addit formaliter interiori nequitiam, vel bonitatem.

3. DIxi *formaliter* ratione illius *occaſionaliter*, de quo dixi n. 2. & iterum dicam n. 11. ad 4. arg.

De Angelici mente dubitaverit nemo. Omnem namque de ſe dubitandi locum ademit in 2. ſent. diſt. 40. q. 1. art. 3. ubi *actus*, inquit, *exterior nihil adjungit ad præmium; tantùm enim meretur qui habet perfectam voluntatem, aliquod bonum faciendi; quantùm ſi faceret illud; at ſi faceret unum actum, quantùm ſi faceret multos*, voluntate, *æqualiter perfecta manente*. Vid. etiam p. 2. q. 2. art. 3. & 4.

S. quoque Aug. omnem de ſe dubitandi locum ademit de lib. arb. cap. 3. ubi *ſicut*, inquit, *non contingat facultas concubendi cum conjuge aliena; planum tamen aliquo modo ſit, id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe: non minùs reus eſt, quàm ſi in ipſo facto* (nimirum exteriori) *deprehenderetur*.

Nec aliquem de ſe dubitandi locum reliquit Bernar. qui Epiſtola 77. *quid planius*, inquit, *quòd voluntas* (videlicet internus conſenſus) *pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas*.

Quod & alii PP. fecerunt, de quibus alios conſule Scriptores.

Nihilominùs viam aliquam de eorum mente dubitandi adaperire conantur Adverſarii, dicendo cum Fabro, PP. ideo ſic fuiſſe locutos, quia apud multos peccata interiora videntur eſſe parvi momenti, ac veluti peccata non eſſe, niſi ſequatur actus exterior.

Aſt conatus iſte inanis penitùs deprehenditur. Libri namque illi Patrum non erant directi ad perſonas rudes, quæ non noviſſent illud Chriſti Math. 5. *omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et Jo: *qui odit fratrem ſuum homicida eſt*.

4. Prob. 1. à ſimili. Quemadmodum linea appetitiva ſe habet circa rem appetibilem in linea moris, ita linea intellectiva circa rem intelligibilem in linea intentionali; ſed per hoc, quod quis V. G. externè ore loquatur, quod internè mente loquitur, non acquirit novæ veritatis notionem: ergo pariter nec per hoc, quòd quis exteriùs exequatur furtum, quod intùs voluntate intendit, non acquirit novam malitiam.

5. Prob. 2. Una, eademque eſt bonitas, vel malitia moralis, quæ eſt intrinſecè in actu interno, & extrinſecè in actu externo; ergo &c. Prob. ant. Actus exterior nullam habet in ſe intrinſecè bonitatem, aut nequitiam, ſolumque denominatur extrinſecè bonus, vel malus à bonitate, vel malitia actus interioris; ergo &c. Prob. ant. Ad bonitatem moralem, vel malitiam requiritur ſaltem ut conditio libertas; ſed actus exterior nullam in ſe intrinſecè formalem libertatem habet, ſolumque poteſt denominari extrinſecè liber à libertate actus interioris voluntatis: ergo &c. Prob. min. Actus exterior neceſſariò ſequitur ex efficaci voluntate, propterea videmus externa membra obedire voluntati ad nutum; ſed quòd ſequitur neceſſariò, non ſequitur liberè: ergo &c. adeoque &c.

Qua ex re habes, quòd non ideo dicimus, non afferre diſtinctam bonitatem, aut nequitiam, quia non gaudeat diſtincta libertate, ut plerique imaginantur. Non, inquam, quia cùm libertas non ſit ratio formalis, non eſt neceſſe, quòd tot ſint libertates, quot ſunt bonitates, aut malitiæ: ut perſpicuum eſt in eodem actu interiori, qui eſtò unus, atque idem, adeoque unica libertate, poteſt duplicem habere bonitatem, vel malitiam.

Ratio itaque eſt, quia actus exterior nullatenus eſt intrinſecè liber, nec etiam eadem libertate, cùm neceſſariò ſequatur. Eò vel maximè, quòd una, eademque libertas nequit duplicem, præſertim interiorem unum, & exteriorem alterum, afficere actum, & utrique ſimul inhærere.

Reſpondent alii, eſſe liberum participativè à voluntate. Sed

Contra, Tum quia etiam dato, quòd participativè aliquam ſortiatur libertatem; eam tamen exercere minimè

poteſt,

poteſt; quia actus exterior neceſſariò ſequitur ad actum interiorem efficacem voluntatis imperantis. Tum quia ſi aliqualem libertatem participat, iſta eſt imperfecta valdè, & imperfectiſſima vix leviſſimum ſufficiens ad veniale peccatum. Qua ratione, & inter Thomiſtas probabilis eſt opinio, quòd ſenſus queat peccare venialiter leviſſimè; quia inferius ea conjunctione ad ſuperius poteſt aliquam ejus imperfectiſſimam participare actionem, V. G. Cœli ex conjunctione ad Intelligentiam poſſunt participare hoc, quod eſt aliqua producere viventia imperfectiſſima; Calor in vivente ea conjunctione ad animam poteſt participare hoc, quod eſt carnes producere. Impræſentiarum autem lis agitur de malitia gravi, & mortali, cùm Adverſarii exemplum adducant de blaſphemia exteriori, quæ ſola eſt obnoxia excomunicationi; de Clericidio exteriori, de caſibus reſervatis, &c. Tum denique quia Adverſarii idem dicunt de actibus externorum membrorum in quibus cùm adſit cognitio nulla, etiam ſenſitiva, nec ulla poteſt eſſe libertas, etiam participativè, ac imperfectiſſima.

Omitto reſponſum aliorum, dicentium cum Pallavicino, quòd bonitas, & malitia licèt quò ad laudem, dependeat à libertate; ſecùs tamen quòad imputabilitatem, ſive præmium, & pœnam.

Omitto, inquam, quia nihil poteſt eſſe ad culpam imputabile, niſi liberum ſit. Quomodo namque imputabitur Sempronio moveri, ſi ab altero impellatur. Adde, quòd etiam laus eſt præmium quoddam, & vituperium pœna quædam.

Præterea doctrinam iſtam refellit ipſemet Maſtrius ubi ſupra num 292.

6. Prob. 3. à poſt. Si exterior actus adderet bonitatem, vel nequitiam ſuper actum voluntatis, ſequeretur, quòd quovis modo impedito actu externo etiam per cauſam extrinſecam, ac violentam, poſſe nos merito aliquo privari, aut malitia non imputari; ſed injurioſum eſt, id aſſeverari: ergo &c. Sequela maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, externum actum poſſe ex cauſa extrinſeca etiam per vim præpediri, ut ſi volenti eleemoſynam dare, fur de manu rapiat; ſi volenti ſe conferre ad celebrandum, vel Sacrum audiendum, alter manus injiciat; vel ſi volentem pergere ad adulterium, alter per vim detineat. Min. verò prob. non tantùm ex illo Luciæ ad Paſchaſium *ſi invitam juſſeris violari, virginitas mihi duplicabitur ad coronam*. Qua in re S. Th. dicit, quòd geminam reportabit coronam, unam pro virginitate, & alteram pro injuria, quam paſſa eſt. Verùm etiam quia ſequeretur, bonum virtutis eſſe ſubjectum fortunæ, & caſui, à quibus exploratum eſt, eſſe immune; qua immunitate haud aliud bonum præter virtutis bonum gaudet.

Maſtrius ubi ſupra num. 295. quamvis ibi in fine non ſit auſus inficiari, quòd de Lucia dictum eſt; tamen non veretur, inficias ire quòd meritum poſſit nobis invitis ex cauſa extrinſeca perdi. Ad id autem, quo probavimus, nimirum quòd ſequeretur, virtutis bonum eſſe fortunæ, & caſui ſubjectum, nil reſpondet, imò nec ullam ejus facit mentionem.

§. III.

Inſenſorum argumenta diſſolvuntur.

7. PRimitèr objici nonnulla poſſent ad probandum, bonitatem & malitiam eſſe per ſe primò in actibus externis, & magis in iſtis, quàm in internis, quia actus interni ab externis ſpecificantur.

Verùm nullo id ſolvitur negotio, dicendo, id verum eſſe de bonitate, & nequitia duntaxat objectiva, quatenus actus externi ſe habent ut objecta, ad quæ interni ordinantur, at non de bonitate, & nequitia formali. Propterea nec Scotiſta, nec alius contendit, eſſe magis in externis. Vid. à Jo: S. Th. ubi ſupra art. 5. num. 42. Hoc igitur omiſſo.

8. Arg. 2. authoritate D. Aug. qui 13. de Trin. cap. 5. *mala*, inquit, *voluntate vel quilibet miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis adimpletur*. Quod cùm nequeat intelligi de miſeria pœnæ, quia deſiderans, & non potens habere, quod deſiderat, plùs habet de pœna, jam debet intelligi de miſeria culpæ.

Reſp. pluribus miſſis reſponſis, quæ refutat Maſtrius ubi ſupra à num. 262. Aug. eſſe intelligendum occaſionaliter, quatenus actus exterior eſt occaſio, quòd magis intendatur interior. De quo magis infra ad 4. arg. Idem dic ad plurium aliorum SS PP. authoritates.

Contra opponit Maſtrius. Solutio hæc licèt locum habere poſſit quibuſdam in actibus internis, non tamen in omnibus. Quandoquidem ea, quæ ex metu fiunt, tollunt ab actibus internis intenſionem, ut projectio mercium, datio crumenæ, ne occidat, & ſimiles actus externi ex metu eliciti volitionem interdum remittunt. Imò actus externi ex concupiſcentia eliciti, licèt dum actu fiunt, volitionem intendant, quia tunc majori impetu, & voluptate voluntas fertur in objectum; tamen ex alia parte libertatem minuunt, & conſequenter miſeriam culpæ.

Reſp. S. Aug loqui, non univerſaliter, ſed quibuſdam in actibus, de quibus ipſemet arguens annuit.

9. Arg. 2. Niſi actus externus ſpecialem adderet nequitiam interno, ſequeretur, actum externum non eſſe neceſſario aperiendum in confeſſione; ſed hoc obverſatur communi Eccleſiæ praxi: ergo &c. Prob. ſequela. Duntaxat peccata confiteri tenemus, & actus, in quibus eſt malitia: ergo niſi &c.

Reſp. nego ſequelam maj. Ad prob. diſt. ant. niſi aliud obſtet, concedo, ſecus, nego ant. conſeq. Obſtat, quòd ni quis confiteretur actum externum, diceret tacitè mendacium. Cùm enim dum dicitur *habui voluntatem efficacem furandi* communiter non intelligatur actus externus, ſignificatur, duntaxat in affectu, & non in effectu eſſe furatum.

Si dicas, quòd in Confeſſione mentiri circa aliquod in quo non eſt malitia, imò malitia eſſentialis, non eſt lethale peccatum, nec reddit confeſſionem invalidam, & ſacrilegam.

Reſp. quòd id contingit etiam cùm quis mentitur circa aliquid, quod tametſi non variat ſpeciem eſſentialem, tamen notabiliter aggravat intra eandem ſpeciem. Ita, inquam, non ſolùm juxta ſententiam probabilem, quòd quiſque teneatur confiteri circunſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem; verùm etiam in alia ſententia volente, quod teneatur confiteri duntaxat circunſtantias variantes ſpeciem. Nam & in hac ſecunda non eſt licitum circa hoc mentiri, imò & in hac ſententia licèt non teneatur pœnitens ſponte ſua confiteri; tamen ſi à Confeſſario interrogetur, tenetur ei aperire. Multò minùs igitur licebit poſitivè mentiri ſive tacitè, ſive expreſsè. Circunſtantiæ autem aggravantes intra eandem ſpeciem ſunt, non ſolùm quantitas rei, verùm etiam notabilis major intentio, aut diuturnitas operis, ut ex Jo: de S. Th. ſcripſimus art. 4. §. 3. ad 3. arg. in fine totius numeri 8. Ut autem diximus, & meliùs infra ad 4. dicemus, actus externus eſt occaſio, quòd magis notabiliter intenſior fiat internus. Idcircò mentiendo circa actum externum, mentiretur & circa illam actus interni intenſionem, cujus externus eſt occaſio, & quæ nuſquam poteſt benè exprimi, niſi exprimendum externum, ſicut nec unquam poteſt ita eſſe grandis, quamquam, ut ita dicam, maxima, ſicuti evenit, quando externus intervenit actus, ut ad 4. dicetur arg.

Solutio alia legatur apud Jo: de S. Th. p. 2. q. 18. art. 6. à num. 65.

10. Arg. 3. Ea diſtinctam ſaltem numero ſortiuntur nequitiam, vel bonitatem, quæ ſub diſtincto præcepto cadere poſſunt; ſed tales ſunt actus exterior, & interior: ergo &c. Dictum eſt *ſaltem numero* quia diſtinctio ſpecifica ſumitur ab objectis. Maj. ut certa eſt habenda, quoniam præceptum aliquam ſupponit bonitatem, vel malitiam in objecto, quod præcipit, vel prohibet. Min. verò innoteſcit ex decalogo, in quo uno præcepto prohibetur actus interior, *non concupiſces rem proximi tui*; per alterum verò prohibetur actus exterior *non furtum facies*.

Conſ. ex Scoto. Bonitas moralis eſt integritas omnium eorum, quæ ſecundùm rectam rationem operantis debentur actui; & malitia eſt carentia alicujus eorum; ſed alia eſt integritas actus externi, & alia interni: ergo &c. Prob. min. Actus externi ſunt ſubordinati legi, & regulis morum, quibus conformari, vel difformari ſicut interni poſſunt: ergo &c.

Reſp. ad arg. nonnullis miſſis reſponſis, quæ refellit Maſtrius

ſtrius ubi ſupra à n.277. primitùs diſt. maj. quæ cadere habent ſub diſtincto præcepto conſtitutivo, ideſt præcipiente aliquid, aut prohibente, concedo, purè explicativo, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Illud namque præceptum *non concupiſces rem proximi tui* eſt purè explicativum illius alterius antecedentis *non furtum facies*; ſicut & illud *non concupiſces Uxorem proximi tui* eſt purè explicativum alterius antecedentis *non mæchaberis*; propterea poſt illa, iſta ſunt poſita, ut videre eſt Deuteronomii 5. Loquebatur enim tunc Deus ad populum Hebræum rudem, in quo plerique exiſtimaſſent, prohiberi actum duntaxat externum. Hoc autem fecit Deus circa iſtas, & non circa reliquas materias, quia in iſtas præ cæteris fertur Hominis deſiderium.

Nec inde ſequitur, decalogi præcepta non poſſe ampliùs dici præcepta decalogi; quia non forent ampliùs decem.

Non, inquam. Nam ſunt adhuc decem, quia ultima duo ſont præcepta, licèt ſolùm explicativa. Dari ſiquidem poſſunt præcepta purè explicativa, quemadmodum dari queunt, & à Juriſtis recenſentur leges conſtitutivæ, & aliæ purè explicativæ, dum docent, leges conſtitutivas, ideſt præcipientes, aut prohibentes aliquid, non extendi ad actus præteritos, ſed duntaxat ad futuros, benè verò leges declarativas aliarum præcipientium, vel prohibentium extendi etiam ad actus præteritos. Bart. Bald. & alii in *l. omnes populi ff. de Juſt & Jur* & Canoniſtæ in *c. ult. de conſt.* & colligitur ex *c. Gaudemus de divort.* & ex *c. ult. de ſponſa duorum.*

Præterea Reſp. ſufficere bonitatem objectivam, vel nequitiam, ut diſtincto ſub præcepto cadat. De qua dixi hic in exordio hujus *§.3. n.7.* & non requiri bonitatem, aut nequitiam formalem, ſicut etiam cùm prohibentur objecta, puta res aliena.

Neque obeſt, quòd actus externi non ſint ipſa objecta. Non, inquam. Nam eſtò non ſint ipſa objecta abſolutè, cùm potiùs ad ſua tendant objecta; ſunt tamen objecta comparativè ad actus internos, qui ad externos ordinantur, ac immediatè ab eis ſpecificantur. Quod velit nolit, docuit ipſemet Maſtrius ubi ſupra n.258. ut ſalvaret, bonitatem, & malitiam non eſſe per ſe primò in actibus exterioribus.

Demum: Diſtincta præcepta eſtò debeant ſupponere bonitatem, & malitiam, non tamen ſemper diſtinctam. Palam namque eſt, quòd una, eademque res prohibetur per legem naturalem, Divinam, & humanam, ut furtum.

Ad Conf. Reſp. poſſet, nego min. Ad prob. ut ſupra, habere conformitatem, aut difformitatem objectivam duntaxat (loquendo de conformitate, aut difformitate intrinſeca) non verò formalem.

Præterea, nego eandem min. Ad prob. dico, quòd ſunt ſubordinati, ſed non modo humano, ut ad bonitatem, & malitiam formalem requiritur; ideſt non libero modo ſubordinantur, cùm non ſint formaliter liberi intrinſecè, ſed duntaxat extrinſecè, ut diximus, quemadmodum urina, vel pulſus dicitur extrinſecè ſanus, ut ſigna.

11. Arg. 4. Actui externo correſpondet ſpeciale præmium, ſaltem accidentale, vel ſpecialis pœna, ut oſtendit D. Bernardus Epiſt. 77. de martyrio, & de Virginitate; & idem eſt de actibus externis Doctorum, quibus communiter cenſetur correſpondere aureola. E contra verò quibuſdam externis malis in foro Eccleſiæ infliguntur pœnæ cenſurarùm, quæ internis non debentur: ergo actus externi diſtinctam obtinent bonitatem, & nequitiam. Prob. conſeq. Præmium, & pœna ſivè eſſentialis, ſive accidentalis, debentur bonitati, & malitiæ: ergo diſtincta præmia, & diſtinctæ pœnæ diſtinctis bonitatibus, aut malitiis, adeoque ſi &c.

Si reſpondeas cum nonnullis negando aſſumptum, & adducendo, id, quod de S. Martino Eccleſia canit: *o Anima Sanctiſsima quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit.*

Contra exurgit Maſtrius ubi ſupra n.268. Ultraquamquod contradicit Bernardo nuperrimè citato; Eccleſia cum toto hoc celebrat officium de communi Confeſſorum, non verò martyrum. Aliter igitur

Reſp. diſt. maj. actui externo tanquam meritorio, vel demeritorio formaliter correſpondet ſpeciale præmium, vel ſpecialis pœna, nego, tanquam meritorio, vel demeritorio occaſionaliter, concedo, ant. & nego conſeq. (Et ſic interpretandus Ber. venit, quem num. 3. oſtendimus ſtare apertè pro nobis) quatenus nimirum eſt occaſio, ut magis intendatur actus internus, ut feſtinè cum D. Th. fuſiùs illuſtrabitur.

Dices. Inde ſequeretur, quòd ſi per poſſibile, vel impoſſibile daretur caſus, quòd actus interior martyrii foret ita intenſus, & perfectus æqualiter, ac per omnia, ac actus cum martyrio exteriori, talis actus interior ſine martyrio, foret ita meritorius ſicut interior unà cum exteriori; ſed hoc obverſatur D. Bern. Epiſt. citata 77. ubi poſtquam dixit, *quòd voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas*, ne quis ex hoc dicto induceretur ad credendum, æquè mereri omninò apud Deum, qui efficaciter vult martyrium, ac ille, qui reipſa martyrium patitur, ſubdit, *etſi meritum fidei tantum valeat ad juſtificationem ſine martyrio, ac cum eo: non tamen tantum valet ad cumulum meriti.*

Reſp. concedendo ſequelam maj. & negando min. ac interpretando Clarevallenſem Abbatem, quòd loquatur de eo, quòd regulariter, & communiter evenit; non verò de poſſibili caſu, de quo, quia non conſtat Eccleſiæ, num in aliquo fuerit datus; Idcircò de nullo, qui in facto martyrium non ſubierit, habet officium tanquam de martyre.

Huc facit doctrina S. Th. in additionibus ad 3. p. q. 96. art. 6. ad 3. nimirum, quòd ille, qui invitus detinetur, ne rapiatur ad martyrium, non perdit eſſentiale martyrii præmium, ſed perdit aureolam, quæ eſt præmium aliquod accidentale correſpondens difficultati, illi, quæ eſt in ipſa executione, & pugna martyrii; quoniam actus exteriores, qui quandam habent vehementiam, ſpecialemque difficultatem, nati ſunt augere meritum, vel demeritum. Et iterum ibi q. 20. art 4. ubi docet, tunc augeri bonitatem, aut malitiam ex actu exteriori, quia augetur, ſeu variatur voluntas.

Idem proportionaliter de pœna dicas.

Error autem Abaelardi, quem ibi fertur recenſeri à Mellifluo, volentis, ſolam voluntatem à Deo puniri, erat, quòd neque ut demeritorio occaſionaliter actui externo correſponderet pœna ulla; ſi verum eſt, quòd talis fuerit Abaelardi error, quod negat Jo: à S. Th. ubi ſupra n.67. videndus; cum Alphonſo de Caſtro.

Ex ex re inferes, quare Eccleſia concedit V.G. indulgentias actibus externis, & non internis. Ratio namque eſſe poteſt, Tum quia requirat majorem illam in internis intenſionem, cujus occaſio ſunt interni. Tum quia actus externi ad publicum ſunt exemplum aliorum, qui internos non perſpiciunt.

Eatenus autem cenſuras; puta excommunicationem, blaſphemiæ exteriùs prolatæ infligit; quia Eccleſia judicat de exteriori. Idem dic de caſuum reſervatione.

12. Aliud objici arg. poſſet, nimirum quòd probabili Thomiſtarum in ſententia poteſt ſenſus venialiter peccare. Verum de hoc vide ſub num. 5.

13. Collige ex dictis, actus externos non poſſe bonus, aut malos dici, niſi extrinſecè denominativè tanquam Signa, ut dictum eſt ſub n. 10. ad Conf. 3. arg. De quo lege Jo: à S. Th. p. 2. q. 20. art. 3. ad 3.

14. Leviura quædam alia arg. lege ſoluta apud alios Scriptores, præſertim verò Jo: de S. Th. p. 2. q. 20. art. 3. à n.68.

15. Demum quædam circa exteriores actus quò ad damnum per eos illatum, quando quis teneatur ad reſtaurationem, vide eundem Joan. de S. Thom. ibi à num. 27. 28. &c.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA
De Paſſionibus.

EXpendunt Salm. p. 2. in proœmio Tractatus 22. quòd accuratè contuentibus litteram Angelici p. 2. à quæſt. 22. aduſque 48. unà cum commentariis Card. Cajetani, vix remanere poteſt controverſiæ locus circa paſſiones, vel quod alieno indigeat labore. Ob idque duas per conſiderationes pauca pro ſummaria notione abſolvam.

CONSIDERATIO PRIMA.

De nomine, & Quidditate Paſſionis, ejuſque origine.

1. PAſſionis nomine hic venit, non rei proprietas, quæ ab eſſentia profluit, ac in ea recipitur; & quia recipere eſt quoddam pati; idcircò paſſio nuncupatur; ſed animi affectus veniunt, qui idcircò paſſiones vocitantur, eò quòd propter eos Homo patitur excipitque vehementiorem impreſſionem quibuſdam ab objectis, ab iis nimirum, quæ naturales afficiunt complexiones.

2. Ejus nomen ortum ducit quodam à græco vocabulo, quod latinè idem perinde, ac *perturbatio* ſonat. Sed de nomine hoc iterum num. 5.

3. Pluribus miſſis definitionibus, de quibus videre eſt Goudin hic, definitur paſſio ex Damaſc. lib. 2. Ortod. Fidei à D. Th. ſic: *eſt motus appetitivæ virtutis ſenſibilis ex imaginatione boni vel mali*. Cui addit S. Th. *cum tranſmutatione corporali*.

4. Paſſiones, ſive perturbationes iſtas exploratum eſt, ad Animam pertingere, quamquam haud facilè intelligatur modus, quo corporales iſtæ paſſiones ad eam tranſmittantur.

Eas autem quatenus ſunt à natura, ex naturali nempe complexione temperamenti, juxta dicenda num. ſequenti 5. citra dubium eſt, nec laudi, nec vituperio eſſe obnoxias, quamquam non parùm infelicem efficiant quem poſſident, meritumque cumulent cum eis colluctanti, & colluctando vincenti. Aſt quatenus ſunt à conſuetudine, quæ acquiritur liberam per actuum repetitionem, dubium nemini dixeris, eas cedere in laudem, vel vituperium.

Si pulchras optas ſimilitudines noſſe, quibus egregiè SS. PP. paſſiones iſtas, ſive perturbationes exhibent, lege Daudinum Jeſuitam in ſua Ethica Sacra.

5. Quò ad eorum naturalem originem, dicendum venit, quòd ut ſunt à natura prodeunt alicujus ex elementi, vel elementaris qualitatis prædominio, juxta ſcripta per nos lib. 2. de Gener. & Corrup. q. 3. art. unico §. 1. n. 1. & 2. Phyſ. q. 3. in fine illius quæſt. quæſtiuncula de Caſu, Fortuna, & Fato num. 7. in fine.

CONSIDERATIO SECUNDA.

De Paſſionum Diviſione.

PAſſionum aliæ ſunt in parte concupiſcibili, ſive concupitiva, & aliæ in parte iraſcibili.

Contra Scotum firmiter tene, concupiſcibilem, & iraſcibilem eſſe duas potentias realiter diſtinctas. Siquidem eſtò utraque idem reſpiciat objectum, nimirum bonum, & malum, ita quòd etiam concupiſcibilis eſt circa contraria, appetendo bonum inquantum ſibi placet, & fugiendo malum, quatenus ſibi diſplicet; quemadmodum una potentia viſiva album attingit, & nigrum. Et inſuper conſpiciamus, quòd eundem per naturalem appetitum natura gravis ſecedit à loco diſconvenienti, puta ſurſum, & ad locum tendit convenientem, nimirum deorſum; quæ loca ſe habent ad rem gravem, ut bonum, & malum: Et idem intellectus eodem naturali deſiderio refugiat ignorantiam ut malum, & quæritet ſcientiam ut bonum.

Eſtò inquam ita ſit; Tamen ſub diverſa formali ratione concupiſcibilis, & iraſcibilis reſpiciunt bonum, & malum. Videlicet, ut expendit S. Th. p. 2. q. 23. art. 1. & 4. Iraſcibilis reſpicit illud ſub ratione ardui, ac proinde cum pugna, & conatu quodam, ejuſque officium eſt reſiſtere noxiis, & impedientibus concupiſcibilem à conſecutione boni convenientis ſecundùm ſenſum.

In Concupiſcibili extant ſex paſſiones. Tres reſpectu boni, quæ ſic ordinatur, *Amor*, *Deſiderium*, *Delectatio*. Quandoquidem ſtatimatque appetitui repræſentatur objectum ut ei bonum, approbat illud, ideſt amat, inde oritur illud habendi deſiderium, quo comparato in eo delectatur. Tres reſpectu mali, quæ ſic ordinantur *Odium*, *Fuga*, & *Triſtitia*. Siquidem ſtatimatque appetitui proponitur objectum aliquod ut ei diſconveniens, ideſt malum, hoc reprobat, ideſt odio habet; ex quo oritur fuga ab illo; quod ſi fugere nequeat triſtatur.

In Iraſcibili quinque ſunt paſſiones. Duæ reſpectu deſiderii, nimirum *Spes*, & *Deſperatio*. Duæ reſpectu fugæ, quæ ſunt *Timor*, & *Audacia*. Una reſpectu triſtitiæ, quæ eſt ira. Cùm namque iraſcibilis ſit veluti miniſtra ipſius concupiſcibilis, ſtatimatque appetitui repræſentatur objectum aliquod; ſi proponitur ut bonum, arduum quidem, ſed non impoſſibile, oritur ſpes, quæ erigit, & inde audacia. Si verò bonum proponitur ut impoſſibile, oritur deſperatio, quæ deprimit, & inde timor, qui ſuccumbit. Demum ira contrario caret, & in cauſam mali animum incendit, ac ad vindictam acuit.

Horum Schema vide apud Javellum.

Lege S. Th. p. 2. à q. 22. aduſque 48. Et nonnulla apud Goudin hic.

QUÆSTIUNCULA ALTERA

De Virtutibus.

EThicam doctrinali totam, non ſcholaſtico perſolvere conſtitueram modo, eorum in gratiam, qui Theologiam minimè addiſcunt; quoniam Theologicas ad controverſias primæ 2. attinet. Nihilominùs Amicorum acquieſcens Conſilio, nonnulla tum de Beatitudine, tum, & præſertim de Actibus humanis, quæ grandioribus involvuntur difficultatibus diſputavi.

Modò virtutum negotio manum admovens propriò indulgere animo decrevi quaſdam per conſiderationes.

CONSIDERATIO PRIMA.

§. I.

De nomine, & Quidditate Virtutis.

1. VIrtutis nomen, quod à viri nomine etymologicè dictum aſſeritur, & utrumque ab hoc nomine *vis viris* quaſi ſortitudinem indigitans (licèt aliàs ſpecialis extet virtus, quæ ſortitudo antonomaſticè vocitatur) multiformiter ſumi ex loquendi uſu conſuevit. Interdum latiſſimè ſumitur quacunque pro perfectione ſive mediatè, ſive immediatè ad operandum ordinata. Quo pacto robur, & ſanitas, virtutis nomine inſigniri ſolent. Interdum minùs latè inſtrumentaria pro perfectione immediatè operativa, quæ inſtrumentum impropriè compellatur, ut 2. Phyſ. conſpeximus. Sic calor in igne, qualitates, quibus Cœli in hæc influunt Inferiora, & potentiæ Animæ virtutes dictitantur; Interdum preſsè quadam pro facultate, non congenita, ſed noſtris comparata actibus, actuſque noſtros perficiente, Et hoc tertio modo apud nos impræſentiarum ſonat.

2. Quatuor circumferunt virtutis definitiones, ab Ariſt. variis in locis traditæ, ultra aliam Aug. quam num. 4. expendemus.

Prima illa eſt, quam habet lib. 1. de Cœlo cap. 11. dicens, virtutem eſſe *ultimum potentiæ*, ideſt potentiæ ſtatum perfectiſſimum. Quæ definitio ſolet attribui tum actui, & effectui virtutis, ut dicitur Joelis 2. *Ficus, & vinea dederunt virtutes ſuas*. Et eodem ſenſu miracula in ſacris litteris dicuntur virtutes, quia ſunt effectus ſpecialis, & extraordinariæ facultatis. Tum ipſis virtutum objectis. Siquidem objectum, ad quod maximus potentiæ conatus aſſurgere queat, *ultimum potentiæ* nuncupatur.

Secunda eſt, quam habet 3. Phyſ. cap. 3. talis: *Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum*. Cujus definitionis ſenſus eſt, quòd virtus eſt qualitas quædam, ponens potentiam in eſſe perfecto ad elicientiam actus, qui eatenus dicitur eſſe quid optimum, quatenus eſt ultimum potentiæ complementum, quæ non eſt, niſi propter actum, ſive operationem.

Tertia, quam habet hic 2. Ethic. cap. 6. talis eſt: *Virtus eſt habitus electivus, in mediocritate conſiſtens, prout ſapiens, & prudens determinaverit*. Ob idque virtus in medio conſiſtit. V. G. liberalitas eſt prodigalitatem inter, & avaritiam, media.

Quarta, quam ibidem habet, talis eſt: *Virtus eſt habitus, qui facit bonum habentem, & opus ejus reddit bonum*.

3. Occaſione harum definitionum duo controverti poſſent. Primum, num Virtus ſit habitus formaliter, hoc eſt pro formali, & non tantùm præſuppoſitivè, ut ſentit Scotus, volens, quòd pro formali ſita ſit in relatione quadam. Verùm de hoc noſtros conſule Theologos p. 2. ubi & ego Deo dante dicam.

Secundum, num ſit vera forma accidentalis ſubjecto inhærens, ideſt qualitas quædam.

Ubi abnuit Atomiſta, accidentia execrans univerſa, & præſertim Jo: ille Saguens hic, qui proinde dicit, majorem illam facilitatem, quam quis experitur in operando media virtute, ac conſuetudine, ex eo duntaxat provenire, quia nimirum per conſuetudinem emolliuntur nervi, & organa. Quod dixit, licèt non hic, ſed in art. antecedenti 4. de paſſionibus ſub num. 3.

At quàm longè à veritate diſtet, convincitur, Tum quia virtutes ſunt etiam ſpiritualibus in ſubſtantiis, nimirum Anima ſeparata, & in Angelis, in quibus tamen non ſunt organa, aut nervi. Tum quia mollificatio iſta, cùm ſit quid recenter adveniens, quod priùs non habebatur, debet aſſignari, in quo conſiſtat, nec unquam aſſignabitur, niſi dicatur accidentalis forma quædam: ſicut aſſignari etiam debet, quomodo conſuetudo, ſive actuum repetitio habeat flectere, & aptare ſubjectum ad actus iterandos.

Tria ex his, quæ objicit Saguens referam, & ſolvam. Primum ſic à Saguens proponitur. Cùm virtus perinde, ac vitium utrique pariter, intellectui ſcilicet, & voluntati, imputari debeat, non ſatis intelligitur, qualiter in utroque ſubjectari poſſit una, eademque entitas cujuſdam habitus ſeu virtuoſi, ſeu vitioſi. Imò quia hujuſmodi habitus inclinationem, promptitudinemque agendi ſimul importat in variis membris, & partibus corporeis, quæ ad agendum intellectui, atque voluntati deſerviunt, explicent Ariſtotelici, ſi libet, modum, quo tot ſubjecta ſimul afficere poſſit habitualis illa entitas.

Secundò. Supponamus, inquit ipſe, conſuetudinem moralem conſiſtere in entitate aliqua accidentali, ad quid entitas inſerviet? Non certè ad determinandum intellectum, qui non poteſt, niſi per illuſtrationem, aut ſuaſionem determinari; nec ad determinandam voluntatem, quæ non determinatur, niſi per oblectationem. At evidens eſt, entitatem illam, de qua tantummodo neſcitur, an ſit ſpiritualis, vel materialis, nec poſſe illuſtrare, nec ſuadere, nec oblectare, cùm ſaltem ſciatur, eam neque Conſilii, neque ratiocinii ullius eſſe participem. Aut certè ſi Homo eſſet per eam determinabilis ad agendũ, cùm hæc haud dubiè non ſit agens liberum, non poſſet, niſi vim & neceſſitatem obtinere, ac neceſſitatem inferre humanis actibus.

Tertiò, ac denique ſi quod reale eſt, & poſitivum in entitate illa habituali, nec produci poteſt, nec deſtrui, niſi per cauſam, cujus activitas ſit realis, & poſitiva. Nulla autem talis cauſa eſt aſſignabilis, & multò minùs aſſignabilis eſt materia ulla, quæ veniat in illius compoſitionem. Sed, quod valdè notandum eſt, per ſolam ceſſationem actuum, quorum prævia repetitio conſuetudinem effecerat, deperit ipſa eadem conſuetudo: non ergo deſtruitur ab ulla cauſa poſitiva; atque ita non eſt entitas poſitiva ſeu forma accidentalis.

Reſp. ad 1. nego, quòd utrique debeat imputari potentiæ. Quandoquidem vel loquimur *ut quod*. Sicque toti imputatur compoſito, ſecundùm tamen quòd diverſas per potentias operatur. Vel loquimur *ut quo*. Et ſic ſi ſunt virtutes morales, vel vitia, ſoli attribuuntur voluntati; ſi verò ſunt virtutes intellectuales, vel alii habitus oppoſiti, ut error, opinio; &c. Soli adſcribuntur intellectui.

Ad id, quod ibi ſubjicitur, dico, mirum non eſſe, quod Voluntas dum cæteras movet potentias, producat in eis qualitatem aliquam. Præterea etiam dicimus, quòd ex frequentatis actibus etiam in externis membris producuntur quidam artificioſi habitus, ut ars ſcribendi, legendi, loquendi, &c. Vide etiam infra §. 5. de ſubjecto virtutum.

Ad 2. dico, utique nonnullos habitus eſſe ad determinandum intellectum, & voluntatem, in actu tamen primo, ſed proximo. Ad oppugnationem dico, id verum eſſe objectivè, ac per modum objecti, at non per modum intrinſecè actuantis, perficientis, & determinantis ad plura illo ſub habitu contenta.

Ad id, quod ibi ſubditur, dico, quòd poſitivè loquendo nec liberi, nec neceſſarii ſunt, ſed ſunt liberi negativè, per non repugnantiam, ac indifferentiam. Præterea, nego ſuppoſitum. Supponit namque, quòd neceſſitas conſideretur circa actum primum; cùm tamen duntaxat circa actum ſecundum neceſſitas conſideretur. Habitus autem, ut dixi, determinant duntaxat habitualiter,

ter, adeoque per modum actus primi, licèt proximiſſimi.

Ad 3. Reſp. quòd vel loquimur de per ſe. Et ſic deſtruuntur per habitus oppoſitos, V. G. humilitas per ſuperbiam, temperantia per intemperantiam, &c. Vel loquimur de deſtructione per accidens, qua deſtruuntur per puram diuturnam ab actibus ceſſationem. Et ad iſtam non requiritur cauſa aliqua poſitiva, ſed ſufficit aliqua ſubjecti indiſpoſitio; ſicque deſtruuntur ex mentis imbecillitate, vel voluntatis debilitate, præcipuè per originale crimen ſauciatæ. Nam cùm talem propter imbecillitatem nunquam in Intellectu, aut voluntate plenè radicentur, ni per novos actus intendantur, paulatim deficiunt.

4. Aliam virtutis definitionem ex D. Aug. hauſtam habet S. Th. p.2. q.55. art.4. & talis eſt: *Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus malè utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur*.

Quæ definitio licèt ſolis infuſis virtutibus convenire videatur; tamen poteſt tamen & acquiſitis optimè aptari, ſi ultimas demas dictiones.

Circa verò ly *qua malè nullus utitur*, intellige *tanquam actus principio*. Quamobrem licèt nonnemo de virtutibus ſuperbiat, proindeque malè illis utatur; tamen malè eis utitur tanquam objecto, nimirum de illis ſuperbiendo, ſicut etiam nonnunquam de virtute malè ſentiendo, vel etiam odio habendo.

§. II.

De Virtutum Diviſione.

5. PRimaria ſui diviſione Virtus in Intellectualem, & Moralem dividitur. Intellectuales virtutes illas dicimus, quæ, intellectum perficiunt ſpeculativum, vel etiam practicum, ſed non in ordine ad mores. Morales eas dicimus, quæ voluntatem afficiunt, vel etiam intellectum practicum etiam in ordine ad mores, ut Prudentia, quæ eſt recta ratio agibilium, non tantùm relatè ad res extra conſcientiam, puta in arte militari, in Regimine, in Œconomica, &c. verùm etiam relatè ad Conſcientiam, & quodammodo etiam ad voluntatem attinet, modo quo exponit S. Th. 2. 2. q 47. art. 5.

Intellectuales virtutes dinumeravimus in Logicæ prodromis art.2. §. 5. nimirum Habitum Primorum Principiorum, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem. Quæ virtutes intellectuales cùm habentem denominent bonum, non ſimpliciter, ſed duntaxat ſecundùm quid, dicuntur virtutes ſecundùm quid, at non ſimpliciter. Similiter habitus principiorum duplex percenſetur. Unus dicitur Intelligentia, & alter Synteresis. Primus attingit principia ſpeculativa, Secundus attingit principia practica, & moralia. Sapientia quoque duplex extat. Una Divina, & ſupernaturalis, nimirum Theologia, altera humana, & naturalis, videlicet Metaphyſica. Numerum autem ſcientiarum dedimus in Logicæ Poſterioriſticis q. 3. art. 5. §. 4. n.7. ad 2. arg. aſſignando rationem formalem *ſub qua* cujuslibet ſcientiæ. Illo te conferas. Item Ars duplex percenſetur, liberalis una, mechanica altera. Utriuſque ſubdiviſionem dedimus in Logicæ prodromis art.2. illo comprehenſam diſticho

Lingua, Tropus, Ratio, &c.

De quibus luculentiùs conſule Gonet p. 2. tract.4. diſp. 3. art.3. in fine.

6. Virtutes morales aliæ ſunt infuſæ, aliæ acquiſitæ. Infuſas dicimus, quæ in inſtanti Juſtificationis unà cum Gratiæ infuſione à Deo infunduntur. Acquiſitæ ſunt, quæ noſtris repetitis in earum materia actibus comparantur.

Omnium præſtantiſſimæ, ſuper quas veluti Oſtium ſuper Cardinem, reliquæ reguntur, ac volvuntur, ſunt quatuor, Cardinales proinde virtutes nuncupatæ, nimirum Prudentia, Juſtitia, Temperantia, & Fortitudo. Et conſueverunt aſſimilari quatuor Terreſtris Paradiſi fluviis, vel quatuor Rotis myſtici Currus Ezechielis, vel quatuor Elementis. De quo reliquos conſule Scriptores.

Ad quatuor iſtas reliquæ reducuntur morales virtutes vel ut adjunctæ, vel ut alicui earum affines, vel ut earum ſpecies, ſive partes ſubjectivæ, vel ut earum partes integrantes.

Hoc verò animadvertas velim, quòd Moralium virtutum quædam dirigunt operationes, quædam moderantur Animi affectiones, & perturbationes, ſeu paſſiones, de quibus antegreſſa ſcripſi quæſtiuncula. Idcircò nonnullæ ſunt directrices operationum, nimirum Prudentia, Juſtitia, & aliæ virtutes, quæ ſunt Prudentiæ, & Juſtitiæ partes integrales. Nonnullæ moderatrices paſſionum, Temperantia nimirum, & Fortitudo, necnon aliæ, virtutes Temperantiæ, & Fortitudini ſubjectæ.

7. Prudentia (de qua quò ad id, quod conſcientiam concernit, nonnulla, Deo Dante, ſcribam in Tract. de Opin. Mor. Probabilitate q. 5.) omiſſa definitione de ea ut eſt regula morum ex Aug. *Eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum*. Quæ definitio hauritur ex eodem D. Aug. lib. 5. de lib. cap. 53. ut habet S. Th. 2. 2. q. 47. art. 1. in arg. *ſed contra*. Et per eam indigitatur, quòd Prudentia eſt illa, per quam Homo deprehendit, quid agendum, quidque fugiendum ſit. Idcircò in Logicæ prodromis art.2. §. 5. fuit definita *recta ratio agibilium*.

Duas in ſpecies partitur Prudentia, nimirum in Monaſticam, quæ eſt in ordine ad agibilia circa propriam perſonam; & in Gubernatricem, quæ eſt relatè ad agibilia circa alios. Iſta autem ſecunda in tres partitur ſpecies, videlicet in Œconomicam, Politicam, & Polemicam, ideſt militarem. Prudentia Œconomica reſpicit bonum familiæ, tum in liberis benè educandis (de quo lege præ cæteris Javelium in ſua Œconomica, cui nemo par in hoc) tum ſervis benè utendo, tum pace in familia ſervanda, tum propriis bonis utendo. Prudentia politica reſpicit bonum Civitatis, vel Regni, ad pacem, & tranquillitatem habendam. Prudentia Polemica reſpicit bonum exercitus ad hoſtes oppugnandos, ac de illis triumphandum.

Præterea Politica ſubdividi poteſt in Politicam ſimpliciter dictam, & in Architectonicam. Prima eſt, qua civis pro ſua virili parte collaborat Principi, ſeque diſponit quatenus eſt membrum Reipublicæ in ordine ad bonum publicum: ſeu qua aliis rectè convivit relatè ad bonum publicum. Architectonica eſt, qua qui præeſt, regit multitudinem, poſſetque ſubdividi in Monarchicam (in qua unus eſt, qui cunctis imperat) Ariſtocraticam (qua ſupremum regiminis clavum tenent nobiles primates) & Democraticam, qua Populus ſeipſum regit.

8. Juſtitia hic ſumitur, non pro juſtitia generali, quæ de cunctis dicitur virtutibus, ſecundùm quam quicquid virtuoſum eſt juſtum vocitatur, & quicquid vitioſum extat, injuſtum dictitatur, ut cum dicitur *Juſti autem in perpetuum vivent. Nor vir Juſtus*, &c. Sed pro Juſtitia ſpeciali, quæ eſt virtus quædam ſpecialis, quæ dat unicuique quod de Jure ad ipſum attinet, & definitur ſic: *eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi*. Sic S. Th.2.2. q.58. art. 5. Qua ex definitione eluceſcit, quòd Juſtitiæ objectum eſt Jus alienum reparandum, & manutenendum, ſive Jus illud ſit naturale, ſive ſit poſitivum, nimirum humanum vel Divinum.

Tres percenſentur Juſtitiæ ſpecies. Prima dicitur Juſtitia legalis, ſecunda Diſtributiva, & tertia Commutativa. Cùm namque Juſtitia ſit virtus quædam, quæ eſt ad alterum, ideſt quæ reſpicit alios, rectificando operationes, quæ ſunt ad alios, & unicuique tribuatur quod ſuum eſt; Idcircò tot ſunt Juſtitiæ ſpecies, quot ſunt in aliqua Hominum communitate, & ſocietate modi ad alterum ſe habendi, & alios reſpiciendi; ſed tres iſti ſunt: ergo &c. Illuſtratur Min. Primus modus eſt partis ad totum; & pro iſto ponitur Juſtitia legalis. Secundus eſt totius ad partes; & propter hunc Juſtitia datur Diſtributiva. Tertius eſt partis ad partem, ideſt unius Hominis ad alium Hominem. Et pro iſto Juſtitia ponitur commutativa. Præterea Juſtitia diſtributiva dividitur in Remunerativam, & Vindicativam.

9. Temperantia, quam à temperie etymologicè, ſicut modeſtiam à modò nuncupavit Aug. in lib. de Beata vita diſp. 3. eſt *Virtus voluptatum Carnis, quæ guſtu, tactuque percipiuntur, moderativa*.

Iſta quoque in tres partitur ſpecies. Prima eſt Abſtinentia, ſive Parcitas. Secunda eſt Sobrietas. Tertia eſt Continentia. Abſtinentia, ſive Parcitas eſt Virtus quædam, qua quis à cibo abſtinet quantum decet, ac oportet, habita ratione valetudinis. Idcircò iſtius virtutis actus eſt Jejunium. Sobrietas eſt virtus, qua quis ab immoderato potu ſe temperat. Caſtitas ſive Continentia eſt *Virtus Carnalium voluptatum moderatrix*. Et eſt triplex, nimirum Conjugalis, Vidualis, & Virginalis. Vide infra §. 3. num. 19.

F 2 10. For-

10. Fortitudo ſumpta, non pro corporis robore (qualis præ cæteris fuit illa Sampſonis) quo pacto non eſt virtus moralis, ſed pro animi fortitudine, quæ eſt virtus quædam in inſtantibus periculis timorem moderans, & audaciam coercens, atque, inter Ignaviam, & Audaciam media, definitur à D. Th. ſic: *Fortitudo eſt virtus exiſtens in iraſcibili Coercitiva timoris, & audaciæ moderativa inſtantibus periculis*.

Qua ex re infertur, quòd Virtus hæc duos obtinet actus, nimirum res arduas adoriri, & res adverſas, nec non pericula invictè, & firmiter ferre.

VIRTUTES THEOLOGICÆ.

Theologicis de virtutibus nonnulla dicere nos manet.

11. THeologicæ compellantur græco à vocabulo *Theos* quod latinè idem ſonat, ac *Deus*. Idcircò illæ ſunt, quæ verſantur circa Deum propter Deum, & habent Deum pro immediato objecto.

Tres autem percenſentur, eo ordine, quo de illis ſcribit Apoſt. 1. Corinth. 13. ubi, *nunc*, inquit, *manent Fides, Spes, & Charitas. Major autem horum eſt Charitas*.

Ordine itaque prima (quicquid ſit de dignitatis prioritate) eſt Fides, deinde Spes, poſtremò Charitas; quoniam ſperare non potes in eo, quem non cognoveris Fide; neque amare Charitate, quem tui adjutorem, & conſervatorem in hac vita, largumque in futura vita remuneratorem non ſperes.

12. Fides igitur ſumpta, non pro fidelitate, qua quis alteri fidem ſervare dicitur; nec pro fide paſſivè, qua quis dicitur dignus, cui fides habeatur; nec activè pro habitu, quo alicui credimus: nec pro fide naturali, & humana, ſed pro fide ſupernaturali, & divina, qua Deo revelanti credimus, definitur paucis verbis ab Apoſt. ad Hebræ 11. quòd ſit *ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium*.

Enucleatur definitio. Dicitur *ſubſtantia*, quia eſt veluti Religionis noſtræ, & ſalutis firmum fundamentum, & vitæ æternæ inchoatio. Cæterùm, ceu habitus, eſt de Qualitatis prædicamento. Dicitur *ſperandarum rerum*, quia Fides eſt fundamentum, cui nititur ſpes noſtra: Dicitur *argumentum* ſumendo ly *argumentum* pro effectu argumenti, qui eſt intellectum convincere ad hoc, ut aſſenſum præbeat veritati; quia etiam Fides ob authoritatem Dei revelantis facit, quòd Intellectus adhæreat rebus fidei firmiter, non minùs, quàm ſi evidenti convinceretur demonſtratione, eſtque nobis Dei authoritas argumenti loco. Dicitur denique *non apparentium*, quia Fides eſt de non viſis. Nec curandus Infidelis, qui Chriſticolam ſpernit ceu demonſtrationibus non utentem quo ad Fidei ſuæ res. Si namque in rebus creatis, & in nobis ipſis plurima non intelligit humana mens, vel etiam intra ſeipſam, cùm haud plenè ſit ipſamet ſibi conſtans natura, & myſterium ſibimet ſit Homo, & Eccleſiaſtes 3. dicatur *Mundum tradidit Deus diſputationi eorum, ut non inveniat Homo opus, quod fecit Deus ab initio uſque ad finem*, quid quæsò dolendum, ſi divinorum myſteriorum modum non aſſequitur? Hinc Iſaiæ 7. ſcribitur *ſi non credideritis, non intelligeretis*. Appoſitè: ergo expendit Aug in Pſal. 64. Fidem noſtram fuiſſe ſplendorem in facie Moyſi, in quam intendere non poterant filii Iſrael, ſed velamen erat inter faciem loquentis Moyſi, & populi audientis verba. Per velum enim audiebant verba, ſed faciem minimè videbant.

Meditandum verò, quòd Fides interdum eſt formata, interdum informis. Non quòd duæ ſint Fidei ſpecies eſſentialiter differentes, ſed quia ſi fides eſt ſimul cum Gratia, & Charitate, eſt in ſtatu perfecto, & dicitur formata; ſi verò ſit abſque illis, eſt in ſtatu imperfecto, diciturque fides informis, ceu non formata Charitate; quæ eſt cunctarum virtutum forma dignificans.

13. Spes, quæ, ut nuper conſpeximus, adeo eſt Fidei alligata ut nullatenus abſque fide ſubſiſtere valeat, & quod Fides futurum credit, Spes futurum ſperat; *eſt virtus, qua certa cum fiducia æternam beatitudinem, obtentu difficilem, ſed Dei ope comparabilem, expectamus*. Propterea objectum materiale ſpei ſunt quævis bona ſupernaturalia, divino acquiſibilia adjutorio. Objectum formale *quod* eſt Deus, quatenus ipſe eſt Beatitudo noſtra objectiva. Objectum formale *quo* eſt ipſum auxilium Dei.

Iſta quoque interdum formata, interdum informis extat.

14. Charitas, Dilectio, Amicitia, Amor, unum, atque idem ex loquendi uſu ſonare creduntur. Nihilominùs diſcrimen aliquod ſortiuntur. Nam amor præcisè ſumptus abſtrahit ab hoc, quòd ſit mutuus; & ab hoc, quòd unus amet alterum propter bonum ipſi (qui dicitur amor amicitiæ) vel propter bonum ſibi, qui dicitur concupiſcentiæ amor, ut cùm quis Principem amat, quia ad dignitates eum promovet, aliaque ei impertit beneficia. Amicitia eſt amor mutuus, quo unus amicus alterum amat præcisè propter bonum, quod amico deſiderat. Dilectio propriè præſupponit electionem, ſive delectionem ejus, quem amat. Charitas denique ſignificat amorem perſonæ, quam magni facimus, id eſt charam habemus. Et hæc eſt virtus dignitate omnium prima, licèt ordine ultima.

Definitur Charitas ſic: *eſt virtus, qua Voluntas Deum diligit tanquam ſummum bonum propter ſe, & proximum propter Deum*.

Propter objectum materiale primarium Charitatis eſt Deus, ſecundarium verò proximus. Objectum formale *quod* eſt divinum duntaxat bonum; objectum verò formale *quo* eſt divina bonitas.

§. III.

De Virtutibus, quæ ſunt partes integrantes virtutum Cardinalium, vel eis adjunctæ.

15. QUoniam, ut n. 6. ſcripſimus, cæteræ morales virtutes ad quatuor reducantur vel ut partes ſubjectivæ, ſive potentiales, vel ut partes integrantes, vel ut eis adjunctæ. Idcircò ſermonem de iſtis hoc in §. inſtituimus. Et

PRIMO.

De virtutibus, quæ ſunt partes integrales Prudentiæ, necnon de aliis virtutibus, quæ ſunt eis adjunctæ.

16. PArtes ſubjectivas, ſive potentiales Prudentiæ dinumeravimus num. 7.

Integrantes ſunt tres, quæ recenſentur à D. Th. 2.2. q. 51. per totam, nimirum Eubulia, Syneſis, & Gnome. Eubulia eſt virtus benè conſiliativa, & per eam Homo in rebus agendis bonum conſilium quærit, vel dat. Syneſis, ſive ſententia, eſt virtus benè judicativa de rebus benè agendis, ſecundùm tamen regulas communes. In quo diſcriminatur à Gnome, quod eſt virtus judicativa, ſed ſecundùm altiora principia, & cum quadam Judicii perſpicacitate.

Dicuntur autem partes integrales Prudentiæ, quia ad Prudentem ſpectat benè percipere, benè conſulere, benè conjecturare, ſive benè ſentire, & benè judicare, ac ſententiare de agendis, & vitandis.

Vid. Javell. ſuper 6. Ethic. tam cap. 1. ubi conſpicies, qualiter Eubulia non ſit ſcientia, nec opinio, nec &c. tum cap. 2. & 3. Vid etiam Goudin hic ſua ultima in editione facta Coloniæ Agrippinæ.

17. Virtutes adjunctæ Prudentiæ, nimirum quæ ſunt ei datæ, ut ei inſerviant, & tanquam ei neceſſariæ, octo percenſentur. Prima eſt Memoria, quæ eſt ſtudioſa recordatio præteritorum eventuum, quibus mediis acti ſint, quemque habuerint exitum.

Hic tamen Memoria ſumitur, non pro potentia memorativa undè inſpecta, ſed inſtructa pluribus experimentis, quæ circa præterita negotia facta ſunt, vel ab aliis audita, quibus magnoperè prudentialis adjuvatur conſultatio, quatenus ex his futura conjectamus.

Secunda eſt Intelligentia, quæ eſt accurata conſideratio, qua in qualibet actione cognoſcitur quid honeſtum, decens, ac utile ſit, quidque inhoneſtum, dedecens, ac noxium. Tertia eſt Providentia, qua futurum proſpicitur antequam factum ſit. Propterea providere etymologicè dicitur *procul videre*. Quarta eſt Solertia, alio nomine, Euſtochia, quæ eſt facilis, & prompta conjectio,

qua

qua dum aliquid inopinatò, ac repentinè occurrit, feſtinè invenitur id, quod congruit, & expedit. Quinta eſt Docilitas, qua quis fit alienæ inſtructionis benè, & promptè ſuſceptivus circa agenda; Idcircò importat affectum, & promptitudinem ad aliena conſilia, & monita ſuſcipienda. Sexta eſt Ratio, quæ hic ſumitur, non pro facultate inferendi unum ex alio, ſed pro quadam ſingulari ejus perfectione, qua ex aliis priùs cognitis colligitur in praxi, quid ſit agendum. Septima eſt Circumſpectio, quæ eſt accurata conſideratio eorum, quæ negotium circunſtant, ut nihil ex neceſſariis operi deſit. Octava eſt Cautio, quæ eſt conſideratio impedimentorum extrinſecorum, quæ finis conſecutionem impedire, vel retardare poſſunt, remedia apponendo. Ob idque, ut inquit Goudin. Cautio veluti excubias agit.

Lege Goudin hic quæſt. 6. art. 5. §. in editione Coloniæ Agrippinæ.

S E C U N D O.

De Virtutibus Juſtitiæ conjunctis.

18. HAbitis in §. 1. Virtutibus, quæ ſunt ſpecies Juſtitiæ, illæ ſuperſunt, quæ ſunt ei conjunctæ, quæque novem feruntur, nimirum Religio, Pietas, Obſervantia, Obedientia, Veritas, Gratitudo, Vindicatio, Liberalitas, & Affabilitas. Quibus à Guerinois additur Epikia.

Religio non ſumitur hic pro certarum perſonarum in Eccleſia ſtatu, utputa Religio S. Franciſci, &c. Quo pacto Religio à religando dicitur, quaſi iterum Deo novo vinculo ligando.

Sumitur itaque prout Dei cultum ſignificat, & dicitur Religio à relegendo, quaſi iterum legendo, eò quòd per eam legamus, & lectionem repetamus, ſive iterum legamus, quæ ad Dei attinent cultum. Unde eſt Virtus debitum cultum tribuens Deo tanquam primo omnium principio. Habet autem plures actus, & ſunt Adoratio, Devotio, Oratio, Invocatio, Votum, Oblatio, Sacrificium, Juramentum. De quibus Guerinois hic q. 6. art. 5. §. u.

Pietas ſumpta hic, non generaliter (quo pacto videtur ſignificare vulgò omnem virtutem, & ſolet quiſque probus dici pius, omniſque improbus impius appellari) ſed ſpeciali pro virtute, eſt illa, qua Parentibus, & Patriæ officium, cultumque exhibemus. Intelliguntur autem nomine Parentum etiam conſunguinei omnes, & Patriæ nomine cuncti veniunt Concives.

Obſervantia, ut Tullius ait 2. de Inventione, eſt virtus, qua Homines dignitate aliqua antecellentes, cultu, & honore dignamur.

Obedientia eſt virtus inclinans ad obtemperandum ſuperiorum præceptis expreſſis, vel tacitis.

Veritas, ſive veracitas, eſt virtus, qua Homo inclinatur ad veritatem aliis per ſigna externa manifeſtanda. Et ſolet etiam dici Ingenuitas.

Gratia, ſeu Gratitudo, eſt virtus, qua Homo inclinatur ad compenſandu beneficia ab aliis accepta. De hujus actibus vide Guerinois ubi ſupra.

Vindicatio eſt virtus; qua quis inclinatur ad ſe defendendum ab injuriis, vel eas ulciſcendum, non intentione nocendi, ſecùs erit vindictæ vitium, ſeu odium Charitati oppoſitum, ſed intentione juſtè removendi nocumenta.

Hæc autem ab aliqua debet privata perſona fieri, licèt ab iſta poſſit etiam publica authoritate fieri; at non à perſona communi publica, ſecùs non erit vindicatio, ſed juſtitia vindicativa, ſeu punitiva recenſita n. 8. quæ criminatores pœnis, ac ſuppliciis afficit, diſtincta à remunerativa, quæ beneficia, honores, ac dignitates pro meritis diſpenſat.

Liberalitas eſt virtus ſumptuum moderatrix. Quæ ſi verſetur circa honeſtos Principum ſumptus dicitur *Magnificentia*.

Affabilitas, ſive Urbanitas eſt virtus, qua quis erga alios comiter ſe gerit, hoc eſt facilem aliorum in congreſſu ſe exhibet, neminem dictis, aut factis lædendo, aliorum dictu, & facta ſine offenſione excipiendo.

Epikia, ſive Epicheja eſt virtus legum interpretativa. De qua vide Guerinois hic q. 6 art. 5. § 1 ubi dicit, ſpectare ad Juſtitiam legalem. Lege quoque Javellum ſuper 5. Ethic. lib. 3. cap. unico.

T E R T I O.

De Virtutibus Temperantiæ junctis.

19. TEmperantiæ ſpecies fuere §. 2. num. 9. recenſitæ.

Virtutes autem eidem junctæ octo percenſentur, nimirum Continentia, Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, Humilitas, Taciturnitas, Studioſitas, & Eutrapelia.

Continentia, quamquam pro eodem, ac Caſtitas uſurpari ſoleat, re vera tamen ſecundùm Ber. Ser. de verbis Sapientiæ, Anſel. in c. 5. Epiſt. ad Gal. & Jo: Caſſianum in lib. de ſpiritu fornicationis c. 4. eſt virtus, qua quis motibus reſiſtit, nec conſentit; Ubi Caſtitas in rigore eſt virtus, qua ita ſedatam carnem tenet, ut nec motus ſentiat. De quo videri poteſt Hierony. Dandinus ex Societate in ſua Ethica ſacra lib. 46. cap. 59 fol. 539. Idemque ſentire videtur Goudin hic art. 3. §. 2. Idcircò rariſſimos eſſe, qui caſti ſint, idem obteſtatur Ber. ibidem.

Manſuetudo dicitur etymologicè *manus aſſuetudo*, & manſuetus quaſi *manu aſſuetus*, hoc eſt concrectabilis, mitis, facilis, ac lenis ad omnes, ut S. Scribit Anſel. ubi ſupra, & ſuper cap. 4. Epiſt. ad Epheſ. & ſuper cap. 2. poſterioris ad Tim. Et eſt Virtus iræ moderatrix.

Clementia eſt virtus, qua Animus in pœna exigenda ad lenitatem propulſatur.

Modeſtia à modo dicta, eſt virtus interiorum, exteriorumque actionum moderatrix.

Humilitas (variis miſſis acceptionibus, de quibus præfatus Dandinus lib. 18.) juxta D. Ber. in tract. de gradibus humilitatis eſt virtus, qua Homo ingenua ſuimet agnitione ſibiipſi vileſcit.

Taciturnitas eſt virtus Sermonis Moderatrix, ne vel ultra modum quis loquatur, vel ultra modum ſileat; ne vox ſit nimis elata, nec nimis tenuis.

Studioſitas eſt virtus, quæ cognoſcendi deſiderium juxta rationem dirigit.

Eutrapelia tandem eſt virtus, quæ jocis, & ludis modum imponit. De qua lege Javellum ſuper 4. Ethic. tract. 8. cap. unico.

20. Aliæ ſunt, quæ dicuntur partes integrantes Temperantiæ, nimirum Erubeſcentia, quæ eſt timor infamiæ de turpi actu perpetrando; Et Verecundia, quæ eſt timor infamæ de turpi actu perpetrato.

Q U A R T O.

De Virtutibus, quæ Fortitudini ſunt junctæ.

21. VIrtutes, quæ ſunt Fortitudini junctæ, quæque à nonnullis partes dicuntur integrantes ejus, quatuor percenſentur, tum à Macrobio lib. 1. in ſomnium Scipionis cap. 8. tum à Tullio lib 2. de inventione ſub finem, nimirum *Magnanimitas*, *Magnificentia*, *Patientia*, & *Perſeverantia*. Cujus numeri ſufficientiam approbat S. Th. 2. 2. q. 128. art. 1. videndus.

Magnanimitas, cujus nomen Animi magnitudinem ſonat, eſt virtus, quæ magnorum bonorum ſpem, ac deſideria moderatur.

Magnificentia, quæ, ut ex ipſomet nomine, magna facere dicit, eſt virtus, quæ ad magna opera, ingentibus facienda ſumptibus, præcipuè ſi in honorem ſint Dei, inclinat.

Patientiæ vocem à patiendo, & tolerando, manifeſtum eſt, eſſe deductam, eſſeque ſudorum, ac tolerantiæ multæ nomen, ut habet Chryſoſt. hom. 14. in Epiſt. ad Rom. & Jo: Caſs. collat. 18. Eſt autem virtus, qua mala obverſantia æquo animo tolerantur. Non quòd veluti omni humano ſenſu privatus quis illatas V. G. contumelias, & afflictiones non ſentiat; ſed quòd virtute magna toleret.

Perſeverantia ſumpta hic, non pro illa finali perſeverantia, de qua Theologus in tract. de Divina Gratia, eſtque ſpecialiſſimum ſupernaturale Dei donum; ſed pro virtute etiam naturali, eſt virtus, per quam Homo perſiſtit in bono propoſito, & bono opera inchoato uſque ad conſummationem, & adverſus difficultates, à diuturnitate provenientes, roboratur.

§. IV.

De his, quæ virtutibus adverſantur, nimirum de Vitiis.

22. ISmenia (ut fert Pius Rubens ſuo in opere italicè edito hac cum Epigraphe *Convito morale* verbo *Verità* fol.485. n.55.) benè pſallentes tibia, ſive fiſtula una cum malè pſallentibus copulare ſolebat, ut eorum diverſitas optima ſatet pro lectione, ſicque addiſcentes quæ cavere, & quæ imitari deberent, deprehendentes, majorem inde ſortirentur profectum in arte comparanda. Non alium ſanè ob finem hic poſtquam de virtutibus ſermo eſt habitus, de vitiis eiſdem oppoſitis diſcurſus inſtituitur. Et

PRIMO.

De Vitiis adverſantibus virtuti Prudentiæ.

23. QUamquam plura ſint vitia, quàm virtutes, eò quòd uni, eidemque virtuti ſemper ſaltem duo opponuntur vitia, cùm virtus ſiſtat in medio inter duo extrema, V. G. Liberalitas prodigalitatem inter & avaritiam. Nihilominus oppoſitorum ſicut eadem eſt ratio, ita eadem eſt diviſio. Idcircò vitia dividuntur ſicut virtutes, quibus obverſantur.

Prudentiæ primitèr adverſatur veluti genericè Imprudentia, ſub qua continentur Præcipitatio, Inconſideratio, Incoſtantia, Negligentia, Prudentia Carnis, Aſtutia, Dolus, Fraus, & Immodica, ideſt immoderata de rebus temporalibus ſollicitudo.

Imprudentia autem ſumi dupliciter poteſt. Primò privativè pro carentia Prudentiæ in eo, qui natus eſt eam habere, & qui eam habere tenetur. Et iſta eſt peccatum omiſſionis, quia tenetur quiſque ſtudium adhibere, ut acquirat Prudentiam, qua rectam ſecundùm rationem vivat, cùm ſit rationalis naturæ. Secundò contrariè pro habitu, quo quis operatur modo Prudentiæ contrario, rectas adverſus regulas, & circunſtantias.

Præcipitatio animi dicitur per quandam metaphoricam ſimilitudinem ad corporis præcipitationem, qua de Scala præcipitari quis dicitur, quando ſcalæ ordinem non ſervat, ſed à ſupremo ad ultimum tranſcurrit gradum. Idcircò definitur, quòd ſit quædam inordinatio conſilii, qua Homo per voluntatis, vel paſſionis imperium, fertur ad agendum prætermiſſis Prudentiæ gradibus. Gradus autem Prudentiæ, per quos pertranſire habet ad hoc, ut prudenter agat, ſunt ferè omnes illarum virtutum actus, quæ ſe habent ut partes vel ſubjectivæ, vel integrantes Prudentiæ, vel ei ſunt adjunctæ, de quibus ſcripſi §.3. n.16.

Inconſideratio eſt voluntarius Judicii defectus, ex eo proveniens, quod Homo contemnit, vel negligit attendere ad ea, ex quibus rectum procedit judicium.

Inconſtantia eſt receſſus à bono propoſito propter aliquid aliud, in quo appetitus inordinatè ſibi complacet.

Negligentia, ſive ſocordia eſt defectus debitæ ſollicitudinis circa agenda. In quo differant Incoſtans, & Negligens vide apud S. Th 2.2. q.54. art. 2. ad 3.

Prudentia Carnis licèt ſit Prudentiæ inſenſa, tamen Prudentia, & non imprudentia nuncupatur, quia ſimilitudinem aliquam cum Prudentia præſefert, ut expendit Guerinois; & eſt illa, quæ cùm quis pro fine ultimo bona carnis habet, dictat apta media ad opera carnis explenda. Vid. Javell. par.2. Philoſophiæ Chriſt. cap 2.

Aſtutia licèt interdum in ſcripturis, ut notavit Javell. loco nuperrimè citato, pro vera ſumatur prudentia; propriè tamen, & preſsè loquendo, eſt vitium, quo non veris, ſed falſis, ac ſimulatis viis ad finem, ſive bonum ſive malum tenditur. Et in hoc diſcriminatur à Prudentia carnis, quæ ſemper eſt ad finem malum.

Fraus, ſeu dolus, eſt vitium, exequens falſas, atque ſimulatas vias, ſive conſilia, quæ excogitat aſtutia. Imò à non paucis habetur pro duobus, quorum unum, nimirum fraus, ſit circa facta, & opera; & aliud, nempe dolus in lingua, & circa verba. De quo lege Javell. & Guerinois.

Immodica denique, ſive immoderata ſollicitudo eſt vel ſuperfluorum bonorum quæſtus; vel nimium temporalium bonorum ſtudium.

SECUNDO.

De Vitii Juſtitiæ obverſantibus.

24. JUſtitiæ primitèr adverſatur veluti genericè Injuſtitia, ſub qua tres injuſtitiæ ſpecies continentur, nimirum Injuſtitia legalis prima, Injuſtitia commutativa ſecunda, quæ in contractibus, pactis, & commutationibus perpetratur, & multò magis in furtis jus alienum lædendo; in detractionibus, famam lacerando; in adulteriis ad alienam accedendo, &c. Tertia demum Injuſtitia vindicativa, quæ præſertim per acceptionem perſonarum committitur. Lege S. Th. 2.2. q.63. art.2.

TERTIO.

De Vitiis, quæ Temperantiæ adverſantur.

25. TEmperantiæ adverſatur primitèr veluti generice Intemperantia, quæ ſi latè ſumatur, omnia comprehendit vitia, quæ partibus ſubjectivis Temperantiæ opponuntur. At verò determinatè ei adverſantur duo, inter quæ eſt media. Mediat enim inter Temperantiam preſſe dictam, & Stupiditatem. Intemperantia ſtrictè dicta eſt vitium, quo voluptates Carnis, guſtus præſertim, ac veneorum, præter, aut contra regulas rationis appetuntur. Stupiditas ſenſuum eſt vitium, quo omnes corporis delectationes etiam neceſſariæ, honeſtæ, & à Deo ordinatæ, negliguntur, ac vitantur. Cæterùm vitium hoc vix inter Homines adinvenitur. Qua ex re habes, quòd iſta ſenſuum ſtupiditas non illa eſt ſenſuum hebetudo, quam non infrequenter S. Th. ex immoderato provenire coitu, docet.

Speciebus autem Temperantiæ, tria opponuntur vitia, nimirum Gula, ſive Crapula, Ebrietas, & Luxuria.

Crapula, ſive Gula, de qua prima fuit Adæ tentatio, eſt inordinata comedendi concupiſcentia, licèt Gula ut eſt Crapulæ, & Ebrietati communis definiatur, quòd ſit inordinatus appetitus cibi, & potus.

Ebrietas Hebræorum nomine ſatietatem ſignificat, ut Author eſt S. Hierony. in qq. hebraicis, & Chry. hom. 29. in Gen. latiùſque patet, quàm ad vini potationem, ut idem oſtendit Chryſ. in com. ad cap. 44. Ezech. At antonomaſticè ſignificat immoderatam vini potationem. Et hoc ſecundo inſpecta modo eſt vitium, quo quis excedit in potu inebriare valente.

Luxuria, quæ primogenita Gulæ, & Ebrietatis filia nuncupatur ab Orig. hom. 7. in levit. juxta illud Apoſt. *nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria* eſt vitium, quo inordinatè venerea appetuntur.

Septem autem percenſentur Luxuriæ ſpecies, nimirum Fornicatio, quæ eſt commixtio ſoluti cum ſoluta. Adulterium, quod eſt commixtio inter duas perſonas, quarum vel altera, vel ambæ ſint conjugatæ. Stuprum, quod eſt Virginis ſub cura Parentum exiſtentis defloratio extra matrimonium. Sacrilegium, quod eſt perſonæ ſacræ, vel Deo conſecratæ, vel in loco ſacro per actum venereum violatio. Inceſtus, qui eſt commixtio venerea perſonarum conſanguinearum intra gradus prohibitos; qui gradus ſunt in conſanguinitate uſque ad quartum gradum incluſive; ſicut & uſque ad quartum gradum affinitatis incluſivè, ſi affinitas proveniat ex copola legitima in matrimonio; ſi verò proveniat affinitas ex copola illicita, uſque ad ſecundum duntaxat gradum incluſivè. Raptus qui eſt, quando perſona aliqua invita, vel invitis parentibus per vim, aut ſeductionem abducitur cauſa explendæ libidinis, aut matrimonii contrahendi, vel etiam quando ubicumque polluitur invita etiam propria in domo. Denique peccatum contra naturam, quod eſt actus venereus, ex quo generatio ſequi nequaquam poteſt, & eſt quadruplex, nimirum Mollities, ideſt ſimplex pollutio, Sodomia, Beſtialitas, & Fellatio, quam exercentes dicuntur Fellatores à fellando, quod eſt idem ac exſugere; & Martialis, ut fert Natalis ab Alexandro lib.3. de peccatis art.2. eos appellat, lingua maritos, & ore mœchos. Lege Caſuitas; hic verò quoniam proprius non eſt locus, in eis recenſendis memet ipſe faſtidio.

QUAR-

Q U A R T O.

De Vitiis Fortitudini Adverſantibus.

26. VItia, quæ Fortitudini adverſantur, percenſentur quatuor, duo per defectum, nimirum Timor, & Vecordia; & duo per exceſſum, nempe Audacia & Intimiditas, ſive Impaviditas. Timor tunc ad vitium pertinet, quando appetitus refugit ſuſtinere ea quæ recta ratio dictat, eſſe ſuſtinenda. Hinc non Fortitudinis, ſed vitioſi timoris eſt, ſibi mortem inferre quibuſdam in caſibus. Propterea Aug. 1. de Civit. Dei cap. 19. non virtuti, ſed vitio tribuit Romanæ Lucretiæ, quod à Tarquinii filio vi oppreſſa ſeipſam interemit. Intellige tamen, niſi ex aliquo ſpeciali fiat Spiritus Sancti inſtinctu, ut de Sampſone, qui inter Sanctos ſupputatur Hebræ. 2. De S. Apollonia, &c. idem ſcribit Aug. ibi cap. 21. & ex eo S. Th. 2. 2. q. 65. art. 5. De quo lege Goudin hic q. 6. art. 4. Ignaviæ quoque eſt mortem eligere, ut paupertatem, vel moleſtiam quis fugiat.

Vecordia dicitur vitium, quo quis non ſatis, quantùm opus eſſet, audet, ſed parùm, & ferè nihil.

Audacia eſt vitium, quo appetitus adoritur contra regulas rationis pericula ob inordinatam cupiditatem victoriæ reportandæ ſupra ipſum periculum.

Impaviditas, ſive Intimiditas, eſt vitium, quo appetitus non timet ea, quæ recta ratio dictat, eſſe timenda.

Alia quædam vitia oppoſita ſpeciebus Fortitudinis, ut ſunt Parvificentia, ſive Sordities oppoſita magnificentiæ. Alia oppoſita Perſeverantiæ, nimirum unum per exceſſum, ut Pervicacia, alia duo per defectum, ut Inconſtantia, & Mollities, ſumpta hic, non ut eſt ſpecies Luxuriæ, quæ dicitur Mollities antonomaſticè, ſed pro alio quodam vitio, quo ex amore vitæ mollis, & delicatæ, labores vitantur, & difficultates, &c. Videantur apud Guerinois hic quæſt. 6. art. 6. §. 2.

Q U I N T O.

De Vitiis, quæ adverſantur primæ Theologicæ virtuti, nimirum Fidei.

27. FIdei obverſatur veluti genericè Infidelitas, quæ eſt vitium illud, quod antonomaſticè vitium eſt. De hac extat illud Aug. lib. 3. contra Pelagianorum duas Epiſtolas cap. 3. Eam ſolam facere filios Diaboli, cætera peccata filios hujus ſæculi. Eamque ſignificari ubi peccatum abſolutè, & ſine additione nominatur, ſicut Jo: 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato.* Peccatum ſiquidem dicit infidelitatem, qua Chriſto credere noluerunt, cùm reapſe peccatis aliis non carerent, & tamen dicat, *peccatum non haberent*, & c. 16. de Spiritu Sancto dicitur *arguet mundum de peccato*, quod infidelitatem fuiſſe declarat, dum ſubdit, *quia non crediderunt in me.* Idcircò Judæos incredulos filios Diaboli appellavit Chriſtus Jo: 8. *Vos ex Patre Diabolo eſtis.* Cur autem Infidelitas peccatum abſolutè dicatur, ea apud eundem Sanctum Patrem eſt ratio, tum eo loco, tum in Pſal. 109. quia adimit fidem, ſine qua nullum remittitur peccatum; & quæ ſi admitteretur, omnia relaxarentur.

Hoc verò admonitus ſis, quòd hìc non ſumitur Infidelitas negativè prout nimirum eſt mera fidei carentia in eo, qui nihil audivit, vel non ſufficienter audivit de Fide, cùm hujuſcemodi Infidelitas non ſit peccatum. Sed ſumitur & privativè, & contrariè, quatenus nempè eſt carentia Fidei in eo, qui fide ſibi ſufficienter propoſita, vel renuit aſſentiri, vel poſitivè reſiſtit fidei diſſentiendo, aut contrariis fidei aſſentiendo. Et tunc ſi ſolùm detrectat credere, dicitur Infidelitas privativa; ſi verò poſitivè diſſentit, & oppoſito aſſentit, dicitur Infidelitas contraria.

Tres à D. Th. 2. 2. q. 10. art. 1. percenſentur Infidelitatis ſpecies, nimirum Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis.

Paganiſmus eſt infidelitas eorum, qui renituntur fidei Chriſtianæ nondum ſuſceptæ. Et ſub iſtis comprehenduntur, non ſolùm Turcæ, & Idololatræ, verùm etiam Athei. Judaiſmus eſt infidelitas eorum, qui renituntur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, non quidem in ſeipſa, ſed in figura, ut ſunt Hebræi. Hæreſis eſt infidelitas eorum, qui renituntur Fidei Chriſtianæ ſuſceptæ in ipſa manifeſtatione veritatis per baptiſmum, ut ſunt Hæretici. Ad hanc ultimam reduci poteſt Apoſtaſia à Fide, Quæ Apoſtaſia contingit, cùm quis natus, & nutritus inter Catholicos, à fide deficit; vel penitùs, vel in parte.

S E X T O.

De Vitiis, quæ ſpei Theologicæ adverſantur.

28. SPei duo opponuntur, nimirum adverſatur per defectum deſperatio, & per exceſſum obverſatur ei præſumptio. Deſperatio ſumitur hic, non pro pura ſpei carentia, ſed pro poſitivo receſſu à re deſiderata & deſperata propter æſtimatam impoſſibilitatem. Præſumptio eſt inordinata ſpes, & immoderata circa bonum arduum. De qua vide Javellum par. 2. Philoſophiæ Chriſtianæ tract. 2. cap. 6. per totum.

Ambæ ſunt peccata in Spiritum Sanctum. Vel enim de Divina miſericordia, aut meritis noſtris nimium confidimus, & eſt præſumptio, temeritas, arrogantia. Vel minùs, quàm par eſt, miſericordiæ tribuitur; & eſt Deſperatio.

S E P T I M O.

De Vitiis, quæ Charitati adverſantur.

29. CHaritati adverſantur Odium ſive Dei, ſive proximi, Contentio, Rixa, Schiſma, & Scandalum.

Odium eſt averſio, ſive diſplicentia in malo apprehenſo. Novem ſunt differentiæ Odium inter, & Iram, de quibus lege Javellum in ſua Politica tract. 2. cap. 6. Diſcordia, quæ etymologicè dicitur diverſitas cordium, ideſt voluntatum, eſt vitium, per quod voluntas unius ſcienter contrariatur voluntati alterius, cui conſentire deberet. Contentio, quæ dicitur à *contra tendere*, eo quod per eam contra alium tenditur, eſt vitium, per quod inordinatæ fiunt altercationes verbis, & clamoribus contradicendo.

Rixa à ringendo, quod proprium eſt canum, cùm irritantur, dicitur. Ringere namque eſt, os, vel nares torquere. Eſt autem Rixa vitium, quò ad percoſſionem aliquam devenitur; quia ad præfatas torſiones ſequitur complurimum percuſſio aliqua. Ob idque ſecernuntur contentio, & rixa, quod contentio eſt in verbis, rixa verò in factis.

Schiſma à ſcindendo, ſeu ſeparando dicitur, & eſt ſeparatio ab unitate Eccleſiæ, & renixus obediendi ſummo Pontifici, ac communicandi cum membris Eccleſiæ. Et noveris, quòd aliud eſt Hæreſis, aliud Schiſma. Nam licèt etiam Hæreſis à ſcindendo dicatur, eo quod Hæreſis eſt nomen quoddam græcum, quod latinè ſonat ſciſſio; & idcircò Hæreſes dicuntur ſectæ; tamen ſchiſma eſt in voluntate, Hæreſis in intellectu pro ſnemali. Undè quamquam ſecundùm Hieronymum quodcunque Schiſma Hæreſim aliquam confingat, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur; attamen eſt peccatum ab ea diſtinctum ex ſua ratione formali Imò, ut docet S. Th. 2. 2. q. 9. art. 10. ad arg. 3. poteſt contingere, ut quis credat, omnibus art. Fidei, & ſummum Pontificem eſſe caput Eccleſiæ; & tamen nolit ei obedire. Et hic eſt purè Schiſmaticus. Undè licèt omnis hæreticus ſit Schiſmaticus, non tamen è converſo.

Scandalum eſt nomen græcum, quod latinè idem perinde ſonat, ac *offendiculum*, ſive *impactio*, & dicitur vitium illud, quo dicto, vel facto minùs recto præbetur proximo occaſio ſpiritualis ruinæ.

Prætereà Charitati adverſantur Invidia, & Acedia, quatenus adverſantur bono proximi, aut bono ſpirituali, de eis triſtando, cum de utroque gaudeat Charitas. Et obſerva, excæcantem adeo eſſe Invidiam, ut dicatur à *non videre*, & Invidus etymologicè dicatur *non videns*, quemadmodum injuſtus, non juſtus.

§. I I I.

De Mediocritate Virtutis.

30. EX hactenus dictis eniteſcit, virtutem in medio aliquo eſſe ſitam, ita quòd duo ei adverſentur extrema, unum per defectum, & aliud per exceſſum.

Videndum verò num omnibus de virtutibus id verum habeatur.

Explo-

Exploratum primodùm eſt, verum minimè eſſe da theologicis virtutibus, ſaltem per ſe, & ex parte objecti loquendo. Eteoim poteſt quidem contingere defectus, nimirum non amando, non credendo, non ſperando quantùm debemus; at contingere minimè poteſt exceſſus, cùm nunquam ſatis diligatur, nunquam ſatis credatur, nunquam ſatis ſperetur. Dixi *ex parte objecti*, quoniam loquendo ex parte ſubjecti, & de per accidens exceſſus evenire poteſt; non ita quòd Deum nimis amet V. G. ſed quia in eliciendis actibus amoris Dei impendar tempus illud, quod in aliis deberat impendi operibus.

Dubium autem emergit, num in materia Juſtitiæ queat exceſſus contingare. Ubi abnuit Vaſquez, & cum eo du Hamel licèt quæſtionem dicat, eſſe de nomine. Annuunt verò reliqui, præſertim Pontius, & Maſtrius ſuper 3. ſent. non ſolùm quia potaſt quis creditur cogi vel à creditore, vel ab alio, dare creditori ultra debitum; & tunc ille cogens peccat contra Juſtitiam per exceſſum: Verùm etiam quia ipſemet debitor poteſt cnurra propriæ conſcientiæ regulam plùs dare. Sed hoc in ſecundo caſu crediderim, eſſe Liberalitatis, vel etiam Prodigalitatis effectum.

Hujus occaſione noſſe non pigeat, quòd duplex eſt medium iſtud, quod Virtutum eſt proprium. Uoum dicitur medium rationis, quòd nimirum eſt ex rei narura præfixum indiviſibile, & invariabile. Aliud eſt, quod præfigitur à Prudentia hìc, & nunc juxta circunſtantiarum varietatem. Primum eſt ſolius Juſtitiæ proprium; ſecundum verò cunctis competit virtutibus.

Circa Humilitatem videbitur forſan exceſſum dari haud poſſa; eò quòd videatur, nunquam poſſe ſatis quempiam humiliari. Nihilominùs & in iſta locum habet exceſſus, qui Abjectio, & Vilitas dicitur.

§. IV.

De Virtuiam Coonexione.

31. THeologicas Virtutes non eſſe invicem connexas eſt palam. Quandoquidem ſtat Fides, & Spes Informis, ideſt abſque Charitate.

E contra verò virtutes cunctas morales infuſas eſſe invicem connexas exploratum extat. Siquidem cùm ſint Gratiæ proprietates, omnes unà cum Gratia confunduntur.

Quantùm ad morales virtutes acquiſitas diſſidium aliquod adeſt, annuentibus ex una parte Thumiſtis, eſſe connexas, ſi inſpiciantur in ſtatu heroico, ac perfecto; abnuentibus ex alia parte Scotiſtis cum Scoto in 3. ſent. diſt. 36.

At res iſta non gravis eſt negotii, cùm jam dempto Scotiſta uoiverſi (demptis Vaſquez, Lorca, Theophilo Raynaudo, Oviedo, Averſa, & Artiaga, qoos tamen nec excipere ſas eſſet, cùm loquantur de virtutibus in imperfecto gradu) adſtipulantur Thomiſtis, quibus & du Hamel noviſſimè adhæret hic diſp. 4. quæſt. 3. Conveniuntque SS. PP. & Philoſophi Ethnici ſolo rationis ductu. De quibus omnibus lege Gonet p. a. tract. 4. diſp 6. art. a.

Prima, & communis ratio, quam format vetuſtiſſimus Ariſtotelis interpres Alexander Aphtodiſæus talis eſt. Fieri nequaquam poteſt, ot Juſtitiam in gradu heroico poſſideat, cui altera ex virtutibus deſit: ergo eſt prout ſic cum reliquis connexa, ut abſque illarum altera ſtare nequeat. Prob ant. Si Judex V. G. eſt Juſtus, & Avarus, jam auri Sacra (ideſt ſacrilega) ſame ad injuſtitiam trahetur: ſi Intemperans fuerit, juſtè agete deſinet ubi aliqua eum voluptas illexerit: Si Timidus, cum periculum imminebit, &c. Idipſum dicas de muliere, quæ ſi Caſta fuerit, ſed Avara, pecùnia de ſacili corrumpetur: Si Meticuloſa, imminente mortis periculo ne vitam amittat, Caſtitatem abjiciet. Cujus ea eſt à priori ratio, quia nulla virtotum conſtans eſſe poteſt, niſi vincere valear impedimenta cuncta, quæ obſtare ei poſſunt. Hoc autem aliatum abſque virtutum conſortio fieri haud poteſt.

Neque dixeris, quòd ooa virtus valet etiam in materia extranea tollere impedimenta cuncta, quæ obſtare ſibi poſſunt.

Ne, inquam, id dixeris. Qoandoquidem refutatum hoc remanet ex dictis q. 5. art. 3. §. a. n. 4. Si namque verum id foret, ſequeretur cæteras ſuperfluas eſſe virtutes.

Secunda ratio, quam habet S. Th. p. a. q. 65. art. 1. talis eſt. Virtus moralis heroica, atque perfecta eſſe nequit abſque perfecta Prudeotia, ſed Prudentia nequir eſſe perfecta, niſi ſecum omnes adſint virtutes: ergo. &c. Maj. videtur ſatis nota. Sicut namque virtus ſtare nequit ſine Prudentia, ita nec perfecta virtus ſine perfecta Prudentia. Min. prob. Prudentia non eſt perfecta, niſi appetitus ſit omnino rectificatus circa ea, quæ appetuntur; atqui nequit appetitus ſic eſſe rectificatus, niſi omnes interſint virtutes, quia ſingulæ aliqoo modo rectificant appetitum, quemadmodum vitium alteri earum obverſans, eum depravat: ergo &c.

Non me præterit, quòd reſpondere Scotiſta poteſt juxta ſua principia, quæ nos in Logicæ poſterioriſticis refutavimus, Prudentiam non eſſe unam ſimplicem qualitatem, ſed ex pluribus compoſitam partialibus pro qualibet virtutum.

At doctrina iſta ſponte ſua labaſcit, non ſolùm quia ſi tunc extaret Prudentia partialis, jam non erit perfecta, ut requiri probavimus, quoniam Prudentia perfecta eſt Prudentia totalis. Verùm etiam qaia Prudentia debet præſcribere medium virtuti etiam in materia extranea, ot conſpeximus io prima probatione, eò quòd Vir V. G. Mitis, ſed Intemperaus poteſt ex libidine fieri crudelis, ut David, de quo dicitur io Pſal. 131. *Memento Domine David*, & *omnis manſuetudinis ejus* Berſabeæ amore captos Uriam maritum ejus neci expoſuit. Vide iterum, quod ſeſtioè contra Vaſquez dicam.

Ea ex re nemine impellente præceps corruit reſponſum Vaſquezii, dicentis, quòd Prudentia licèt ſit una, non tamen requiritur, eſſe perfectam ſecundùm quòd ſe extendit ad materiam omnium virtutum, ſed ſat eſſe, quòd ſit perfecta ſecundùm quòd ſe extendit ad materiam alicujus patricularis virtutis.

Corruit, inquam, Tum quia Prudentia tanquam virtus ſuperior reſpicit cunctarum virtutum objecta ſub una, eademque ratione formali ſuperiori, non ſecùs, ac ſenſus communis omoium ſenſuum objecta; ſecùs in una, eademque Prudentia extarent Prudentiæ ſpecie diverſæ, ceu ſub diverſis procedentes formalibus rationibus; ſicut hac ratione omoes illæ virtotes inter ſe ſpecie diſtinguuntur. Et quidem deberent illæ Prudentiæ diſtingui ſpecie totali (ut iterum Scotica refellatur doctrina) Sicut ſpecie totali virtutes illæ diſtinguuntur: ergo ſicut eſſet perfecta ut reſpicit objectum unius virtutis, ita quoque perfecta foret, ut aliarum virtutum objecta inſpiceret. Tum quia, ut ouper dictum eſt, Prudentia debet virtuti medium præſcribere etiam in extranea materia.

Ea ex re (ut ſolvas arg. Geraldi Aquitani) habes, quòd Pauper, qui foret in gradu heroico temperans, foret quoque liberalis; quatenus eſtò actu oon exerceret Liberalitatis, & Magnificentiæ opera; tamen ea exerceret in promptitudine animi, quatenus ſi pecunias haberet, eas hilariter, & abſque ulla triſtitia elargiretur.

Nec inde ſequitur, tales virtutes fore conditionatas. Non, inquam, quia talis conditio non ſe teneret ex parte ipſius pauperis, ſed duntaxat ex parte pecuniæ deficientis, quamque ipſe abſolutè deſiderat, ut elargiatur.

Qua ex re habes, cur in Chriſto locum non habuit Pœnitentiæ virtus, nec ſatis erat ad eam conditio de peccatis, ſi extarent. Noo, inquam, Tum quia in eo nec erant poſſibilia peccata impoſſibilitate ſe tenente etiam ex parte ipſius Chriſti Thomiſticis inſiſtendo veſtigiis de Chriſti etiam ut Hominis impeccabilitate. Tum quia Chriſtus ea peccata non deſiderabat.

Cætera argumenta, præſertim Scotiſtarum vide convulſa tum apud Cajet. Tum alios apud Theologos p. a. Tum etiam apud Goudin hic.

§. V.

De ſubjecto Virtutum.

32. VIrtutum ſedes eſt Anima ipſa unà cum ſuis potentiis, quæ ſunt ſubjectum immediatum earum Anima verò ſubjectum mediatum, puta mediante intellectu tum ſpeculativo, tum practico, qui eſt immediatum ſubjectum virtutum intellectualium, & artium; & mediante voluntate, aut appetitu ſenſitivo qui eſt ſubjectum virtutum moralium.

Circa tamen partem ſenſitivam non modica lis eſt inter Tho.

ter Tho.

ter Thomiſtam, & Scotiſtam, num ſit moralium virtutum ſubjectum.

Thomiſta namque ſuo cum Angelico Gymnaſiarcha tuetur contra Scotiſtam, morales virtutes eſſe in parte ſenſitiva duntaxat, at non in voluntate, demptis virtutibus, quæ ſunt ad alium, ut ſunt Charitas, quæ eſt in ordine ad Deum modo ſpirituali diligendum; Juſtitia, & Miſericordia, quæ non ſunt in ordine ad moderandas paſſiones, ſed Juſtitia in ordine ad conſtituendam æqualitatem, vel cum Deo, vel cum proximo; Miſericordia ad alienam ſublevandam miſeriam.

Fundamentum, & quidem inconcuſſum, Thomiſtarum eſt, quia habitus dantur ad difficultates vincendas; ſed difficultates circa materiam, ſeu circa objectum virtutum, eſt in parte ſenſitiva, in qua reſident paſſiones moderandæ, puta circa cibum, & potum in materia temperantiæ: ergo in iſta duntaxat ſubjectantur virtuoſi, ſeu virtutum habitus.

Pluribus modis huic ratiocinio occurrit Maſtrius ſuper 3. ſent. diſp. 7. q. 4. art. 1. Et primò, dicendo, quòd nimis probet, nimirum probet, etiam Juſtitiam, & Miſericordiam reſidere in parte ſenſitiva; quia etiam in faciendo æqualitatem, vel ſublevando alienam miſeriam poteſt occurrere difficultas in parte ſenſitiva, puta in ſolvenda pecunia, &c.

Verùm (præterquamquod inſtantia non ſolvit arg.) animadverte, quòd allata difficultas non eſt in materia Juſtitiæ, aut miſericordiæ, ſed in materia alterius virtutis, à qua proinde, & non à Juſtitia, aut Miſericordia eſt ſuperanda; nimirum in materia Liberalitatis, quam dicimus, in parte ſenſitiva reſidere, licèt & iſtam nonnulli negent, in parte ſenſitiva ſubjectari. De quo videri poteſt Jo: à S. Th. p. 2. q. 55. diſp. 55. art. 2. à num. 8. in ſecundo ordine numerorum.

Secundò dicit, inde ſequi, quòd etiam ſubjectentur in voluntate; quia & in Voluntate difficultatem aliquam experimur. Sed

Contra. In voluntate non adeſt præcipua difficultas, ſed minor, ad quam ſuperandam (ut inquit Jo: à S. Th.) quidam dantur habitus, qui tamen virtutes non ſunt: quemadmodum eadem in voluntate ad fidem datur habitus piæ affectionis, qui tamen non eſt habitus virtutis. Vid. Jo: à S. Th. p. 2. q. 55. art. 2. à n. 17. in primo ordine numerorum, & iterùm in tertio ordine numerorum num. 16.

Tertiò dicit, quòd non tota à parte ſenſitiva, verùm etiam aliunde oritur difficultas. Sed

Contra. Difficultas, ut vel ipſe annuit, licèt non tota, benè tamen non modica, imò præcipua ibi extat, ut ex noſtra nitet probatione, eò quòd materia talium virtutum eſt circa ſenſus, & cuiquam ſenſu non inopi innegabile ſit; ergo ad eam vincendam dandus eſt virtutis habitus.

Quartò dicit, ad has vincendas difficultates in parte ſenſitiva dari habitus quoſdam, qui tamen non ſunt virtutes. Sed

Contra eſt, Tum quia habitus, qui dantur ad immediatè vincendas difficultates in materia virtutum ſunt habitus virtutum, ut palam eſt inductionis argumento præſertim in intellectualibus virtutibus; ſed habitus illi dantur ad immediatè vincendas difficultates in materia virtutum moralium: ergo ſunt virtutum moralium habitus. Tum quia habitus, qui ſunt elicitivi actuum attingentium immediatè objecta virtutum, ſunt virtutes; ut iterum inductivè tum in artibus, tum aliis in habitibus perſpicuum eſt; ſed habitus illi, ſive qualitates illæ, ſunt elicitivæ actuum attingentium immediatè objecta virtutum, puta Temperantiæ, Fortitudinis, &c. ergo ſunt habitus virtutum.

33. Objiciunt Adverſarii 1. Virtutes debent eſſe ut in ſubjecto in potentiis liberis, ſed in parte ſenſitiva non ſunt potentiæ liberæ: ergo &c. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd virtutes ſunt principium actuum, qui boni, aut mali moraliter, adeoque liberi ſunt. Min. certa videtur, Tum quia libertas intrinſeca formaliter eſt propria ſolius voluntatis. Tum quia, ut vel nos cum Jo: à S. Th. diximus antegreſſa q. art. 6. §. 2. n. 5. actus aliarum potentiarum ſequuntur neceſſariò ad efficax Voluntatis imperium.

Conf. Virtutes ſunt circa bonum honeſtum; ſed pars ſenſitiva non verſatur circa bonum honeſtum: ergo &c.

Prob. min. Siquidem quod circa bonum honeſtum verſatur dirigitur à ratione.

Reſp. primitùs, ſecundùm non paucos partem ſenſitivam, licèt non ſecundùm ſe, ut in Belvis, tamen in Homine ex conjunctione ad voluntatem eſſe liberam participativè. Quæ libertas participata quamvis modica ſit, & imperfecta; tamen à voluntatis libertate poſtea ita elevatur, ut evadat perfecta ſufficiens ad meritum notabile, & ad mortale peccatum. Sic Salm. & cum eis Gonet, ac Guerinois hic.

Præterea, & meliùs Reſp. ad arg. nego maj. Ad 1. prob. diſt. ant. qui ſunt liberi regulativè, & imperativè, concedo, liberi ſemper etiam elicitivè, nego ant. & conſeq. Soli actus virtutum reſidentium in voluntate ut in ſubjecto ſunt liberi etiam elicitivè. Qui verò ſunt à virtutibus reſidentibus in parte ſenſitiva ſunt liberi duntaxat regulativè, & imperativè, quatenus liberè imperantur, & regulantur à voluntate; non verò ſunt liberi elicitivè; quia, ut nuper dictum eſt, conſequuntur neceſſariò ad efficax voluntatis imperium. Per quod patet ad 2. prob.

Dices. Tales actus ſunt boni formaliter intrinſecè elicitivè; ſed moralem ad bonitatem requiritur libertas: ergo ſunt liberi formaliter intrinſecè elicitivè. Prob. maj. Sunt virtuoſi elicitivè, cùm eliciantur à virtutibus, ſed actus virtuoſi ſunt boni, ſicut vitioſi ſunt mali moraliter: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. data maj. diſt. min. ſunt boni ſemper elicitivè, nego, vel elicitivè, vel regulativè, & imperativè, concedo.

Contra. Eo modo debent eſſe boni, quo ſunt virtuoſi; ſed ſunt virtuoſi elicitivè: ergo ſunt boni elicitivè. Prob. maj. Actus vitioſi eo modo, quo ſunt vitioſi, ſunt mali: ergo à pari, & ab oppoſito, &c.

Reſp. nego, vel diſt. maj. loquendo de actibus virtuoſis, qui ſunt elicitivè à virtutibus reſidentibus in voluntate, concedo, ſecùs, nego maj. cujus ad prob. nego, vel diſt. ant. ſi ſint actus vitioſi eliciti à vitiis exiſtentibus in potentia libera, qualia ſunt vitia Injuſtitiæ, & crudelitatis, concedo, de actibus vitioſis elicitis à vitiis reſidentibus in potentiis non liberis in parte ſenſitiva, nego ant. & conſeq. Iſti namque ſunt mali quidem regulativè imperativè, at non elicitivè, niſi extrinſecè denominativè, vel objectivè.

Ad Conf. nego min. Ad prob. primitùs juxta primum reſponſum dici poſſet, partem ſenſitivam in Homine eſſe electivam participativè. Deindè aliter

Reſp. nego eandem min. Ad prob. diſt. dirigitur à ratione vel mediatè, & indirectè, vel immediatè, & directè, concedo, ſemper immediatè, & directè, nego. Sat enim eſt, quòd pars ſenſitiva in Homine imperetur à voluntate, quæ à ratione dirigitur. Et licèt pars ſenſitiva feratur circa delectabile ſenſitivum; non tamen ſiſtendo præcisè intra limites ordinis ſenſitivi, ſed miniſtrando, & inſerviendo ſpiritui. Lege Jo: à S. Th. num. 5.

At hoc admonitus ſis, partem ſenſitivam in Homine regi à ratione, & imperari à voluntate, non ſicut Equus ab Equite fræno regitur, ut falsò ſentit Du Hamel. Non, inquam, quia Equus, & Eques non ſunt in uno, eodemque principio *quod*; benè verò potentiæ ſenſitivæ, & potentia volitiva, ac intellectiva, quæ licèt diverſa principia *ut quo*, ſunt in uno, eodemque principio *quod*, quod eſt Anima.

Hac etiam ratione licèt ad libertatem requiratur cognitio, & indifferentia judicii; tamen adhuc voluntas eſtò non ſit cognoſcitiva, eſt libera; quia dicitur cognoſcitiva, ſi non *ut quo*, ſaltem *ut quod*, quatenus eſt in eodem principio *quod*, in quo eſt intellectus, nimirum in eadem Anima, vel quatenus unum, & idem eſt totum compoſitum.

Sanè, quòd inſigne diſcrimen adſit inter partem ſenſitivam comparativè ad rationem, ac inter Equum comparativè ad Equitem, fit palam ex his, quæ diximus prægreſſa quæſtiuncula de paſſionibus n. 4. quòd nimirum paſſiones partis ſenſitivæ tranſmittuntur in animam; at paſſiones Equi non tranſmittuntur in Equitem.

Itaque ut potentia aliqua ſit capax virtutum non eſt neceſſe, quòd ſit libera, ſed ſat eſt, quòd non ſit determinata ad unum. Et licèt neque Bruta ſint determinata ad unum, quia Brutum non eſt ſemper determinatum ad comedendum, cùm poſſit abſtinere ab eſu. Tamen dirigitur poſtea non ab alia potentia, quæ ſit in eodem principio *quod*, ſed à Deo authore naturæ, vel interdum etiam ab Homine, ut

canes, &c. At pars ſenſitiva in Homine hoc plus obtinet, quòd dirigitur, & imperatur à potentiis reſidentibus in eodem principio *quod*.

34. Objiciunt 2. Sola potentie electiva eſt ſubjectum eorum habitus virtuoſi, ſed pars ſenſitiva non eſt electiva: ergo &c. Maj. patet, quia virtus eſt habitus electivus ut ab Ariſt. definitur. Min. etiam, quia ſola voluntas eſt electiva, ut omnes fatentur cum D. Th. p. 2, q 13. art 2.

Conf. Voluntas eſt potentia electiva: ergo eſt capax virtutum, ergo in ea ſubjectari debent.

Reſp. ad arg. primodùm, ut ſupra cum nonnullis dici poſſe, quòd ſit electiva participativè. Præterea ſatis eſſe dico, quòd ſit electiva imperativè, ideſt imperetur à potentia electiva & ſic interpretandus eſt Stagyrite. Vel diſt. maj. Virtus eſt habitus electivus vel objectivè, vel elicitivè, concedo, ſemper elicitivè, nego maj. *Lege Guerinois* hic q. 6. art. 2. ad 2.

Ad Conf. dato ant. diſt. conſequens: quantum eſt ex hoc capite, concedo: quantum eſt ex alio capite, nego conſeq. Itaque quòd Voluntas non ſit capax quarundam virtutum non eſt, quia non ſit elective, ſed quia talium virtutum actus non conſumantur in ipſa, ſeu non eliciuntur ab ipſa, ſed duntaxat imperantur; eliciuntur verò à parte ſenſitiva, quatenus ibi eliciuntur paſſiones moderatæ.

35. Objiciunt poſtremò contra noſtram rationem. In Chriſto non erant paſſiones moderandæ, & tamen erant virtutes. Idipſum dicas de homine in ſtatu innocentiæ.

Reſp. cum Jo: à S. Th. p. 2. q. 55. diſp. 15. art. 2. n. 10. in primo ordine numerorum, & iterum n. 10. in tertio ordine numerorum, quòd aliquid non indigere moderamine, & ſubjici rationi ſine reſiſtentia, poteſt eſſe dupliciter. Vel ex ipſa natura potentiæ, quæ non ſolum nullam participat libertatem, vel modum libertatis, ſed nec ullam protſus indifferentiam, eſtque omnino determinata ad unum, peramque ſervitutem exercent. Et tales nuſquam ſunt virtutis capaces. Vel aliquo ex dono ſuperaddito, dimanante à ſuperiori ratione, & è Gratia, quo potentia aliàs indifferens, redditur penitùs ſubjecta, & in nullo reſiſtens, & præveniens rationem, ſed in omnibus ipſi obtemperans. Quando hoc ſecundo modo appetitus redditur ſubjectus, & non repugnans, tantum abeſt, quòd non maneat capax virtutum, ut potiùs ex abundantia virtutis, & illius doni gratuiti ſuperadditi id habeat, ſicut in Chriſto, & etiam in Adamo in ſtatu innocentiæ ex dono originalis juſtitiæ id habebatur.

Quare ſic ſubjici, & reddi non reſiſtentem appetitum, non eſt obedientia deſpotica, ideſt naturalis ſervitus, ſed maximè politica; quia in ſua indifferentia, & perfectione manens, perfectè ſubjicitur rationi; & ſic eſt moralis obedientia, & ſubjectio: ergo & virtuoſa; derivare tamen à dono illo ſpeciali Gratiæ.

Minuſcula alia quædam argumenta vide ſoluta apud alios.

Et hæc ſatis de Ethiſi dixiſſe ſufficiet.

M O N I T U M.

SUpereſſet agendum de Œconomica, & Politica. Sed de iſtis conſultiùs duxi ſtudioſum mittere ad Javellum, cui hac in re nemo par. Conſule igitur Javellum, volve, & revolve Javellum, præſertim pro rectè agendis liberis, præcipuè nobilibus. Ipſum adeas ſua in Œconomica tract. 3. à cap. 1. adusque 14. necnon pro benè agendis filiabus nobilibus tract. ſequenti 4. per totum.

Eudum demiraberis hac in re Virum ſanè cumprimis eruditum, ac demirando profectum habebis ex his, quæ tam mirabiliter docet, quomodo regendi ſint liberi ab ortu uſque ad primum ſeptennium, à primo uſque ad ſecundum, & à ſecundo aduſque tertium ſeptennium, &c. Ipſe ad Metaphyſicam pergam.

AD

AD METAPHYSICAM,

SIVE

PHILOSOPHIAM ENTIS

PROLEPSIS.

SCientiarum culmen conſcendimus, earumque verticem attingere jam jam in proximo ſumus, cùm Metaphyſicam adorimur. Enim verò ſcientiis cunctis, quæ ex divinitùs revelatis non procedunt, ſupereminet. Hanc, quàm ejus excelſa jactat conditio, & dignitas, ejus indigitat nomen, vel conſultiùs dixerim, indicant nomina, quibus ab Angelico Gymnaſiarcha in Metaphyſicæ procœmio meritò illuſtratur. Inſcribitur namque *Metaphyſica*, quaſi *Tranſphyſicam*, hoc eſt *Tranſnaturalem*; quia phyſicalia cuncta in ſui ſpecifica ratione tranſcendit, cùm omnia ſub abſtractione ab omni materia conſideret, ceu cujus cognitio ſuper omnem extollitur adùſque ſpiritualium naturas, proprietateſque perveſtigandas.

Eodem jure prima Philoſophia compellatur, imò & *Theologia*, ſive *Scientia Divina naturalis* quippe quæ de Dei quidditate, & attributis conſiderationem obtinet; eſtque ſupernaturali Theologiæ adeò affinis, ut ubi Metaphyſica deſinit, ibi divina adoriatur Theologia. Denique non modò ſcientia, ſed & ſapientia vocitatur, quoniam non tam per cauſas, ſed & per altiſſimas incedit cauſas.

Nec ejus duntaxat excellentia, ſed & utilitas allicere animos convenit, cùm talis, tantuſque ſit ex ea intellectuali in foro proventus, ut ſive in Logicis, ſive in Philoſophicis, ſive in Theologicis ejus incedatur tutamine, ceu à qua reliquæ ſcientiæ mutuare aliquid habent, præſertim quo ad prima principia. Lubenter itaque de ipſa, quæ veſtiganda ſeſe exhibent adoriamur.

QUÆSTIO PRIMA

De Metaphyſicæ Prodromis.

QUoniam prodromæ hic controverſiæ haud gravis ſunt negotii, propterea nonnulla minùs principalia (de quibus ſuſiùs Maſtrius hic q.4.) quodam in Præloquio breviter dabo; ſit igitur.

PRÆLOQUIUM.

In quo quatuor traduntur. 1. Quòd Meth. ſit Scientia. 2. Quòd ſit ſimpliciter Speculativa. 3. Quòd non ſubalternet ſibi cæteras ſcientias. 4. Quòd ſit reliquis ſcientiis naturalibus Præſtantior.

1. PRimò exploratum cunctis eſt, Metaphyſicam eſſe Scientiam, quia ſuas cognoſcit concluſiones per certas cauſas, imò per altiſſimas cauſas. Item paſſiones demonſtrat de proprio objecto, nimirum de ente verum bonum, &c De quo iterum hic num.4. & iterum quæſt.7. art.1. n.3. Quæ proprietates quamquam nonniſi quò ad explicitum ab ente diſtinguantur, poſſunt tamen optimè de ente demonſtrari; Tum quia ſat eſt ad demonſtrationem, quòd inter eſſentiam, & proprietates medìet deſinitio, ut conſpeximus in Logicæ poſterioriſticis tutando, quòd prima paſſio ſit demonſtrabilis de ſuo immediato ſubjecto. Tum quia ſecùs Theologia non foret ſcientia, cùm haud plùs attributa ab Eſſentia divina, quàm paſſiones ab ente ſecernantur. Et quemadmodum divina inter attributa extat ordo prioris, & poſterioris; ex quo fit, quòd unum probari per aliud queat: ita inter entis paſſiones habetur ordo, ut ſcribam infra quæſt. 7. §.4. quæſito primo à num 21.

2. Exploratum quoque extat, eſſe ſimpliciter Speculativam, & nullatenus practicam, cum nullum inſpiciat opus, ſed in ſola ſiſtat veritatis contemplatione. Eapropter nec poteſt eſſe ſimul practica, & ſpeculativa, tametſi non repugnaret practicum, & ſpeculativum in habitu naturali aggeri, uti aliàs repugnare in Logicæ prodromis conſpeximus. Scientias autem practicas juvat ſuis principiis, non ut practicæ ſunt, ſed duntaxat ut ſcientiæ ſunt. Ut aut practicæ ſunt diriguntur à Prudentia.

Videri poteſt Zuchi q.1. art.2.

3. Quòd Metaphyſicæ non ſubalternentur reliquæ ſcientiæ habes ex dictis in Logicæ poſterioriſticis q.3. art.3. §.1. loquendo ſaltem de ſubalternatione preſsè, & preſſiſſimè dicta.

Unam verò objectionem, quæ haud plenè apud Scriptores ſoluta videtur, hic ſolvere libet. Igitur

Objicitur. Tunc una ſcientia alteri ſubalternatur, quando ejus principia demonſtrantur per principia iſtius tanquam iſtius concluſiones; ſed aliarum ſcientiarum principia demonſtrantur per principia Metaphyſicæ: ergo reliquæ ſcientiæ ſubalternantur metaphyſicæ. Maj. nemo eſt quem non prætereat, quòd principia ſubalternatæ ſunt concluſiones ſubalternantis. Min. prob. Principia univerſalia inferunt particularia, non ſecùs, ac propoſitiones univerſales inferunt particulares, ut palam eſt iſto in Enthymemate *animal eſt ſenſitivum*, *ergo Homo eſt ſenſitivus*; ſed principia Metaphyſicæ ſunt principia univerſalia, principia verò aliarum ſcientiarum ſunt particularia: ergo &c.

Reſpondent nonnulli, id quidem requiri, haud tamen ſufficere ad ſubalternationem, ſed, ut in Logica ubi ſupra ſcripſimus, ulteriùs requiri, quòd ſubalternatæ objectum addat differentiam accidentalem ad objectum ſubalternantis.

Verùm reſponſum hoc minimè ſatisfacit; quia hoc, quod eſt addere differentiam illam accidentalem, non eſt ratio nec etiam partialis ſubalternationis, ſed ſolummodo requiſitur pro diverſificanda ſcientia ſubalternata à ſubalternante, non quidem ut abſolutè ſubalternata (cùm hanc differentiam accidentalem addere queat etiam Scientia non ſubalternata, V.G. objectum Mathematicæ addit enti naturali, quod eſt objectum Philoſophiæ, quantitatem, & ta-

Digitized by Google

men Mathematica non ſubalternatur Philoſophiæ) ſed ut talis ſcientia eſt, dicens differentiam, qua conſtituitur in tali ſubalternatione ut diſtincta à tali ſcientia ſubalternante; quatenus ſi eſſentialem differentiam adderet, non diſtingueretur à ſua ſubalternante, cùm ad eandem ſcientiam ſpectet agere de genere, ac de ſpeciebus ejus. Si autem id requireretur ad rationem ſubalternationis, requireretur pro ea diverſificanda abſolutè ut ſubalternata; quia requireretur ad omnem ſcientiam ſubalternatam:

Idcircò ex præfato reſponſo haud bene infertur, quòd aliæ ſcientiæ, ceu non addentes differentiam accidentalem, non ſint ſubalternatæ Metaphyſicæ; benè verò inferretur, non eſſe ab ea diſtinctas. Quòd eſt error pejor priore. Eò vel maximè quod dici poſſet, addere differentiam accidentalem in eſſe ſcibili; licèt non in eſſe entis.

Alii, inter quos Guerinois, reſpondent, quòd cæterarum ſcientiarum principia probantur per principia Metaphyſicæ tanquam per cauſam remotam, non proximam; quod requireretur, ut ei ſubalternaretur.

Verùm neque iſta facit ſatis ſolutio, Tum quia ſaltem ſequitur ſubalternatio remota, ſeu mediata. Tum quia falſum in ea aſſumitur. Quandoquidem illud demonſtratur per aliud tanquam per cauſam proximam, quòd demonſtratur per aliud, quod eſt immediatè ſupra ſe; ſed principia, quæ ſunt immediatè ſupra principia aliarum ſcientiarum ſunt metaphyſicalia: ergo &c. Prob min. Scientia, quæ eſt immediatè ſupra alias ſcientias eſt metaphyſica; ergo &c. Ant. eſt conſpicuū Siquidem haud alia eſt excogitabilis ſcientia medians, per cujus principia demonſtrentur illarum ſcientiarum principia. Ultraquamquod ſaltem iſta intermedia ſubalternaretur Metaphyſicæ immediatè. Conſeq. prob. tum à pari, Tum quia principia illa, per quæ proximè probarentur ad aliquam deberent ſcientiarum pertinere. Tum quia non ſunt excogitabilia iſta alia principia, per quæ proximè demonſtrarentur. Aliter igitur.

Reſp. ex dictis in Logica ubi ſupra diſt. maj. quando demonſtrantur per principia ſcientiæ ſuperioris, ſi per illa modo quodam peculiari demonſtrentur, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta. min. nego conſeq. Non enim ſufficit modo quodam generali omnibus communi principia ſubalternatæ in ſubalternante demonſtrari, ſed requiritur modo quodam ſpeciali demonſtrari; quia ſcientia quælibet particulari quodam modo ſubalternatur. Cùm etenim ſingularem obtineat quidditatem, debet quoque peculiarem ſubalternationem ſortiri. Sic V. G. illo ex Philoſophico principio *omne compoſitum ex ſenſibilibus contrariis eſt ſenſibiliter corruptibile* probari poſſunt principia medicinæ ſpeciali quodam modo, nimirum defectibilitas humanæ complexionis, & ex eo, quod contraria invicem pugnent, quod contraria contrariis curentur. Item pro Philoſophia morali defectibilitas, & variabilitas humanarum inclinationum, & paſſionum ſenſitivarum. At in Metaphyſica modo quodam duntaxat generaliſſimo omnia probantur principia illud per principium *quodlibet eſt, vel non eſt*, ſeu, quod idem eſt, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

4. Certius eſt. Metaphyſicam eſſe cæteris ſcientiis naturalibus præſtantiorem. Quandoquidem ſcientiarum cohors ordinari ad unam debet tanquam cunctarum ad Reginam, à qua regatur in cognitione principiorum; quia quoties plura ordinantur ad unum (inquit S. Th. 1. Meth. lect. 1.) unum ſe habet ut regulans, & alia ut regulata. De quo iterum infra q. 7. art 1. num. 3. Hæc autem haud alia eſſe poteſt quam Metaphyſica, cui univerſaliſſima competunt principia. Qua ex re infertur Meth. cæterae, & luculentiùs inferes ex dicendis art. 3. in num 2 & q. 7. art. 1. n. 2. Quòd ſi Stagyrita diſtinctè, & ſeorſim Metaphyſicam non edidit, ut ex Laertio Diogene, & Du Hamel dixi in 1. Phyſ. q. 1. art. 1. §. 9. ideo eſt, quia ad majorem Philoſophiæ lucem ei Methaphyſicam interſperſit, ſicut & ego in Logica tract. de diſtinctionibus, in phyſicis de exiſtentia, &c. egi.

Objici contra hoc poteſt, ultra alia videnda apud Zochi. Metaphyſica eſtò incedat per principia univerſaliſſima, tamen talia conſiderat principia ut connexa cum concluſione; ſed hujuſcemodi principia non perfectiorem ſortiuntur cum concluſione connexionem, quàm habeant ſuis cum concluſionibus principia particularia: ergo non propter hoc Methaphyſica dicenda venit reliquis ſcientiis perfectior. Prob. min. Non majorem, quam eſſentialem obtinere connexionem queunt; ſed hanc obtinent principia quoque particularia: ergo &c.

Reſp. diſt. min. & aliàs habent connexionem cum pluribus Concluſionibus, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Ad plura ſe extendunt cùm objectum ejus ſit univerſalius. Præterea hoc plùs obtinet Metaphyſica, quòd ſuorum principiorum concluſiones eſſe poſſunt, modo ſaltem generali, principia aliarum ſcientiarum, eò quòd cæterarum ſcientiarum principia ſunt prima, non abſolutè, ſed ſolummodo determinatè pro tali ſcientia. Hoc clarum exemplo fiat. V. G. non majori poſſet Juriſdictione ſuos ſupra ſubditos Rex V. G. Galliarum, ac Dux V. G. Mutinæ; & tamen Galliarum Monarcha, quia pluribus præeſt ſubditis, longè excellentior eſt Princeps.

ARTICULUS PRIMUS.

Num ens per accidens, & ens rationis ingrediantur primarium Metaphyſicæ objectum.

§. I.

1. RRecole quæ de objecto ſcripſi in Logicæ, & Phyſicæ prodromis. Annuunt Hurtadus Funeca, Buratel, & alii apud Maſtrium; nec non Nostrates pauci in authographis ſecuti Aquarium, & Zumel.

Abnuunt autem reliqui relati a Zucchi hic art. 4. & Maſtrio hic q. 2. à n. 22. & Guerinois noviſſimè.

§. II.

CONCLUSIO ABNUENS
quò ad utramque partem.

2. QUò ad p. p. probant nonnulli ex eo, quod ſcientia ſuam ſeparat unitatem ab objecto. Ens autem per accidens eſt plura, & non unum.

Verùm iſti non advertunt, quòd Exteri, præſertim Hurtad. §. 59. tenent Metaphyſicam eſſe plures etiam genericè ſcientias, & non unam tantùm. Imò nonnulli, quos refutat Zuchi hic art. 3. contendunt, alias ſcientias eſſe partes Metaphyſicæ. Aliter ergo.

Prob. c. quò ad p. p. Ens per accidens non eſt ſcibile: ergo nequit eſſe Metaphyſicæ objectum. Prob. ant. Quod non admittit eſſentialem connexionem non eſt ſcibile; ſed in ente per accidens non habetur eſſentialis connexio: ergo &c. Maj. ignorabitur à nemine, à quo non ignoretur, quod ſcientiæ definitio, ſcilicet *cognitio certa, & evidens rei per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & quod aliter ſe habere non poteſt.* Min prob. Ens per accidens conſtat ex rebus diverſorum generum; ſed res diverſorum generum nequeunt eſſentialem ſortiri connexionem, cùm diſparatè ſeſe habeant; ergo &c.

Ea ex re habes contra Hurtad. quòd non tantùm ens per accidens ſumptum pro ente fortuito, & cauſali, ſive accidentario, exploditur ab objecto ſcientiæ, verùm etiam ens per accidens, quod opponitur enti per ſe, ſeu quatenus eſt aggregatum quoddam ex rebus diverſorum generum V. G. *Homo albus*, &c. Non enim albedo eſt Homini eſſentialiter annexa.

Hujus ratiocinii vis fortior apparebit num. 4. ſolvendo Hurtadi arg.

Probationes aliæ legi poſſunt apud Zuchi hic art. 4.

3. Prob. modò quò ad a. p. Metaphyſicæ objectum nequit eſſe quid deterius objectis cæterarum ſcientiarum; ſed ita foret, ſi ens rationis ingrederetur primarium Metaphyſicæ objectum: ergo &c. Maj. eſt conſpicua per dicta in Præloquio n. 4. Prob. min. Ens rationis eſt quid deterius materia reali, à qua abſtrahit: ergo &c. Prob. Ant. Ens rationis abſtrahit à materia reali negativè, & per defectum; ſed abſtrahere, negativè, & per defectum à materia, eſt eſſe deterius materia: ergo &c. Maj. quò ad p. p. eſt perſpicua. Non enim abſtrahit à materia reali poſitivè per poſitivam immaterialitatem realem, ſecùs haberet in ſe poſitivam immaterialitatem realem, cùm tamen in ſe nec materialitatem, nec immaterialitatem poſitivam, ſaltem realem habeat. Quò ad a. prob. Ens rationis quemadmodum omnem negat realem materiam, ita omnem negat immaterialitatem poſitivam, ſaltem realem; ſed ab immaterialitate abſtrahit per defectum, ſecùs foret perfectius ipſa re

imma-

immateriali poſitiva : ergo &c. Illa autem min. prioris Syllogiſmi prob. Nam quia abſtrahit negativè per defectum ab immaterialitate poſitiva, eſt deterius ipſa : ergo à pari quia abſtrahit negativè per defectum à materia, erit ea deterius.

Hinc repentè corruit reſponſum Adverſarii, dicentis, eſſe deterius intra forum entis, at non intra forum objecti ſcibilis.

Corruit, inquam. Siquidem ens rationis quia abſtrahit per defectum negativè ab immaterialitate poſitiva, eſt imperfectius ipſa etiam in eſſe objecti : ergo à pari, quia negativè per defectum abſtrahit à materia, erit deterius materia, etiam in eſſe objecti, Conſeq. eſt exacta à pari. Ant. eſt ipſo dicto certius; ſecùs Deus non foret ullo modo nobilior ente rationis in eſſe objecti; & ſic non foret objectum principalitatis.

Probationes aliæ apud Zuchi, & alios.

§. III.

Adverſantium argumenta diſſolvuntur.

4. ARg. 1. contra p. p. ex Hurt. De ente per accidens habemus conceptum unum per ſe communem entis per accidens ut ſic, qui poteſt certò, & evidenter cognoſci, ut V. G. quòd ens per accidens opponitur enti per ſe, eſt propoſitio neceſſaria : ergo habet quicquid requiritur, ut ſit ſcientiæ objectum, adeoque poterit primarium ingredi metaphyſicæ objectum.

Reſp. diſt. ant. de ente per accidens reduplicativè ut ente per accidens, nego, ſpecificativè, & reduplicativè ſub alia ratione, quatenus induit rationem entis per ſe, concedo ant. & nego conſeq. Ens namque per accidens ſumptum in illa communi ratione eſt ens per ſe in actu ſignato, ſeu abſtracto, licèt non in actu exercito, ſeu concreto. Sic diximus de ſingularitate ut ſic, de generabili, & corruptibili ut ſic, in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 1. §. 3. ad 4. arg. n. 7. Quod ſi aliud non intendat Hurtadus, abutitur terminis. Vide infra ſimile q. 2. art. §. 2. n. 4. refellendo 2. reſponſum.

5. Arg. 2. ad idem. Metaphyſica conſiderat non ſolùm unum (quale eſt ens per ſe) verùm etiam multa : ergo conſiderat etiam ens per accidens.

Conf. Ens per accidens licèt ſit realiter multa, eſt tamen ſecundùm quid unum, puta exercitus eſt realiter multitudo quædam plurium; & tamen eſt unum conſiderabile à Militari. Item linea viſualis, & numerus ſunt quid per accidens; & tamen ut ſunt quodammodo unum conſiderantur à Perſpectiva, & Muſica.

Reſp. ad arg. diſt. maj. verùm etiam multa multiplicitate materiali, & intra forum entis, concedo, multitudine formali nego ant. & conſeq. Ut vel de ipſo ente per accidens nuperrimè dictum eſt. Proquo

Ad Conf. Reſp. nos non explodere ens per accidens, ut eſt aliquo modo in ſe ſignatè unum vel unitate ordinis, ut exercitus, vel per communicationem in uno eſſe accidentali, ut eſt linea viſualis, & numerus ſonorus &c. Definibile unica definitione.

6. Arg. 3. contra 2. p. Primarium Metaphyſicæ objectum, per dicenda infra art. 3. eſt ens reale ut ſic; ſed in hoc comprehenditur etiam ens rationis : ergo iſtud ingreditur primarium Meth. objectum. Prob. min. Ens rationis eſt reale in eſſe ſcibili, ſive realiter ſcibile, ut nos ſcripſimus in Logicæ prodromis art. 5. Sed ſcientia realis conſiderat realitatem ſui objecti in eſſe ſcibili; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ens reale ut ſic ſub ratione formali abſtracti ab omni materia poſitivè, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. ingreditur ens rationis cum abſtractione ab omni materia poſitivè, nego, negativè, & per defectum, concedo min. & nego conſeq. Redintegrentur doctrinaliter dicta n. 3.

Contra. Falſum eſt, Metaphyſicæ objectum eſſe ens abſtrahens ab omni materia poſitivè : ergo &c. Prob. ant. Objectum Meth. ingrediuntur, & quidem potiſſimùm, ſubſtantiæ ſeparatæ; ſed in iſtis extat abſtractio ab omni materia negativè; ergo &c. Prob. min. Omnem negant materiam, ceu materiæ expertes : ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. min. ſumpto ly *negativè* ut contraponitur ad privativè, concedo, ut contraponitur ad poſitivè, nego min. & conſeq. Habent namque in ſe poſitivam immaterialitatem, & poſitivè à materia depurgatam. At ens rationis omnibus modis negativè abſtrahit, quatenus nec materialitate, nec immaterialitate reali poſitiva gaudet.

Contra. Hoc, quod eſt abſtrahere negativè, non obficit, quin ens rationis abſtrahat quantum abſtrahunt ſubſtantiæ ſeparatæ, imò & ipſemet Deus : ergo non impedit, ingredi primarium Meth. objectum. Prob. ant. Abſtrahit abſtractione, qua major extare non poteſt, aut concipi : ergo &c. Prob. ant. Nequit abſtractio concipi major illa, quæ omnem penitùs explodit materialitatem; ſed omnem excludit ens rationis; ergo &c.

Conf. Gratis prorſus aſſeritur, Meth. objectum eſſe ens ſic poſitivè abſtrahens.

Reſp. ad inſt. diſt. ant. & aliàs obſtat, quòd abſtractio proveniat ex eodem capite, concedo, ſecùs nego ant. & conſeq. Etiam tranſmiſſo, quòd tanta polleret abſtractione, adhuc tamen eam obtineret ex ſua imperfectione, & per defectum; Deus verò per exceſſum in perfectione, & reliquæ ſubſtantiæ ſeparatæ per ſufficientiam in perfectione. De quo iterum num. ſequenti 7. ad 4. & iterum art. 3. §. 3.

Ad Conf. nego ant. cujus falſitas perſpecta ſit per dicta in Logicæ poſterioriſticis quæſt. 3. art. 1. § 4. ad prob 4. poſitam in 2. arg. n. 7. ut diverſa Metaphyſicæ, & Logicæ ſalvetur ratio formalis *ſub qua*. Et ſanè ſi objectum Meth. poſſet eſſe ens abſtrahens ab omni materia negativè per defectum, cùm iſtud ſit imperfectius ipſa materia juxta probata num. 3. Metaphyſica foret imperfectior Philoſophia : quemadmodum Logica habens pro objecto primario ens abſtrahens ab omni materia negativè & per defectum, nimirum ens rationis, eſt imperfectior Philoſophia, cujus primarium objectum ingreditur materia.

7. Arg. 4. Conflatum iſtud ex ente abſtrahente negativè, & ente abſtrahente poſitivè, ſive ens ut ſic commune enti reali, & rationis, objicitur intellectui ut unum ſcibile; ſed non ab alia ſcientia, quàm à Meth. ergo &c.

Conf. Ens ut ſic complectens reale, & rationis ſuas obtinet paſſiones univerſales, puta unum, verum, bonum, &c. & formari de ipſo poſſunt propoſitiones univerſales neceſſariæ; ergo eſt per ſe primo ab aliqua univerſali ſcientia ſcibile.

Reſp. ad arg. nego vel diſt. maj ut unum ſcibile primario, nego, vel de primariò, vel de ſecundariò, concedo maj. cum min. & nego conſeq.

Idem dic ad Conf. nimirum quòd de ente rationis de ſecundariò duntaxat, & per accidens ſunt à Meth. demonſtrabiles præfatæ proprietates per propoſitiones neceſſarias, quemadmodum eſt ens duntaxat ſecundarium.

Contra probando multiformiter dictam maj. Et primò non minùs ens ut ſic commune enti reali, & rationis eſt analogum utraque analogia, attributionis nempe, & proportionalitatis, quàm ens reale ut ſic commune divino, & creato, ſubſtantiæ, & accidenti; ſed ens reale ut ſic eſt unum ſcibile per ſe primariò à Meth. ut art. ſequenti dicetur : ergo etiam &c.

Secundò. Licèt creatura dependeat à Deo, ſitque nihil reſpectu Dei; & accidens dependeat à ſubſtantia, ſitque nihil reſpectu ejus; tamen Deus, & creatura, ſubſtantia, & accidens quia analogantur in ente analogia proportionalitatis, poſſunt conſtituere unum per ſe primariò ſcibile à Meth. ergo licèt ens rationis, &c.

Tertiò. Quemadmodum ens rationis attingitur à Meth. dependenter ab ente reali, ita ſpiritualia attinguntur ab illa dependenter à materialibus; ſed nihilominùs ens ut ſic commune materiali, & ſpirituali eſt unum ſcibile primarium à Meth. ergo &c. Maj. eſt perſpecta, quia ſpiritualia non aliter attinguntur à Meth. quàm attingantur ab intellectu, cùm iſta deſerviat intellectui ad ſui objecti cognitionem; ſed ab intellectu cognoſcuntur mediis materialibus; ergo &c.

Reſp. ad omnes ſimul nego ſuppoſitum. Supponit namque, nos excludere ens rationis à primario Meth. objecto quia analogetur cum ente reali, & dependenter ab iſto attingatur. Quod tamen falſum extat ex noſtra probatione n. 3. licèt nonnemo hac via incedat.

Vel diſt. maj. & aliàs poſitiva gaudent reali entitate capaci poſitivæ abſtractionis, concedo, ſecùs nego maj. & data min. nego conſeq. Accidentia namque, creaturæ, &c. poſitivam ſortiuntur immaterialitatem vel in ſe in eſſe

entitativo, ut ſunt res ſpirituales; vel in eſſe intentionali ut repræſentatæ in ſpecie intentionali ſecundùm earum prædicata eſſentialia in ratione commune entis depuratæ ab omnibus conditionibus materialibus. Quam immaterialitatem & ipſæ ſortiri queunt conditiones materiales, non quidem ut tales, ſed in ratione entis ut conveniunt in una ratione communi abſtracta talium conditionum ut ſic. Quo pacto quandam induunt rationem entis immaterialis: ſicut de ente per accidens num. 4. diximus induere rationem entis per ſe ſub una ratione communi entis per accidens, ut ſic. Item de ſingularibus ut ſic, de rebus corruptibilibus ut ſic.

Dices. Analogia, & dependentia in illis rebus non obſtat, quin ſint capaces poſitivæ abſtractionis: ergo pariter analogia in ente rationis non obſtabit, quin ſit capax poſitivæ abſtractionis.

Reſp. concedo conſeq. Ineptitudo ſiquidem abſtractionis poſitivæ in ente rationis oritur, non ex analogia, ſed ex eo, quod ſua poſitiva entitas quantum abſtrahit, & ſecedit à poſitiva materialitate, tantum abſtrahit, & recedit à poſitiva immaterialitate propter incapacitatem ad utramque, ut num. 3. conſpeximus.

Et per hoc alia diſſolvitur objectio, nimirum quòd ens rationis nequeat dici objectum duntaxat ſecundarium, eò quod non attingitur à Meth. dependenter ab ente reali, ſicut nec accidens dependenter à ſubſtantia, nec creatura dependenter à Deo, non obſtante analogia accidentis cum ſubſtantia, & creaturæ cum Deo.

Solvitur, inquam. Quandoquidem non propter analogiam ipſe dico, ens rationis attingi dependenter ab ente reali, ſed propter rationem nuperrimè allatam.

Adde, quòd Analogia accidentis cum ſubſtantia, & creaturæ cum Deo eſt ſolummodo intra forum entis, at non intra forum ſcibilis, cùm accidens, & creatura ſint capaces poſitivæ abſtractionis. Analogia autem entis rationis cum ente reali eſt etiam in eſſe ſcibili. Ratio eſt, quia ratio formalis *ſub qua* ſcibilitatis eſt abſtractio à materia. At ens rationis etiam in ipſa abſtractione Analogatur cum ente reali; quia ens rationis abſtrahit tantummodo negativè; ens verò reale abſtrahit, vel poteſt abſtrahi poſitivè.

Si cuipiam libuerit tutari cum aliis, evenire ex Analogia, adeat Zuchi, apud quem cernet, quòd utraque Analogia patitur latitudinem. Ideo &c.

8. Ex hactenus dictis habes, quod ens rationis exploditur quidem à primario Meth. objecto. At ascendum minimè venit ab objecto ſecundario. Siquidem cùm, ut nuperrimè conſpeximus analogetur cum ente reali in ratione ſcibilis à Meth. debet quodammodo, idest ſaltem de ſecundariò ab ea inſpici, quatenus quandam ſortitur convenientiam. Cum ente reali in abſtractione quòad hoc, quod utrumlibet ab omni abſtrahit materia, licèt in hoc poſtea diſcriminentur, quod unum negativè, & per defectum; aliud verò poſitivè, vel per exceſſum, vel per ſufficientiam perfectionis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum non ſolùm ens, quod eſt ſubſtantia, verum & ens, quod eſt accidens, nec ſolùm ens creatum, verùm etiam ens increatum congrediatur ad conflandum primarium Metaphyſicæ objectum.

§. I.

1. VElitatur de ente, quod eſt accidens in ſe, non verò prout accidentaliter competit ſubjecto, cum quo facit unum per accidens; quia ens per accidens ut tale jam fuit prægreſſo art. à primario Meth. objecto exploſum.

Abnuunt quò ad p. p. Buridanus, Payes diſp. Meth. c. 9. & 15. & Sitenus diſp. de objecto Philoſ. ſect. 2 cap. 15 & 16. Quò ad 2. verò p. abnuit noſter Flandria 1. Meth. q. 1. volens, ſolùm ens, quod dividitur in decem prædicamenta, eſſe objectum Meth.

Annuunt verò quò ad utramque p. cæteri, cum quibus

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

2. PRobo quò ad p. p. Eatenus à primario Meth. objecto depellitur accidens, quatenus iſtud ordinatur ad ſubſtantiam, & in ordine ad iſtam conſideratur; ſed licèt in phyſico foro ordinetur ad ſubſtantiam, ſecùs tamen in foro metaphyſicali; ergo &c. Prob. min. Accidens eatenus ad ſubſtantiam ordinatur, quatenus eſt ſubſtantiæ affectio, & paſſio; ſed licèt ſit affectio, & proprietas ſubſtantiæ in phyſicali foro, non tamen in foro metaphyſicali: ergo &c. Prob. min. Affectiones, & paſſiones metaphyſicæ afficiant duntaxat metaphyſicè & virtualiter, ac per rationem, vel ad ſummum formaliter per Scotiſtam, cùm duntaxat explicitè, vel ad ſummum formaliter diſtinguantur ab ente veritas, bonitas, &c. Sed accidens phyſicè, & realiter dimanat à ſubjecto, ac realiter ab eo diſtinguitur: ergo &c.

3. Prob. quò ad 2. p. Deus eſt naturali lumine attingibilis ut Author naturæ: ergo poteſt eſſe potentiæ, & ſcientiæ alicujus naturalis objectum, & quidem primarium, ceu principaliſſimum ens; ſed non alterius ſcientiæ, quam Meth. ergo &c. Prob. min. non eſt objectum Phil. cùm non ſit mobile, nec Mathematicæ, cùm non ſit quantum: ergo &c.

Dices cum Fland. eſſe naturaliter attingibilem duntaxat ut principium.

Contra 1. Quod eſt attingibile etiam ut ſubjectum, de quo ſunt demonſtrabiles paſſiones, eſt attingibile etiam ut objectum; ſed Deus eſt ſic naturali lumine attingibilis: ergo &c. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd ſcientia demonſtrat paſſiones de ſuo objecto. Min oſtenditur. Deus ut naturæ Author eſt cognoſcibilis ut verus, bonus, &c. adeoque ut id, de quo eſt demonſtrabilis veritas, bonitas, &c. Vide num. 6.

Secundò. Theologia conſiderat Deum ut ſui principium; & tamen ſimul conſiderat ut ſui objectum: ergo pariter, &c.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

4. ARg. 1. contra p. p. Quod conſideratur in ordine ad aliud, conſideratur ut objectum duntaxat ſecundarium; ſed accidens conſideratur à Meth. in ordine ad ſubſtantiam: ergo &c. Prob. min. Quod ordinatur ad aliud conſideratur ad aliud; ſed accidens ordinatur ad ſubſtantiam, ceu hujus proprietas: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. min. Intra phyſicale forum, concedo, intra metaphyſicale forum, nego min. & conſeq. Redintegra hic doctrinaliter dicta num. 2. retorqueas arg.

Contra. Quod ordinatur eſſentialiter ad aliud, ordinatur metaphyſicè ad illud; ſed accidens ordinatur eſſentialiter ad ſubſtantiam, cùm definiatur per ordinem ad illam: ergo metaphyſicè ordinatur. Maj. elucеſcit, quia eſſentia dicit prædicata metaphyſicalia.

Reſp. diſt. min. ordinatur ad efficiendum cum ſubſtantia, concedo, ad afficiendam metaphyſicè ſubſtantiam, nego min. & diſt. conſequens proportionali modo.

5. Arg. 2. ad idem. Philoſophiæ objectum non eſt abſtrahens à ſubſtantia, & accidenti ut indigitatum in 1. Phyſ. in Præloquio prodromo q. unica art. unico §. 2. in prob. ergo neque Metaphyſicæ objectum.

Reſp. Solutum hoc jam manere per dicta hic num 2.

6. Arg. 3. contra 2. p. Deus conſideratur à Meth. ut ſuipſius, ſuique objecti principium: ergo non conſideratur ab ipſa ut objectum. Ant. pateſcit. Eſt namque illius principium, idque docet S. Th. opuſc. 70. q. 5. art. 4.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens ſecundùm eandem rationem, concedo, ſecundùm diverſam rationem, nego conſeq. Poteſt namque conſiderari etiam ut objectum, licèt conſideretur etiam ut principium. Vide ſimile quid in Logicæ prodromis art. 6. Recole etiam dicta hic num. 3.

Contra. Tum quia ibi S. Th. dicit, Deum à Meth. conſiderari, non tanquam objectum, ſed tanquam principium, quia ut objectum conſideratur à Theologia. Ut principium enim, & objectum conſideratur etiam à Theologia, licèt Stagy-

Digitized by Google

diverſa ſub ratione. Tum quia S. D. 7. Meth. lect. 5. cum Stagyrita dividit ens, quod eſt Meth. objectum in Decem prædicamenta, ſed Deus non ponitur in prædicamento: ergo &c.

Reſp. ad 1. quòd intendit, non eſſe objectum adæquatum, ſicut eſt adæquatum Theologiæ objectum.

Dices. Quod eſt objectum adæquatum unius ſcientiæ nequit eſſe inadæquatum alterius, ſecùs ſcientiæ confunderentur: ergo ſi &c.

Reſp. diſt. ant. ſub eadem ratione formali, concedo, ſub diverſa ratione formali, nego. A Meth. conſideratur ſub ratione entis ut naturæ author, à Theologia verò lumine ſupernaturali ſub ratione Deitatis. Poſſe autem rem eandem diverſa ſub formali ratione à diverſis attingi ſcientiis perſpectum eſt tum in quantitate, quæ in ratione menſuræ attingitur à Mathematica, & ſub ratione entis à Meth. Tum in ente mobili, quod ſub ratione mobilis attingitur à Philoſ. & ſub ratione entis ab eadem Meth.

Ad 2. Reſp. primitèr, quòd dividit objectum inadæquatum. Præterea tranſmiſſa maj. dicatur cum Martinez ad min. quòd Deus, licèt non formaliter, & directè, benè reductivè, & indirectè modo in Logica dicto, ponitur in Prædicamento.

7. Arg. 4. ad idem. Illud eſt objectum alicujus ſcientiæ, cujus principia, & cauſæ quæruntur in illa; ſed nequeunt in Meth. quæri Dei cauſæ, & principia: ergo &c. Maj. eſt Ariſt. 4. Meth. tex. 14. Min. de ſe eſt conſpicua, cùm Deus ſui principium, & cauſam non habeat.

Reſp. diſt. maj. cujus cauſæ in foro ſcibilis, & principia complexa quæruntur, concedo, cauſæ in foro entis, & principia incomplexa, nego maj. (ſicque interpretandus Stagyrita venit, ſecùs nec Theologiæ poſſet Deus eſſe objectum) & diſtincta min. nego conſeq. Cauſæ autem in eſſe ſcibili poſſunt eſſe etiam effectus, qui ducunt à poſt. in cognitionem cauſæ, & aliàs, ut in Poſteriorum libris conſpeximus q. 2. Demonſtratio à poſteriori ſufficit ad veram ſcientiam cauſandam. Principia autem complexa poſſunt eſſe etiam ipſa ratio formalis conſtitutiva, ſive quidditativa rei, ejuſque definitio.

8. Arg. 5. ad idem. Deus non eſt quidditativè cognoſcibilis à Metaphyſica: ergo non continetur intra objectum ejus. Ant. tam certum eſt, quàm exploratum eſt, Deum non poſſe quidditativè pro hoc ſtatu ab humano intellectu cognoſci, nec immittere ſui ſpeciem, cùm per creaturas, earumque ſpecies cognoſcatur. Conſeq. prob. Scientia debet cognoſcere ſui objecti quidditatem, ideſt quidditativè illum cognoſcere, quia ejus de quidditate proprietates demonſtrat: ergo ſi &c.

Reſp. tranſmiſſo ant. (de quo apud Theologos) nego conſeq. Ad prob. nego ant. cujus ad annexam prob. dico, quòd eſtò pro demonſtrandis veluti à priori proprietatibus receſſum ſit, rei quidditatem cognoſcere; tamen pro demonſtrandis à poſt. ſat eſt, rem deprehendere quò ad exiſtentiam, & ejus deprehendere effectus, in quibus bonitas emicat, ſapientia, &c. cauſæ. Sanè pro hoc ſtatu neque Angelus quidditativè à nobis cognoſcitur, nec tamen à primario Meth. depellitur objecto.

9. Arg. 6. ad idem. Deus non convenit cum creaturis in abſtractione à materia: ergo nequit cum eis unum conflare Metaphyſicæ objectum. Prob. ant. Deus eſt actus purus: ergo &c.

Reſp. nego ant. cùm non poſſit abſtrahere pluſquam ab omni materia. Ad prob. dico eſſe actum purum, non quia à pluribus abſtrahat materiis, ſed quia non admittit realem diſtinctionem inter eſſentiam, & exiſtentiam. Quomodo autem creaturæ etiam materiales abſtrahant, vel abſtrahi ab omni materia poſſint; dictum eſt antegreſſo art. n. 7. ad 4. arg.

SCISCITABERIS.

Num etiam ens ſupernaturale ut tale poſſit ingredi metaphyſicæ objectum.

10. COncertatio habetur in autographis nonnullos inter Thomiſtas, abſolutè loquentes.

Nonnemo itaque abſolutè abnuit, audaceſque inculpat oppoſitum ſentientes. Motiva autem, quibus innititur quinque ſunt, duo ab authoritate, & tria à ratione. Primum ab authoritate eſt, quia Ariſt. hanc ſcientiam adæquatè cognovit, ac explicavit in ordine ad ſuum objectum, & tamen entis ſupernaturalis exiſtentiam ignoravit. Secundum eſt, quia S. Th. ſuper lib 4. Meth. lect. 4. approbat dictum Philoſophi, dicentis, quòd Metaphyſica ſe extendit ad omnia, de quibus ens naturæ prædicatur. Quod idem redintegrat in fine hujus lectionis.

Primum à ratione motivum eſt, quia Metaphyſica, ceu ſcientia naturalis perficiens Intellectum ad dignoſcenda ea duntaxat, quæ ſunt ab ipſo attingibilia ſecundùm potentiam naturalem, non verò obedientialem; ejus ſpecificativum objectum debet eſſe ens tantummodo naturale. Secundum eſt, quia eſt una ſpecie Meth. Hominis fidelis, & Gentilis. Tertium eſt, quia ſi Intellectus purè metaphyſicus haberet aptitudinem proximam ad cognoſcenda ſupernaturalia, non eſſet via denegandi in natura diſpoſitionem aliquam proximam, vel ſaltem remotam ad ſuſcipienda ſupernaturalia. Cujus tamen oppoſitum tutatur Thomiſta in tract. de Gratia.

11. Nonnemo autem abſolutè annuit, eò quòd etiam ens ſupernaturale includitur in ratione communiſſima entis.

Ad quod tamen reſponderi conſuevit, objectum Meth. eſſe ens univerſaliſſimè inſpectum naturali lumine cognoſcibile. Ens autem ſupernaturale, ut tale (quicquid ſit de illo ut dicit rationem entis) non reduplicando ſupernaturalitatem non eſt naturaliter cognoſcibile.

Nuper à Prælectore quodam audivi propugnari, quod objectum Metaphyſicæ ſit ens abſtrahens à naturali, & ſupernaturali abſtractione negativa, non poſitiva. At hoc eſt cavillus, ac dicere, quod Metaphyſica nec eſt, nec non eſt ens ſupernaturale; quia abſtractio negativa eſt illa quæ abſtrahit aliquid non attingendo terminum, à quo abſtrahit, adeoque nec includendo, nec poſitivè excludendo.

12. Ut quod ipſe in hoc ſentiam edam, Præmitto, quandam tradi doctrinam tum in tract. de Viſione veſtigando, *num poſſibilitas claræ viſionis Dei poſſit naturali ratione demonſtrari*. Tum in tract. de Trin. tum in tract. de Incar. idem perveſtigando de poſſibilitate Trinitatis, & Incarnationis. Doctrina autem eſt, quòd licèt nullum ſupernaturale in particulari poſſit eſſe, nec etiam connexivè naturale, nullumque proinde in particulari ſit naturali lumine cognoſcibile, benè tamen ſupernaturale in communi. Ratio ſecundi eſt, quia naturali lumine deprehendi poteſt, Deum eſſe omnipotentem, ejuſque potentiam infinitam eſſe: ergo dignoſci poteſt, fieri ab eo aliquid poſſe ſupra naturæ vires, quia ſi intra naturæ arctaretur fines, jam finita foret. Quod ego, Deo dante & p. p. in tract. de Viſione, & 3 p. in tract. de Incar. q. 2. art. 2. §. 3. ad 3. arg. explicabo de ente ſupernaturali in communi, ſed ſolummodo quò ad modum, non quò ad rem.

Itaque ex ibidem dicendis concludo, quòd ens ſupernaturale in communi, tale quò ad modum, locum obtinet intra Meth. objectum primarium; quia prout ſic licèt ſit in ſe ſupernaturale; tamen eſt quid connexivè naturale V.G. dum miraculosè cæcus illuminatur, viſio, quæ recuperatur eſt quid naturale, & modus quo reparatur, eſt ſupernaturalis in ſe; tamen eſt naturalis connexivè, quatenus cum aliquo connectitur naturali, quale eſt viſio, quæ ſupernaturali tunc modo reſtituitur. Et ſic etiam Deus ut auctor rei, quæ ſit ſupernaturalis quò ad modum poteſt ingredi Meth. objectum.

Non autem placet quod nuperrimè audivi à quodam juniori, nimirum ens ſupernaturale eſſe Meth. objectum quo ad prædicata negativa, puta quod ſit indebitum naturæ.

Non inquam quia ſcientia demonſtrat proprietates poſitivas de ſuo objecto. Et prædicata negativa præſupponunt poſitiva.

Et per hoc omnia ruunt motiva primæ opinionis. Primum quidem. Potuit namque Stagyrita deprehendere ens ſupernaturale modo dicto. Secundum verò labitur ſponte ſua. Siquidem S. Th. eſtò includat ens naturæ; haud tamen excludit ens ſupernaturale.

Concidit quoque primum à ratione motivum, & ſecundum; quia vel Ethnicus ex naturæ viribus poteſt dignoſcere ens ſupernaturale in communi, & quò ad modum. Tertium denique. Gratia ſiquidem, ſicut etiam poſſibilitas claræ viſionis Dei, Trinitatis, & Incarnationis eſt quid ſupernaturale in particulari, & quò ad rem.

Si objiciatur, quòd ens ſupernaturale ut tale eſt objectum Theologiæ.

Reſp.

Reſp. quòd objectum Theologiæ eſt ens illud ſupernaturale, quod nec connexivè eſt naturale modo prædeclarato.

ARTICULUS TERTIUS.

Num ens reale ut ſic abſtrahens à creato, & increato ſit primarium Metaphyſicæ objectum.

§. I.

1. DUo hic nos manent. Unum eſt refutare Alpharab. Avicennam, & Averroem, volentes, quòd ſolus Deus, nullatenus verò creatura ingrediatur primarium Meth. objectum. Aliud eſt refutare nonnullos, qui eſtò annuant, creaturam & Deum ingredi primarium Meth. objectum veluti ſeorſim, negant tamen, ens ut ſic ab utriſque abſtractum eſſe Meth. objectum; quia ſecùs Deus foret pars ſubjectiva entis ut ſic, cùm tamen ipſe ſit omne ens; & quia ens ut ſic eſt quid imperfectum, & analogum.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS
quò ad utramque partem.

2. QUò ad p.p. Prob. Etiam ens creatum ſuas obtinet proprietates demonſtrabiles à Meth. puta veritatem, bonitatem, &c. ergo &c.

Extemplò reſpondet Adverſarius, ens creatum ſortiri proprietates demonſtrabiles duntaxat de ſecundariò, & per attributionem ad Deum; quia ens creatum ordinatur ad Deum ut principium, vel finem. Sed

Contra Tametſi per impoſſibile non extaret Deus, & extaret creatura, ut Epicuræos blaſphemaſſe fertur, ſanè adhuc de ente, quod extaret, forent præfatæ demonſtrabiles proprietates: ergo non tantùm de ſecundariò per attributionem ad Deum demonſtrantur.

Ratiocinii hujus vis major apparebit num. 4. & 5. ad 2. & ad 3.

Ratio alia erit ſequens etiam pro ſecunda parte. Undè

3. Prob. quò ad 2. ſimul & p. p. Ens ut ſic conceptum abſtractivè à creato, & increato, nimirum in communi habet proprietates ut ſic per ſe primò de ſe demonſtrabiles, puta veritatem ut ſic, bonitatem in communi, &c. ſed non ab alia ſcientia, quàm à Meth. ergo &c. Prob. maj. Ens tale habet proprietates tales, per ſe primò demonſtrabiles, puta talem bonitatem, talem veritatem, &c. ergo à pari &c.

Conſ. Si ens ut ſic abſtrahens, &c. non foret Meth. objectum, opus eſſet aliam excogitare ſcientiam, cujus eſſet objectum, & de ipſo pertractantem; ſed hæc non eſt excogitabilis, ut patet ex dictis antegreſſo art. num. 3. ergo &c.

Imò adde, quod entia præſertim creata materialia conſiderat, non ſecundùm eorum particulares rationes, ſed in ratione communiſſima entis V. G. ens mobile, non quatenus mobile, quo pacto ſenſibilem concernit materiam, & conſideratur à Philoſophia; Ens quantum, non quatenus menſuram, quo pacto intelligibilem concernit materiam abſtrahendo à ſenſibili, & conſideratur à Mathem. Sed in ratione communiſſima entis.

§. III.

Solvuntur Adverſantium argumenta.

4. ARg. 1. contra p. p. arg. ſoluto prægreſſo art. 2. n. 9. ad 6. quia nempe nequit creatura convenire cum Deo in ratione ſcibilis. Illò adeas.

Arg. 2. contra eandem p. p. Quod conſideratur per attributionem, id eſt per ordinem ad aliud eſt objectum duntaxat ſecundarium; ſed ens creatum conſideratur à Meth. per ordinem ad Deum: ergo &c Maj. perſpicitur in Theologia, cujus ſecundarium objectum ſunt creaturæ, quia in ordine ad Deum eas conſiderat. Min. prob tum ratione, quia Creatura ordinatur ad Deum ut ad finem. Tum authoritate D. Th. qui 3. contra G. c. 23. ratione 6. *ipſa*, inquit, *prima Philoſophia ordinatur ad Dei cognitionem ſicut ad ultimum finem, undè ſcientia Divina nominatur.*

Reſp. nego min. Ad 1. prob. diſt. ant. ut ad finem generalem concedo, peculiarem ſaltem adæquatum, nego ant. & conſeq. Secùs & reliquæ ſcientiæ haberent pro objecto adæquato ſolùm Deum. Vel cum aliis Reſp. quòd ordinatur ad Deum intra forum entis, at non intra forum ſcibilis à Metaphyſica.

Contra. Ordinatur ad Deum ut ad finem ſpecialem, & in eſſe ſcibili: ergo &c. Prob. ant. Eatenus aliarum ſcientiarum naturalium objectum non ordinatur ad Deum ut ad finem ſpecialem, & in eſſe ſcibili, quia Deus nullatenus eſt primariò ab eis ſcibilis; ſed Deus per nos eſt quid primariò, imò magis principaliter ſcibile à Meth. ergo &c. Prænitet maj. Non enim Deus habet rationem formalem, ſub qua procedit Philoſophia, puta mobilitatem, &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego cauſalem, cujus ad prob. nego conſeq. Eſtò namque ad hoc, ut unum conſideretur in ordine ad aliud in eſſe ſcibili, requiratur, quòd id, ad quod ſic ordinatur, ſit quid primariò ſcibile à tali ſcientia; non tamen hoc ſufficit, ſed prætereà requiritur, quod id, quod ordinatur non ſit ullo modo conſiderabile in ſeipſo præciſivè ab alio.

Per quod alia habetur ſolutio dicendo, quòd licèt ordinetur ad Deum; tamen poteſt etiam præciſivè à Deo conſiderari ut liquet ex dictis n. 2.

Ad 2. prob. ex D. Th. Reſp. intendere, quòd Meth. ordinetur ad Deum ut ultimum finem partialem magis principalem.

Contra S. D. & etiam Philoſophus hic lib. 1. dicit, ex eo Metaphyſicam denominari ſcientiam Divinam; ſed denominatio ſumitur ab objecto, & fine adæquato: ergo &c. Prob min. Theologia quæ denominatur ſcientia de Deo. ſive Divina habet pro fine, ſeu objecto ſpeciali adæquato in eſſe ſcibili ipſum Deum: ergo &c. Eò vel maximè quod Metaphyſica compellatur etiam Theologia naturalis.

Reſp. diſt. min. aliquando, concedo: ſemper, nego. Etiam namque libri de Anima inſcribuntur de Anima; & tamen etiam ens animatum ingreditur primarium dictorum librorum objectum. Vide ibi ad ult. arg. Vel aliter diſt. min. quando res denominata non obtinet plura nomina, tranſeat, ſecùs, nego. Metaphyſica autem compellatur etiam Metaphyſica, & Prima Philoſophia.

Qua ex re quædam aliæ ſolutæ manent objectiones, puta quòd Metaphyſica, ceu cunctarum ſcientiarum nobiliſſima, debet habere pro objecto adæquato nobiliſſimum ens, quale eſt Deus.

Solutæ, inquam, manent. Ut namque cæteris nobilitate præſtet, ſat eſt, quòd Deum ſortiatur pro objecto partiali; quod reliquæ non habent.

Nec eſt neceſſè, quòd tanta gaudeat perfectione, quanta polleret, ſi adæquato pro objecto Deum obtineret. Imò nec eſt poſſibile, quia ſcientiæ dantur, & menſurantur juxta objectorum exigentiam, cùm ab objecto ſpecificentur. At ens creatum, & increatum naturali lumine cognoſcibile petunt, ab unà, eademque ſcientia attingi, quatenus poſſunt convenire in ratione abſtracti ab omni Materia, &c.

5. Arg 3. contra eandem p. Illud eſt objectum adæquatum, quo poſito ponitur, & ſublato tollitur ſcientia, judice Ariſt. 6. Meth. tex. 3. ſed Deo poſito ponitur, & Deo ſublato Metaphyſica tollitur; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quo ſublato tollitur formaliter ſcientia, concedo, duntaxat occaſionaliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Tolleretur namque indirectè, & occaſionaliter, quatenus ſublato Deo, tolleretur omne ens. At non formaliter, quia ut n. 2. conſpeximus, ſi per impoſſibile vera foret Epicuri Blaſphemia, adhuc de creaturis forent demonſtrabiles proprietates. Illò adeas

6. Arg 4. contra 2. p. Si ens ut ſic abſtrahens à creato, & increato foret Metaphyſicæ objectum, ſequeretur, quòd Deus conſideraretur ut pars ſubjectiva totius objecti; ſed hoc imperfectionem innuit, quemadmodum eſſe totum, perfectionem ſonat: ergo ens hoc pacto non primarium Meth. objectum.

Reſp. diſt. maj. ut pars ſubjectiva impropriè & quò ad explicitum tantùm, concedo, ſecùs, nego. Hoc autem minimè dedecens eſt; quemadmodum nec diſconveniens eſt inter Divinas perfectiones virtualis quò ad explicitum diſtinctio, compoſitio quò ad explicitum, &c.

Dices

Dices. Deus eſt omne ens: ergo nefas eſt, conſiderari ut contentum ſub ente.

Reſp. diſt. ant. eſt omne ens eminenter, concedo, formaliter, nego, cùm diſtinguatur realiter à creatura. Si autem hoc modo inſpiciatur Deus ut continet eminenter omne ens creatum eſt etiam ipſa Metaphyſica noſtra, & ſicut excluderetur à Metaphyſicæ objecto quodlibet aliud creatum ens, ita deberet à Metaphyſica excludi ipſamet Metaphyſica, cùm Deus ſit ipſamet Metaphyſica, quæ ſanè quid creatum eſt.

7. Arg. 5. contra eandem 2. p. Metaphyſicæ aſſignandum venit perfectiſſimum objectum; ſed ens ut ſic abſtrahens à creato, & increato non eſt tale: ergo &c. Prob. min. Conceptus abſtractus eſt conceptus potentialis: ergo &c.

Conf. 1. Objectum ſcientiæ univocæ debet eſſe univocum; ſed ens ut ſic per Thomiſtam non eſt univocum: ergo &c.

Secundò. Objectum ſpecificativum ſcientiæ debet eſſe unum ſpecie; ſed ens ut ſic, & in communi non eſt unum ſpecie: ergo &c. Min. prob. Omnis definitio ſpeciei per priora datur, ideſt per genus, & differentiam; ſed non eſt aliquid prius ente ut ſic, quod ſit genus reſpectu entis ut ſic: ergo &c.

Reſp. ad arg. (omiſſa ſolutione eorum, qui diſtingunt, & negant imperfectionem de abſtractione formali, cùm ens ut ſic ſit abſtractum abſtractione potentiali, ſecùs ens ut ſic foret abſtractum à Deo ut à materia) nego min. Ad prob. diſt. ant. ſi ſit abſtractio etiam quò ad implicitum, qualis eſt illa generis à differentiis, concedo, ſi duntaxat quo ad explicitum nego. Hæc enim nullam dicit imperfectionem, ſicut nec diſtinctio quò ad explicitum imperfectionem dicit in Deo, ut nuper diximus. Ens autem ſolùm quò ad explicitum abſtrahitur à ſuis inferioribus, ut conſpeximus in Logica Syntag. 4. q. 1. quæ fuit de antepradicamentis art. 1. & 2. tuendo, quòd ens ſit tranſcendens, & quod non gaudeat conceptu perfectè præciſo.

Ad 1. Conf. ultra reſponſa, quæ dedimus loco nuperrimè appellato ſub n. 15. art. 2. ad ult. arg. in fine.

Reſp. cum Godoy p. p. q. 12. diſp. 7. n. 33. diſt. maj. debet eſſe univocum in ſoro entis nego, in objecti foro, ſubdiſtinguo, debet eſſe univocum poſitivè, nego, negativè, concedo maj & diſtincta min. nego conſeq. Et ſic etiam dico, quòd Metaphyſica poſitivè loquendo nec eſt univoca, nec analoga, nec æquivoca, ſed negativè tantummodo, & præciſivè, ſicut & ejus objectum in eſſe objecti. Et licèt inter iſta in eſſe entis non extet medium; benè tamen in eſſe objecti, nimirum hoc, quod eſt negativè, præciſivè ſe habere. Ratio utriuſque eſt, quia unitas ſive univoca, ſive analoga, ſive æquivoca eſt unitas ſuperioris ad inferiora, de quibus poteſt prædicari; non verò eſt unitas objecti ſcibilis ſpecificantis, & habitus ſpecificati, quæ reſpiciuntur per modum menſuræ, & menſurabilis, non per modum ſuperioris, & inferioris.

Ad 2. Conf. poſſet eadem valere ſolutio. Aſt quia dicta in Conf. fit ſermo de ſpecie metaphyſica, & conſtitutiva, non verò de ſpecie logica, & prædicabili. Idcircò aliter

Reſp. diſt. maj. debet eſſe unum ſpecie ut reduplicat rationem entis, nego, ut reduplicat rationem formalem *ſub qua* Metaphyſicæ, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Hæc namque eſt unica definitione definibilis, nimirum *eſt abſtractio ab omni materia*. Ubi ly *ab omni materia* eſt differentia ſpecifica, per quam differt tum à ratione formali *ſub qua* Philoſophiæ, tum à ratione formali *ſub qua* Mathematicæ. Ly verò *abſtractio* eſt prædicatum ſuperius genericum omni competens abſtractioni.

8. Arg. 6. Habitus Metaphyſicæ nequit ſe extendere ut ſuum ad objectum ad totum id, ad quod ſe extendit Intellectus ut ad ſuum objectum; ſed Intellectus ſe extendit ad omne ens abſtrahens, &c. ergo &c. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd habitus eſt minùs univerſalis, quàm potentia, ad quam comparatur velut cauſa particularis ad univerſalem; quia ſicut cauſæ particulares determinant univerſalem ad aliquem effectum, ita habitus potentiam ad aliquod particulare objectum.

Reſp. diſt. maj. ſub omni ea ratione, ſub qua ad illud poteſt ſe Intellectus extendere, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Quod intellectus obtinet mediis aliis ſcientiis.

9. Arg. poſtremò. Etiam Meth. eſt ens, & continetur ſub ratione univerſaliſſima entis: ergo haberet pro objecto ſeipſam.

Reſp. quòd Meth. ut tale ens, ac talis habitus attingit ſeipſam, non quidem ut tale ens ſeu ut talem habitum (quia hoc pacto cùm ſe habeat ut id quo ſuum attingitur objectum non indiget alio *quo* quemadmodum potentia non indiget alia potentia, actio alia actione, media qua producatur) ſed ſecundùm rationem communiſſimam entis. Quod nullum eſt inconveniens, quia fit ſecundùm diverſam rationem.

10. Ex his iterum infertur, quòd Meth. non agit de rebus particularibus ſecundùm peculiares rationes, ſed duntaxat ſecundùm quod ens ſunt. De quo Martinez hic controv. 5. art. 7. Blaſius q. 3. & Zuchi q. 1. art. 5. ubi veſtigant *num Meth. deſcendat ad particularium cognitionem rerum*. Ubi negativè reſolvunt loquendo de illis ſecundùm peculiares rationes, niſi indirectè interdum, & per accidens. Conſulere illos poteris.

QUÆSTIO SECUNDA

De Ente cognito.

Quoniam ens, quod ad Meth. ſpectat, ad illam attinet in ſoro cognoſcibili; Idcircò poſt expeditas prodromas controverſias primo ab ente cognito quæſtionem hanc ſecundam exordimur.

ARTICULUS PRIMUS.

Num ſingulare materiale pro hoc ſtatu ſit primo cognitum ab Intellectu noſtro cognitione ſimplici confuſanea.

§. I.

1. PRæmittenda hic venit maxima illa, quam ſtatuit Stagyrita non paucis in locis 1. Poſt. tex. 6. lib. 6. Top. loco 18. 1. Phyſ. tex. 2. 2. Meth. tex. 16. 7. Meth. tex. 10. 2. de Anima tex. 12. 1. Ethic. cap. 4. &c. nimirum quòd rerum *aliæ ſunt notiores natura*, *aliæ notiores nobis*.

Quod apophtegma varii variis pandunt modis, quorum complures refutat Maſtrius diſp. 5. Meth. q. 9.

Interpretatio Thomiſtica cohærenter ad doctrinam, quam tradidi in lib. Poſt. quæſt 2. Præloquio 2. & art. unico §. 1. & 3. ad 3. arg. eſt, quòd quemadmodum propoſitio alia eſt per ſe nota ſecundùm ſe tantùm, & non quò ad nos, alia etiam quò ad nos: ita res nonnullæ dantur, quæ ſunt notiores ſecundùm ſe tantùm, aliæ notiores nobis.

Quam interpretationem audire Scotiſta detrectat, Tum quia propoſitio eſt actus intellectus: ergo nequit propoſitio ulla eſſe per ſe nota ſecundùm ſe, quin ſit per ſe nota nobis, hoc eſt intellectui noſtro. Tum quia eſſe notum, vel notius dicitur relatè ad nos: ergo nequit quicquam eſſe notius, quin ſit notius nobis.

Verùm præfatam diviſionem exactam eſſe nitet ex dictis loco nuper appellato. Quandoquidem propoſitio, in

qua prædicatur prima paſſio de ſubjecto, eſt per ſe nota ſecundùm ſe, quia illam inter paſſionem, & eſſentiam non mediat aliquid ſecundùm ſe; & tamen non eſt per ſe nota quò ad nos; quia exiat medium quò ad nos, nimirum ſubjecti definitio. Et quidem poſſe aliqua eſſe nota ſecundùm ſe, & non quò ad nos, exploratum eſt in myſteriis Gratiæ, Trinitatis, &c. Huc facit, quod art. ſequenti §.2.num 2. eoſdem adverſus Scotiſtas, oſtendemus, res minùs univerſales eſſe notiores ſecundùm ſe, non tamen nobis procedentibus de potentia ad actum.

Ad 1. objectionem habes per dicta loco appellato ex lib. Poſt ant eſſe verum de propoſitione formali, at non de objectiva.

Ad 2. primiter, nego ant. Poteſt namque dici etiam relatè ad Divinum, & Angelicum intellectum. Præterea tranſmiſſo ant. diſt. conſequens, per ſe loquendo, concedo, per accidens, nego conſeq. Per ſe loquendo cuncta ſunt æquè nota etiam nobis. Quòd autem nonnulla, quæ ſecundùm ſe ſunt notiora, hoc eſt aptiora cognoſci, talia non evadant reſpectu noſtri, per accidens eſt, nimirum ex indiſpoſitione Intellectus procedentis de potentia ad actum.

Interpretatio autem illius apophtegmatis à Maſtrio conficta non eſt, niſi vitioſum commentum. Dicit namque Maſtrias, quòd conſideratis rebus in ſe, cuncta ſunt æquè nota, ſolantùm autem (ſcribit hic diſp. 5. q 9. num 238, & 239.) dicuntur aliqua nota natura inquantum quæ nos inducunt in cognitionem à priori alicujus rei appellantur notiora imitativè, quatenus procedendo à cauſis ad effectus imitamur naturam, quæ procedit in conſtitutionem rerum incipit à cauſis, & in conſtitutione compoſiti incipit à partibus, &c. At quando procedimus à poſt ſcilicet ab effectibus ad cauſam, procedimus per notiora nobis, quatenus effectus, utpote minùs univerſales, & minùs determinati, ſunt ſenſui proximiores, eamque fortiùs movent.

Vitioſum, inquam, commentum, Tum quia art. ſequenti conſpiciemus, quòd univerſaliora ſunt notiora nobis. Tum quia Stagyrita dum dicit, res alias eſſe notiores natura, alias notiores nobis, ſumit ly *notiores natura* correlativè, & contrapoſitivè ad ly *notiores nobis*; ſed per ly *notiores nobis* non intendit notionem aliquam imitativam, ſive ordinem, quo naturam imitemur, ut vel Maſtrius innuit, qui hic non confugit ad imitationem ordinis naturæ, ſed dicit, appellari notiores, quia ſunt ſenſui propinquiores, & ſenſum validiùs movent; ergo ſimiliter per ly *notiores natura* non intendit ordinem, quo nos naturam imitemur, &c. Maj. Primiter, Tum quia Dialecticorum canon eſt, quod diviſio debet eſſe in membra oppoſita. Tum quia ſecùs incongruè fuiſſet locutus; Quemadmodum ſi ipſe dicerem: *res aliæ ſunt poſſibiles natura*, *aliæ ſunt poſſibiles nobis*, incongruè loquerer, niſi ſumerem ly *natura* correlativè ad ly *nobis*. Item ſi diceret *res aliæ ſunt finitæ*, *aliæ infinitæ* næ incongruè loquereris, niſi ſumeres ly *finitæ* contrapoſitivè ad *infinitæ*, &c. Conſeq. autem eſt exacta, quia ſecùs nulla foret correlatio, quoniam ut dicta adeſſet correlatio, cùm Ariſtoteles faciat diverſitatem inter notiores natura, & notiores nobis, deberet eſſe diverſa imitatio diverſi ordinis naturæ.

Reliquum igitur eſt, ut unica Interpretatio ſit noſtra, quoniam cæteræ habentur refutatæ, & quidem benè, eundem apud Maſtrium ubi ſupra num. 234.

2. Revertamur modò ad propoſitum noſtrum, & ſententias percenſeamus.

Prima eſt Durandi in 2. ſent. diſt. 3. aſſeverantis, quòd ſingulare materiale ſit primò cognitum ab intellectu noſtro pro hoc ſtatu cognitione rudi, imperfecta, ſimplici confuſa. Durando adſtipulantur Ruvius, Suarez, & alii apud Zocht.

Quæ ſententia haud ita intelligenda venit, quaſi quòd iſtud primò cognitum ſit ſingulare determinatè. Non, inquam. Non enim rudis adeo fuit Durandus, ut eum lateret, quòd cùm conſpicitur aliquid à longè, non extemplò deprehenditur, num ſit Cajus, vel Sejus, vel Bucephalus; &c. Vult igitur, eſſe ſingulare vagè, & indeterminatè. Et per hoc ſalvat cognitionem illam confuſam (quam cum veritate dixit Stagyrita 1. Phyſ. tex. 5.) Puerorum, qui à principio omnes homines vocant Patrem, cunctaſque mulieres Matrem.

Secunda abſolutè abnuit, & eſt cunctorum Thomiſtarum, quorum poſitivum ſenſum dabo art. ſequenti.

§. II.

CONCLUSIO NEGANS.

3. QUam didicimus tum à D. Th. p. p. q. 85. art. 1. & q. 86. & q 10. de ver. art. 5. ubi docet, ſingulare non poſſe directè cognoſci. Tum à Philoſopho 1. Phyſ. tex. 49. & alibi, ubi modò dicit, *univerſale eſſe notius ratione*, *ſingulare verò ſenſu*; modò *Intellectum eſſe univerſalium*, *ſenſum verò ſingularium*.

4 Prob 1. Singulare non eſt cognoſcibile, niſi reflexè, ſeu indirectè, non verò directè; ſed quod non eſt cognoſcibile directè nequit eſſe priùs cognitum, quia directum eſt reflexo prius: ergo &c. Maj. probata fuit 3. de Anima q. 3. art. 2. quia omnium ſpecies actuans intellectum poſſibilem eſt à ſingularibus, ſeu à Phantaſmatibus abſtracta, cùm ad hoc ponatur intellectus agens.

Dices 1. cum Ruvio, & Suarez, ſpecies Intellectus noſtri dici à ſingularibus abſtractas, non quaſi deponant, & relinquant ſingularitatem, ſed quia deponunt, & relinquunt ejus materialitatem, quam habent V. G. lateres in ſe. Sed

Contra. Species actuans Intellectum poſſibilem producta ab agente intellectu debet eſſe immaterialior ſpecie producta ab objecto in ſenſu; ſed talis minimè foret, ni etiam ſingularitatem deponeret, & relinqueret: ergo &c. Maj. neminem latet, quem non latent, quòd Intellectus eſt ſenſu immaterialior. Min. prob Species etiam in ſenſu producta, eam, quam in ſe objectum habet, deponit materialitatem, cùm non ſecundùm eſſe materiale lateres ſint in oculo. ergo &c.

Alia hujus reſponſi refutatio apud Cav. tract. 2. de Anima diſp. 4. q. 2. §. 1.

Et per hoc probatum quoque remanet, non eſſe primò cognitum ſingulare vagè; Tum quia ſpecies eſt abſtracta ab omnibus ſingularibus. Tum quia etiam ſenſus attingit ſingulare vagè, nimirum & hoc, & illud, & aliud ſingulare.

Dices 2. quod eſtò non ſit directè cognoſcibile ſingulare in actu exercito; tamen eſt directè cognoſcibilis quidditas ſingularitatis, ſive ſingulare in actu ſignato. Sed

Contra. Singulare hoc modo quandam induit rationem communis, & univerſalis ad modum cujuſdam generis, aut ſpeciei, cùm dicatur eſſentialiter de omnibus ſingularibus. Videbimus autem ſequenti art. inter univerſalia primò cognitum eſſe prædicatum entis.

5. Prob. 2. ratione alia communi petita ex eo, quòd ſpecies intellectus noſtri eſt media inter ſpecies deſervientes intellectui Angelico, & illas, quæ ſenſui inſerviunt.

Sed quia hoc modo producta ratiocinatio ita, ſicut & præcedens, licèt valere queat contra Ruvium, & Suarez, non tamen contra Durandum, qui ſpecies execratur, ut conſpeximus 7 de Anima q 6. ſicut & intellectum agentem, ut 3. de Anima q. 2. vidimus. Idcircò

Prob. eodem ratiocinio ad aliam formam redacto, quo uſi ſumus eodem 3. de Anima q. 3. art. 3 ex Magiſtro Gonzalez p. p q. 14 art. 11, ſic. Intellectus humanus medium obtinet locum inter ſenſum, & intellectum Angelicum; ſed ſenſus, ceu materialis, & organo affixus corporeo, attingit per ſe primò ſingulare materiale; intellectus verò Angelicus attingit per ſe primò univerſale, & ſingulare ſimul: ergo Intellectus noſter nec ſingulare, ut facit ſenſus, nec utrumque ſimul, ut Angelicus facit intellectus, benè verò univerſale tantùm per ſe primò attinget.

Reſpondet Ruvius, ſatis ad hoc eſſe, quòd idem ſingulare intellectus noſter perfectiùs, quàm ſenſus, & imperfectiùs, quam Angelicus attingat. Sed

Contra. Quò univerſalior eſt potentia, eò univerſalius debetur objectum per ſe primò attingibile, ut debita interſit proportio inter objectum, & potentiam; ſed Intellectus eſt potentia ſenſu amplior: ergo ferri per ſe primò debet latius ad objectum: adeoque ſi ſenſus fertur ad ſingulare per ſe primò, Intellectus ferri per ſe primò debet ad univerſale.

§. III.

§. III.

Adverſantium argumentationes Solvuntur.

6. ARg. 1. ca Durando. Primò cognitum ab Intellectu noſtro illud eſt, à quo primò intellectus movetur; ſed id, à quo primò movetur eſt ſingulare: ergo &c. Prob. min. Motio eſt actio quædam; ſed actiones ſunt ſingularium: ergo &c.

Reſp. dupliciter. Primò diſt. maj. à quo primò movetur tanquam à ratione formali *quæ* motiva, concedo, tanquam a conditione, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Ratio namque formalis *quæ* motiva Intellectus eſt id, quod eſt magis intellectui proportionatum. Hoc autem, ut conſpeximus num. 4. & 5. eſt quid univerſale. Ob idque ſingularitas eſt mera conditio ad movendum intellectum.

Secundò. Reſp. 2. quòd licèt omne reale in ſtatu reali ſit ſingulare, non reale, quod non eſt in ſtatu reali. Eapropter ſcripſimus in Logica Syntag. 2. art. 7. num. 8. ſub finem, quod natura V. G Hominis abſtracta, in tali obſtractionis ſtatu licèt ſit in ſtatu rationis, non tamen ipſa eſt ens rationis, ſecùs animalitas, & rationalitas à me concepta præciſivè foret quid fictum. Quod tamen perſpectum eſt eſſe falſum.

Dices. Cùm primò Intellectus ab aliquo movetur objecto, attingit illod intuitivè, ut vel nos num 4 ſcripſimus; ſed de ratione cognitionis intuitivæ eſt, quòd ſit circa ſingulare in actu exercito, & in ſtatu contractionis, & formaliter: ergo non ſufficit, habere ſtatum rationis, aut eſſe univerſale fundamentaliter. Prob. min. Cognitio intuitiva eſt rei præſentis, & exiſtentis; ſed omne exiſtens eſt ſingulare: ergo &c.

Reſp primitèr, per dicta loco nuper appellato num. 4. tract. 3. diſt. min. quod ſit circa ſingulare, vel circa aliquod repertum in ſingulari, concedo, ſemper circa ſingulare, nego.

Deinde Reſp. quòd Intellectus non cognoſcit intuitivè objectum, niſi dependenter à ſenſu, & inquantum connectitur cum illo in cognoſcendo. Ob idque duntaxat per accidens, nimirum ratione ſenſuum aliquid intuitivè attingit. Clauſis autem ſenſibus, licèt res ſint præſentes Intellectus nequit eas intuitivè cognoſcere; quia nequeunt earum ſpecies de tali præſentia certum reddere, niſi mediis ſenſibus. Quòd ſi Deus lumen aliquod ſuperiùs infunderet, ut ſpecies exemplaias à Deo, poſſet res intuitivè videre independenter à ſenſibus. At loquimur de ſpeciebus per ſenſum acquiſitis. De quo iterum art. ſequenti num. 4.

Dices. Intellectus pro hoc ſtatu acquirendo ſpecies à ſenſibus, movetur à Phantaſmate, ſicut viſus à colore; ſed iſtud nequit aliter movere, niſi ad cognoſcendum hoc ſingulare, quod de primariò exiſtit: ergo per ſe primò attingitur ſingulare, & non tantùm res in ſingulari reperta. Prob. min. Nequit movere, niſi ad cognoſcendum id, quod repræſentat; ſed non repræſentat, niſi ſingulare: ergo &c.

Reſp. primitèr moveri à Phantaſmate duntaxat occaſionaliter. Non enim phantaſma pertingit ad Intellectum poſſibilem, ſed ex Phantaſmate ſuffragio intellectus agentis alia producitur immaterialior ſpecies, qua Intellectus poſſibilis afficitur. Eapropter negatur, quòd Intellectus moveatur à Phantaſmate eodem modo, ac viſus à colore.

Nec valet dicere, quod à Phantaſmate nequit produci, niſi ſpecies repræſentans ſingulare, quia nemo dat, quod non habet. Phantaſma verò non habet repræſentare niſi ſingulare.

Non, inquam. Nam ant. falſitate laborat. Ad prob. dico, maj. eſſe veram de cauſa principali, aut formali. Phantaſma autem eſt cauſa tantummodo inſtrumentalis, vel materialis in productione ſpecierum, & cauſa principalis eſt intellectus agens, ut ſcripſi 3. de Anima q. 2. Imò Cajet. (ut ibi conſpeximus) vult, quòd Phantaſma concurrat ſolummodo objectivè.

Præterea Reſp. Intellectum moveri à Phantaſmate, non ut ab objecto formali, ſed ut à proponente objectum, nimirum quidditatem rei materialis, non eo modo, quo conſinetur in ipſo, nimirum ut ſingularem, ſed ut à ſingularitate depuratam beneficio intellectus agentis. Eam ob rem quemadmodum viſus movetur à colore, ut ab objecto ſecundùm rationem coloris præcisè, non verò ſecundùm alia, quæ habet, vel habere poteſt in ſe conjuncta puta ſaporis, odoris, algoris, &c. ita intellectus à Phantaſmate ſecundùm rationem univerſalitatis, non verò ſingularitatis illi connexæ.

7. Arg. 2. Quod eſt magis cognoſcibile eſt primò cognitum; ſed ſingulare eſt magis cognoſcibile: ergo &c. Min. prænitet in Deo.

Reſp. nego min. Ad prob. dico, quòd utique ſingulare ſpirituale eſt magis cognoſcibile, ſecùs verò materiale, de quo impræſentiarum.

Præterea diſt. maj. quod eſt magis cognoſcibile nobis, concedo, ſecundùm ſe tantùm, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Vide §. 1. & 2.

Contra. Singulare materiale eſt magis cognoſcibile etiam nobis: ergo &c. Prob. ant. Quod eſt magis ens eſt magis cognoſcibile etiam nobis; ſed ſingulare etiam materiale eſt magis ens, quam univerſale: ergo &c. Maj. certa eſt, quia Intellectus objectum eſt ens. Min. eſt certior, quia ſingulare eſt exiſtens de primariò.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. quod eſt magis ens eſſentiale, concedo, purè participiale, ideſt exiſtentiale, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Nec aliud evincit probatio min. cùm ſingularitas non ſit prædicatum quidditativum rei.

Dices. Ariſt. 1. poſt cap. 2. inquit, ſingularia eſſe nobis notiora, natura tamen minùs nota natura; è contra verò univerſalia notiora natura, minùs verò nota nobis: ergo &c.

Reſp. Philoſophum non poſſe in Adverſariorum ſenſu eſſe locutum, cùm oppoſitum docuerit 1. Phyſ. tex. 49. ut conſpeximus n. 3. Quamobrem interpretandus venit ex D. Th. 1. Phyſ. lect. 1. quòd dum, inquit, ſingularia eſſe nobis notiora, loquitur de cognitione purè ſenſitivâ, quæ, cùm intellectivam præcurrat, hæcque ab illa exordium ſortiatur; Idcircò objectum, quod eſt ſingulare in actu exercito, dicitur, notius eſſe nobis, ſeu priùs notum, quàm univerſale. Cujus ſignum eſt, quòd ibi non ait expreſsè, ſingularia eſſe nobis notiora, ſed quòd nobis notiora ſunt, quæ propinquiora ſenſui ſunt; quia loquebatur de ſenſitiva cognitione prout intellectivam antegreditur. At intellectiva de cognitione loquendo inquit 1. Phyſ. tex. 49. univerſalia eſſe nobis notiora, & proinde eſſe ab eis inchoandum.

Inſt. Id per ſe primò Intellectus attingit, quod ſenſus per ſe primò attingit: ergo ſi ſingulare priùs attingitur in ſenſu, etiam ab Intellectu. Prob ant. Omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu: ergo &c.

Conſ. Ubi deſinit ſenſus ibi incipit Intellectus, cui ſenſus ſubordinatur.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob diſt. ant. occaſionaliter, concedo, formaliter, nego. Vel cum aliis diſt. ant. effectivè, nego, materialiter inſtrumentaliter, concedo ant. & nego conſeq. Non enim ſic intelligitur axioma illud, quaſi quòd à ſenſu cognitio noſtra efficiatur, vel quod idem formaliter ſit objectum ſenſus, & intellectus, ſcilicet ſub eadem ratione formali. Non, inquam, ſed ſic, quod Intellectus noſter nequit pro hoc ſtatu aliter cognoſcere, niſi Phantaſia præbente materiam, ex qua intellectus agens format ſpeciem, quæ licèt eandem repræſentet naturam objecti repræſentanti à Phantaſmate, non tamen eodem modo. Phantaſma ſiquidem repræſentat ipſum ſecundùm rationem ſingularitatis, à qua abſtrahit ſpecies producta ſuffragio intellectus agentis.

Ad Conſ. Reſp. per dicta lib. 3. de Anima q. 3. art. 2. §. 3. quòd ubi deſinit ſenſus exorditur intellectus excluſivè, at non incluſivè. Vel cum aliis, quòd ubi deſinit ſenſus, puta Phantaſia, ibi incipit intellectus agens, at non intellectus poſſibilis.

Oppugnabis. Ubi deſinit intellectus agens, ibi incipit Intellectus poſſibilis; ſed ille deſinit in ſingularibus: ergo &c. Prob. min. Intellectus agens deſinit in quidditate à ſingularibus abſtracta; ſed nequit fieri cognitio abſtractiva, niſi ea cognoſcantur, à quibus fit abſtractio: ergo &c.

Reſp. primodùm ut ſupra, quod ibi exorditur excluſivè. Præterea, nego min. Ad prob. dico, id verum eſſe de abſtractione vel abſoluta, vel poſitiva; at non de purè negativa, quæ ſola intellectui competit agenti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num primò cognitum ab Intellectu noſtro pro hoc ſtatu cognitione ſimplici confuſanea ſit ſpecies ſpecialiſſima, an verò prædicatum entis.

§. I.

1. RÉcole dicta antegreſſo art. §. 1. quæ hìc magis, quàm ibi ad rem ſunt, cùm hic ſit Scotica cum cohorte velitandum, volente, quòd primò tale cognitum ſit ſpecies ſpecialiſſima. Quæ tamen opinio non ſic intelligenda venit, quaſi ſentiat, primò cognitum eſſe ſpeciem ſpecialiſſimam determinatè, cùm exploratum ſit, quòd non rarò aliquid conſpicimus non deprehendendo, num ſit Equus, vel Arbor, vel Homo, &c. Non, inquam; eò vel, maximè quòd prout ſic cognitio foret diſtincta, & non confuſa; Sed ſpecies ſpecialiſſima vagè, ut præſertim Maſtrius ſe explicat tùm in 3. de Anima, tum hic diſp. 5. q. 9. Imò reor, ſententiam Scotiſtarum parùm, ſeu nihil ſe à Durandi ſententia elogare, cùm dicat, primò cognitum eſſe ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ, ideſt infimæ, ſive atomæ, V. G. vel aliquis Homo, vel aliquis Leo, vel aliqua Quercus, &c. Et non ob aliud puto dixiſſe ſingulare ſpeciei infimæ, niſi ut exploderet ſingulare genericum, V. G. *aliqua ſubſtantia, aliquod corpus, aliquod vivens*. Quoniam verò de ſingulari ſatis prægreſſo art. actum eſt. Idcircò hic de ſpecie duntaxat diſceptabimus.

Thomiſtica Phalanx tutatur, hujuſcemodi primò cognitum eſſe univerſaliſſimum prædicatum entis.

Dixi *prædicatum entis*, ut admonitus ſis, quòd ut expendit Jo: à S. Th. & Ortiz, exploratum eſt, omne quod noſtro objicitur Intellectui eſſe ſpeciem, imò & ſingulare; quoniam prima cognitio eſt intuitiva, ceu ortum ducens à ſenſu. Sed quia qualibet in ſpecie, ac qualibet in individuo plura extant prædicata, puta prædicatum entis, ſubſtantiæ, corporis, &c. aduſque infimæ ſpeciei, & individui prædicatum, puta Rationalitatis, ac Petreitatis; Idcircò tutatur Thomiſticum agmen; cunctorum iſtorum prædicatorum primò cognitum eſſe prædicatum entis.

§. II.

CONCLUSIO.

Primò cognitum ab Intellectu noſtro pro hoc ſtatu cognitione ſimplici confuſanea non eſt gradus ſpeciei ſpecialiſſimæ, benè verò eſt gradus entis.

2. SIc explicatè loquitur S. Th. p. p. q. 85. art. 3. & in prologo de Ente, & Eſſentia, & colligitur ex Philoſopho 1. Phyſ. cap. 1.

Prob 1. ratione communi petita ex D. Thom. loco nuperrimè appellato ex p. p. Illud eſt primò cognitum ab Intellectu noſtro, cujus conceptus priùs imprimitur in intellectu noſtro; ſed conceptus, qui priùs imprimitur in intellectu noſtro eſt conceptus entis, non verò ſpeciei infimæ, aut alterius gradus minùs univerſalis gradu entis: ergo &c. Prob. min. Ille conceptus priùs imprimitur in intellectu noſtro, qui eſt imperfectior, & confuſior; ſed iſte eſt conceptus entis, non verò &c. ergo &c. Præmiſſæ ſunt probandæ.

Prob. primitèr Maj. Ille conceptus priùs formatur in intellectu noſtro, ad quem minor expoſcitur vigor; ſed ad conceptum imperfectiorem minor requiritur vigor: ergo &c. Min. dubio caret. Ad rem ſiquidem perfectiorem conficiendam majori ſemper opus eſt robore, V. G. major vis deſideratur ad Metaphyſicam, quàm ad Grammaticam addiſcendam. Maj. prob. Intellectus in primo actu minorem, & minimam obtinet vim: ergo &c. Prob. ant. Agens naturale procedens de potentia ad actum, in tali ſtatu minima pollet vi; ſed Intellectus in primo actu eſt agens procedens de potentia ad actum: ergo &c. Min. non vertitur in dubium. Maj. omne deponit dubium via generationis, ubi deprehenditur, quòd agens procedens de potentia ad actum imperfectiſſima gaudet vi, cùm priùs generet formam Embryonis, quàm formam perfectam, & dum perfectam generat formam priùs eam attingit ſub gradu vegetativi, quàm ſenſitivi, &c.

Familiare Scotiſtarum reſponſum eſt inficiari, quòd agens procedens de potentia ad actum exeat in actum, ſive conceptum imperfectiorem, volentes potiùs è contra, quòd agens naturale non impeditum dum primò pergit de potentia ad actum, exeat in actum perfectiorem, quem poteſt. Idque exemplo illuſtrant in Sole, qui primo ab inſtanti perfectiſſimam in illuminationem erupit. De quo infra §. 3. ad 3. arg.

Sed ultra quod ad noſtram non reſpondent probationem, Mirum eſt, dicere quomodo id potuerit Scotiſtarum ullus. Non alia ſiquidem ratione Scotiſta annuit, primum Intellectus actum eſſe cognitionem confuſam, & non diſtinctam ſpeciei vagè, non verò determinatè. Præterea legi ipſe Scotum, qui in 4. ſent. diſt. 49 q. 3. probat, beatitudinem formalem ſitam eſſe principaliùs in voluntatis, quàm in intellectus actu contra Thomiſtas, quia actus intellectus eſt actus imperfectioris potentiæ, & ex eo conatur probare, intellectum eſſe imperfectiorem voluntate, quia intellectus eſt voluntate prior, & quæ ſunt priora generatione ſunt imperfectiora. Si autem vera ea foret doctrina Scotiſtarum, jam Anima deberet perfectiſſimum in actum exire in primo ſuo actu, ſicque cùm actus intellectus ſit prior, ut verè ajant, quia nil volitum, quin præcognitum, jam actus intellectus foret perfectior voluntatis actu contra ſuum Gymnaſiarcham.

Quomodo autem hoc non obſtante valeat Thomiſta tueri, quòd formalis Beatitudo principaliùs ſita ſit in intellectus actu; Ratio primiùs eſt, quia, ut de aliis proprietatibus dicemus infra num. 6 ad 3. potentiæ fiunt, non per veram actionem, ſed per reſultantiam duntaxat, & dimanationem. Præterea ſolutum id jam fecimus lib. 3. de Anima veſtigando *num Intellectus ſit voluntate perfectior* ad 4. & ult. arg.

Hanc fortaſſis prævidit moleſtiam Maſtrius, qui proinde commune declinans effugium aliò deflectit, & negat min. quæ probanda nobis ſupereſt, nimirum quòd conceptus entis ſit imperfectior, ac negat, quòd ſit magis confuſus, contendens, quòd ſpeciei infimæ conceptus ſit confuſus magis, quàm conceptus entis, licèt & iſte confuſus ſit; quia, inquit ipſe, eſtò conceptus entis ſit univerſalior in prædicando, tamen ſpeciei ſpecialiſſimæ conceptus eſt in continendo univerſalior; eò quòd omnes in ſe continet reliquos ſuperiores gradus ad ipſum uſque entis gradum incluſivè, cùm iſti omnes ſint partes ejus metaphyſicæ. Hinc (perſequitur ille) à cognitione totius confuſa fit poſtea progreſſus ad cognitionem aliorum graduum ſuperiorum diſtinctam. V. G. ſi mihi aliquòd occurrat animal, ſtatim ejus ex figura, colore, &c. agnoſco cujus ſpeciei ſit, poſtea diſcurrendo poſſum venire in cognitionem, quòd ſit corpus, quòd ſit ſubſtantia, quòd ſit ens. Et en fieri tunc cognitionem diſtinctam. Itaque

Prob. min. & refellitur Maſtrii doctrina ſic. Illud eſt confuſius, in cujus conceptu minùs certè dignoſcuntur cætera ei connexa; ſed in entis cognitione minùs certè deprehenduntur, quæ ſunt ei annexa, quàm in cognitione ſpeciei: ergo cognitio entis eſt magis confuſanea. Maj. eſt perſpicua. Diſtincta namque cognitio eſt certior, imò ex claritate, & diſtinctione oritur certitudo. Min. prob. Hoc ipſo, quod aliquam deprehendo ſpeciem, V. G. deprehendo, eſſe Equum, deprehendo à fortiori eſſe ens (cùm ne deprehendam, non poſſe eſſe nihil) item eſſe ſubſtantiam, eſſe corpus, &c. Non ſic autem in cognitione entis. Quandoquidem cum intueor quidpiam à longè dum deprehendo, eſſe ens, eſſe aliquid, quin ne deprehendam, num ſit arbor, vel animal, num Quercus, vel Populus, num Equus, vel Bos, &c. Cujus ulterior eſt ratio, quia à ſuperiori ad inferius non tenet affirmativè conſequentia, benè verò è converſo.

Proterea directè refellitur Maſtrii ſolutio. Quamquam verum ſit, quòd ſpecies eſt univerſalior in continendo, & ens univerſalius in prædicando; attamen univerſalitas entis in prædicando eſt major, quàm univerſalitas ſpeciei in continendo: ergo entis cognitio erit confuſior. Prob ant. Species V. G. Homo continet duntaxat vivens, animal, corpus, ſubſtantiam, ens; at verò ens prædicatur, non ſolùm de ſpecie, V. G. Homine; animali, corpore, & ſubſtantia, verùm etiam de aliis, puta accidente, ſpiritu, &c.

Ulteriùs etiam forma Embryonis in continendo eſt minùs

nùs univerſalis, quàm forma perfecta; & tamen illa eſt imperfectior, ceu univerſalior in prædicando, & ab ea exorditur natura via generationis: ergo eſtò &c. adhuc &c.

Ad id, quod ſubjiciebat Maſtrius, nimirum ex cognitione totius actualis confuſanea fieri progreſſum ad cognitionem partium diſtinctam, dico, id verum eſſe via reſolutiva, & ſeparativa ſeparatione intentionali; At non via compoſitiva. Siquidem cùm à longe quidquam perſpicio, priùs deprehendo, eſſe ens, eſſe aliquid, deinceps cùm magis approximatur, ſi ſe movere eum cerno, deprehendo, eſſe animal, poſtea cùm magis appropinquatur dignoſco ex figura, colore, &c quale animal ſit. Attamen iſta, quæ fit via compoſitiva eſt ab aliquo univerſaliori, confuſiori, & imperfectiori, ut hactenus probatum eſt contra Maſtrium.

Admonitum te velim, quòd cùm objectum aliquod extempló approximatum nobis præſentatur, tunc videtur Maſtrio, quòd non priùs cognoſcamus ens, quàm gradum ſpecificum atomum. Verùm hallucinatur Maſtrius, quia tunc quoque priùs deprehenditur gradus entis, nimirum eſſe aliquid, licèt prioritate breviſſima, & imperceptibili, ad differentiam objecti, quod priùs diſtans præſentatur; quoniam in hoc caſu per morulam perceptibilem, & durationem priùs deprehenditur, eſſe ens, ſive aliquid. Sanè dum ſubitò nobis approximatum occurrit, deprehenditur ſpecies, imò & ſingulare, non ſolùm vagè, ut obverſarius prætendit, verùm etiam determinatè, nec tantùm confuſaneè, verùm & diſtinctè breviſſima illa morula.

3. Probari 3. conſuevit proſternendo fundamentum Scoti. Ideò namque judice Scoto ſpecies ſpecialiſſima eſt primò cognitum; quia ejus ſingulare fortiùs movet ſenſum, & illud debet eſſe primò cognitum, quod fortiùs ſenſum movet, cum omnis cognitio noſtra ortum habeat à ſenſu; ſed ſic eſt, quòd ens fortiùs movet ſenſum: ergo ens erit primò cognitum. Prob. min. illud fortiùs movet, quod in majori diſtantia movet; ſed ens in majori diſtantia movet ſenſum: ergo &c. Maj. eſt perſpicua, quemadmodum ignis fortiùs calefacit, qui in majori diſtantia calefacit. Min. quoque nitet. Siquidem dum quidquam à longè intuemur, deprehendimus, eſſe ens, ſive aliquid, abſque eò, quòd deprehendamus, num ſpecies ſit, vel individuum.

Hæc tamen ratiocinatio ſic poſita, ut conſpiciemus n. 7. ad 4. arg. haud idonea eſt, quia nequit ſenſus moveri ab ente, ſed ab aliquo, quod ſit ejus ratio formalis, V. G. viſus à colore, auditus à ſono, &c.

Poteſt nihilominùs hac via oſtendi inſufficientia rationis Scoti, quia nempe inde ſequitur, quòd non ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ (ut ipſe vult) ſed ſubalternæ, ſit primò cognitum, quia fortiùs iſtud movet, eò quòd in majori diſtantia movet. Quandoquidem viſus interdum attingens aliquod à longè non percipit cujus verè coloris ſit, nam rubri, an verò cinericei, aut &c. Idem dic de olfactu percipiente odorem à longe, de auditu, &c.

Nonnulla alia indigitabo §. 3. num. 6. De quibus interim lege Cav. lib. 3. de Anima tract. 2. diſp 4. q. 1. §. 1. à fol. 117.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

4. ARg. 1. Primò cognitum cognitione confuſa eſt quid habens partes; ſed conceptus entis non includit partes componentes, benè verò ſpecies: ergo &c. Maj. prænitet ex definitione cognitionis confuſæ, quæ definitus, quod ea ſit, qua cognoſcitur totum non cognitis partibus. Min. eſt conformis Thomiſticis principiis de intima entis tranſcendentia, qua ens format ſimpliciſſimum conceptum per excluſionem etiam metaphyſicæ compoſitionis, licèt non per excluſionem diverſitatis.

Reſp. diſt. maj. eſt quid habens partes reales formales, & phyſicas realiter phyſicè componentes, nego, virtuales duntaxat, virtualiter componentes, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq.

Contra. Nos ibidem denegavimus enti etiam virtualem compoſitionem, & per rationem: ergo &c.

Reſp diſt. ant. denegavimus compoſitionem metaphyſicam, & quo ad implicitum, concedo, dialecticam, & purè quò ad explicitum, nego ant. & conſeq.

Contra. Conceptus entis ut ſic, in quo cuncta implicitè includuntur, eſt conceptus entis ut ſic, & in communi abſtractivè inſpecti; ſed id, quod nos ponimus pro primo cognito non eſt ens hoc modo: ergo &c. Prob. min. Prima cognitio eſt intuitiva; ſed cognitio intuitiva non fertur ad res abſtractas, ſecùs foret abſtractiva: ergo &c. Maj. eluceſcit, quia cùm omnis cognitio noſtra ortum habeat à ſenſu, prima cognitio debet ab actu ſenſus proximè occaſionem ſumere, ſicque eſſe intuitiva, cùm ſenſus non ſit abſtractivus. Eò vel maximè quòd abſtractio cùm ſit ſecunda intentio Intellectus debet præſupponere primam ejuſdem Intellectus intentionem, adeoque cognitio abſtractiva nequit eſſe prima cognitio.

Reſp. 1. nego min. Ad prob. dicatur, quòd licèt abſtractio comparativa, vel abſoluta poſitiva nequeat eſſe intuitiva; benè tamen abſtractio purè negativa; quia poteſt competere etiam ſenſui, & voluntati, ut dicetur infra ad ſecundam inſt. faciendam contra reſponſum dandum ad 2. arg.

Ad aliam prob. Reſp. eodem modo, quòd licèt abſtractio poſitiva ſit ſecunda intentio, non tamen abſtractio purè negativa, quia eſt circa aliquod habens eſſe reale, non quidem phyſicum, ſed intentionale.

Reſp. 2. nego iterum min. Ad prob. nego maj. cujus ad prob. dico, ab actu intuitivo ſenſus occaſionem præberi cognitioni abſtractivæ Intellectus, quatenus media ſpecie ſenſibili Intellectus agens alium efficit ſpeciem à ſingularibus abſtractam. Ea propter pro hoc ſtatu nulla eſt intellectus cognitio intuitiva ſaltem directè, ut ſcripſimus prægreſſo art. ſub num. 6. ad 1.

5. Arg. 2. Cognitio confuſa incipit à toto, non verò à partibus incluſis in illo; ſed gradus entis, ſicut & reliqui ſuperiores ad gradum ſpecificum, ſunt partes actu componentes ipſam ſpeciem ſpecialiſſimam: ergo &c.

Reſp. per dicta num 3. in fine ejuſdem numeri 3. diſt. maj. via reſolutiva, concedo, via compoſitiva nego maj. (loquendo de via compoſitiva in cognoſcendo, non in eſſendo) & conceſſa min. nego conſeq. Vid. quod ibi adverſus Maſtrium dictum eſt, atque hic in integrum redintegretur.

Contra. Etiam via compoſitiva debet incipere à toto ſpeciei: ergo &c. Prob. ant. Per nos hujuſcemodi cognitio debet incipere à magis confuſis; ſed confuſius eſt totum ſpeciei ſpecialiſſimæ: ergo &c. Prob. min. Quantò minùs quidpiam eſt univerſale eò eſt magis confuſum; ſed totum ſpeciei eſt minùs univerſale: ergo &c Prob maj. Illud eſt magis confuſum, quod plura in ſe continet, quia ubi major multitudo, ibi major confuſio; ſed totum ſpeciei plura in ſe continet: ergo &c. Min. eſt patens. Continet enim in ſe cunctos gradus ſuperiores, etiam ipſum ens.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego min. cujus ad prob diſt. maj. quantò minus aliquid eſt univerſale tum in prædicando, tùm in continendo, concedo, quantò minus eſt univerſale in continendo, & magis univerſale in prædicando, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Vid. n. 3.

6. Arg. 3. Intellectus in primo inſtanti debet elicere actum cognitionis perfectiſſimæ; ſed perfectior eſt cognitio ſpeciei ſpecialiſſimæ: ergo &c Min. pateſcit, quia, ut nos dicimus, eſt cognitio magis diſtincta, & rei magis determinatæ. Prob. maj. Intellectus in primo inſtanti eſt agens naturale non impeditum; ſed iſtud, niſi adſit indiſpoſitio ex parte paſſi, exit in actum, & effectum perfectiſſimum: ergo &c. Prob min. 1. Agens naturale non impeditum agit ſecundùm totam ſui virtutem, & conatum. 2. Sol, qui eſt agens naturale non impeditum, ſi cuipiam applicetur paſſo, producit in eo perfectiorem, quam poteſt lucem. 3. Intellectus antequam cognoſcat concluſionem cognoſcit principia, & tamen principiorum cognitio perfectior eſt. 4. Voluntas priùs exorditur à volitione finis, quàm à volitione mediorum. Denique in generatione pars, quæ priùs producitur eſt cor, quod inter alias perfectiſſimum eſt: ergo &c.

Reſp. nego maj. quam vel Adverſarius ipſe negare tenetur, ſecùs Intellectus in primo inſtanti teneretur elicere cognitionem diſtinctam, & non confuſaneam, ſpeciei determinatæ, & non tantùm vagè. Quod devorare nec adverſarius audet. Ad prob. data maj. diſt. min. quem poteſt eo pro ſtatu, in quo eſt concedo, quem poteſt pro omni ſtatu, nego min. Tunc autem non habet niſi debiliſſimam

vim, ſecundùm quam conetur exeundo de potentia ad actum. Per quod habes ad p. prob. Vide num. 2.

Ad 2. Reſp. quòd cùm dicitur, agens de potentia procedens ad actum debere in primo inſtanti exire in actum imperfectiſſimum, ſermo eſt valde agente, in cujus effectus productione intervenit aliqua potentia, quæ aliquam ab extrinſeco recipit formam non ab intrinſecis ipſius potentiæ dimanantem, ut in generatione viventis, ubi materia ſic ſe habet ad formam, à qua proinde ordine quodam prioritatis *à quo* actuatur priùs ſecundùm gradus univerſaliores. Vel ipſummet agens ut agat aliquam recipit formam ab extrinſeco, ut contingit in Intellectu, qui ab objecto recipit ſpeciem, quæ in aliquo inſtanti *à quo* ut repræſentativa priùs ſecundùm gradum entis, quàm ſecundùm alios gradus actuat. In iſtis ſiquidem potentia, cùm ab extrinſeco perficiatur, non adeo promptè, ac faciliter exit in actum. Non autem de illis ſermo eſt agentibus, quæ vel nullam recipiunt formam; vel ſi eam recipiunt, eſtò aliqualiter ab extrinſeco, nimirum à generante eam recipiant; non tamen penitùs ab extrinſeco, ſed per modum proprietatis ab ejus dimanat natura; quia in his faciliùs, ac prompriùs natura perficitur. Undè formæ ſic dimanantes nec creatæ, nec eductæ dicuntur, ſed vel coeductæ, ſi forma ſubſtantialis eſt educta, vel concreatæ, ſi forma ſubſtantialis eſt creata. Hujus ſecundi generis eſt Sol, à cujus natura uti proprietas dimanat lux.

Contra 1. Intellectus dum in primum exit intellectionis actum jam eſt in actu, ideſt actuatus per ſpeciem: ergo non exit de potentia ad actum.

Secundò. Etiam ſenſus exit ſic de potentia ad actum recipiendo ſpecies ab objecto; ſed ſenſus ultimum attingit ſpeciei ſpecialiſſimæ gradum: ergo & intellectus. Prob. min. Senſus nequit præſcindere ea, quæ ſunt realiter idem, cùm hoc ſit proprium intellectus; ſed gradus ſupremus eſt idem realiter cum ultimo: ergo &c.

Reſp. ad 1. diſt. ant. eſt actuatus gradatim, concedo, ſecùs, nego. Vel aliter diſt. ant. eſt in actu purè actuativo, concedo, operativo, nego. Solutio nitet ex nuper dictis.

Ad 2. nego min. Ad prob. reſpondet nonnemo cum Cav. quòd ſenſus eſtò nequeat præſcindere poſitivè; poteſt tamen præſcindere negativè, nimirum attingendo unum altero non attacto.

Quæ ſolutio tametſi verum contineat, cùm etiam voluntas, quæ nullatenus cognoſcitiva eſt, poſſit eſſe ſic abſtractiva, ut cum in objecto attingit bonum, non attacto vero; Nihilominùs negandum non videtur, quòd ſenſus primò attingat ſingulare, cùm ut perpetuò diximus, ſenſus ſit ſingularium. Item negandum non videtur, ferri ad aliquid in ſpecie ſpecialiſſima, cùm color ſit ejus ratio formalis objectiva. Undè aliter

Reſp. diſt. min. attingit ſpeciem ſpecialiſſimam ſingularitate affectam, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Senſus namque ceu infimo in gradu elicit actum, ut ita dicam, pluſquam imperfectiſſimum, nimirum circa ſingulare.

Contra. Hic adigimur dicere, vel quòd prima cognitio imperfectiſſima non exordiatur ab univerſalioribus, vel quòd agens procedens de potentia ad actum non eliciat actum imperfectiſſimum: ergo &c. Prob. ant. & 1. quòad p. p. Prima ſenſus cognitio eſt imperfectiſſima, nec tamen verſatur circa univerſale: ergo &c. 2. quò ad 2. p. Senſus in primo actu eſt agens procedens de potentia ad actum; & tamen non elicit imperfectiſſimum actum, cùm non circa univerſalia eliciat: ergo &c.

Reſp. nego ant. quòad utramque p. Ad prob. p. p. dico quòd cùm dicimus, cognitionem imperfectiſſimam debere eſſe circa univerſalia, loquimur de cognitione intellectus.

Dices. Ideo cognitio Intellectus debet ab univerſalioribus incipere, quia iſta ſunt imperfectiora, & quia tunc intellectus eſt agens procedens de potentia ad actum; ſed hæ rationes militant etiam, imò potiùs pro ſenſu, ceu imperfectiori: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quò ad p. p. quia univerſaliora ſunt imperfectiora, ſi cætera ſint paria, concedo, ſecùs, nego maj. & conceſſa min. nego conſeq. Quando dicimus, univerſaliora eſſe imperfectiora, comparamus univerſaliora ad minùs univerſalia, non verò ad ſingularia, quæ non ſolùm minùs, ſed nullatenus univerſalitatem obtinent etiam fundamentalem, ut talia. Cujus ſigno eſt, quòd eo ratiocinio ſumus uſi contra Scotum, non verò contra Durandum. Cæterum facta comparatione univerſalioris ad ſingulare, iſtud eſt longè imperfectius, cùm ſit conditionibus materialibus affectum. Undè ejus cognitio, quæ reſpectu ſenſus eſt imperfectiſſima, reſpectu Intellectus eſt nimis imperfecta, cujus proinde directè Intellectus capax non eſt, ceu qui non eſt ſingularium directè, ut prægreſſo art. ſcripſimus.

Dices iterum. Inde ſequeretur, quòd etiam forma V.G. Anima Bovis, cùm & ipſa materialis ſit, deberet priùs dare gradum individualem. Quod eſt contra dicta à nobis num. 2.

Reſp. diſt. ant. Si Forma tribueret ratione ſui gradum individualem, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Gradus namque individualis eſtò proximè profluat à forma, ceu ultima clauſula cæterorum graduum ſuperiorum; tamen forma illum præſtat non omnimode ratione ſui, & omnimodè ex propriis, ſed ratione materiæ tanquam primæ radicis individuationis, cùm & ipſa radicaliter à materia individuetur, ut infra quæſt. 12. dicetur. Idcircò forma præſtat duntaxat ultimatè ipſum individualem gradum, quia priùs præſtat ea, quæ dat ratione ſui, ceu quæ magis intima ſunt, poſtea verò quæ tribuit ratione alterius.

Dices demum. Senſus dum quidpiam à longè attingit, non diſcernit, quodnam ſingulare ſit: ergo ſpeciem, non verò ſingulare attingit.

Reſp. primitèr, quòd multoties nec ſpecies diſcernitur. Præterea, nego ſuppoſitum. Etenim ſenſus nunquam diſcernit, cùm unum ab alio diſcernere ſit judicare, unum non eſſe aliud, nimirum eſſe iſtud, & non eſſe aliud, adeoque diſcretio ſit judicium, & ſenſus judicativus non ſit. Hoc ergo ſenſus duntaxat præſtat, quod ſi in mediocri diſtantia objectum attingit, cùm obtineat ſpeciem non diminutam, ſuppeditat intellectui agenti inſtrumentum, nempe phantaſma, medio quo produci in intellectu poſſibili queat ſpecies diſtinctè objectum repræſentans, licèt indirectè, loquendo de ſingulari. Quandoquidem (ut in 3. de Anima q. 3. art. 2.) cognitio ſingularis, licèt indirecta, ideſt reflexa, tamen diſtincta eſt. Ulteriùs dici poſſet, ideo tunc non diſcernere, quia attingit ſingulare vagè, at non determinatè, ut Scotiſta dicit, attingere ſpeciem vagè.

Ad 3. Prob. min. poſitam in principali arg. omiſſa cujuſdam ſolutione, quæ tametſi verum continet, tamen difficultatem non evacuat.

Reſp. ſicut nuper de Sole, nimirum quòd principia non ſunt ab extrinſeco recepta, ſed habitus principiorum vel eſt inditus à natura, ut plerique Thomiſtarum ſentiunt, vel ſi non eſt inditus ab ipſa natura, tamen non acquiritur noſtris actibus, ſed ad repræſentationem terminorum profluit per modum proprietatis ab Intellectu, ut videre eſt apud D. Th. p. p. q. 79. art. 12. & p. 2. q. 91. art. 3. & 2. 2. q. 8. art. 2. ad 1. & q. 16. de ver. art. 2. Propterea reliqui Thomiſtæ autumant, eſſe ſaltem inchoativè à natura indita. Quod diſputare non eſt præſentis loci. Et legi poſſunt Compl. in Logica diſp. 20. q. 2. Imò loquendo de principiis generaliſſimis (licèt non de propriis cujuslibet ſcientiæ in particulari) fatetur Maſtrius hic in Meth. diſp. 3. q. 3. num. 30. Thomiſtæ autem id dicunt de omnibus, quia omnia ſunt naturali lumine nota, licèt aliqualiter magis illa univerſaliſſima.

Ad 4. habes ex dictis. Non enim Voluntas amando recipit formam aliquam, nec etiam intentionalem, cùm, ad differentiam Intellectus, non trahat ad ſe objectum; ſed trahatur ab objecto.

Ad 5. diſcrimen eſt, quia prioritas illa cordis de materiali, ac per accidens ſe habet reſpectu agentis, & formæ, licèt ſe habeat de per ſe reſpectu aliarum partium, quæ ab illo dependent. Ratio eſt, quia vel loquimur de organizatione prævia, quæ vitalis non eſt. Et iſta nec majorem perfectionem, nec majus efflagitat robur in agente, ac pro aliis expoſcat partibus. Vel loquimur de prioritate *à quo* informationis. Et hoc iterum de materiali, ac per accidens ſe habet reſpectu agentis, & formæ, cùm nil plùs forma faciat informando cor, quàm informando partes, nempè communicare ſeipſam; & agens nihil plùs agat, quam educere, vel unire formam. At ſtando in ordine inter gradus, quo Anima ipſum cor perficit, dicimus, quòd nec cordi tribuit priùs gradus perfectiores, ac ſpecificos, ſed priùs prioritate *à quo* gradus communiores, ac imperfectiores.

8. Arg. 4. Illud univerſale priùs cognoſcitur ab intel-

lectu

lectu cujus ſingulare fortiùs movet ſenſum; ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ fortiùs movet ſenſum: ergo &c. Præmiſſæ probantur. Et primò Maj. Illud eſt priùs cognitum, quod priùs movet ſenſum; ſed illud priùs movet, quod fortiùs movet. ergo &c. Maj. ex eo innoteſcit, quod omnis noſtra cognitio pro hoc ſtatu ortum habet à ſenſu. Min. etiam ex eo, quod fortius eſt aptius, & promptius.

Præterea prob. prima min. 1. Singulare inquantum ſingulare movet ſenſum; ergo magis ſingulare magis movet; ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt magis ſingulare, cùm ſit magis determinatum, ceu determinatum determinatione non ſolùm ſingularitatis, verùm etiam gradus naturæ, non ulteriùs determinabilis; ergo &c.

Secundò. Illud ſingulare fortiùs movet, quod eſt actualius, ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt actualius, cùm addat actualitatem, & determinationem ad alia ſingularia graduum ſuperiorum: ergo &c.

Conf. ex Maſtrio. Cùm qui ſentit, ſe aduri ab igne fugit ab igne, non quia ens ſit, ſed quia tale ens eſt, quia ignis eſt: ergo &c.

Reſp. ad arg. primodùm, maj. eſſe veram, ſi illud, cujus ſingulare fortiùs movet ſenſum, ſit proportionatum intellectui procedenti de potentia ad actum. Vide num. 2. Præterea inſtando ut ſupra num. 3. Ulteriùs alii reponunt negando min. Ad 1. prob. dicunt ly *inquantum* reduplicare conditionem, non verò rationem formalem. Ad 2. dicunt, eſſe actualius per excluſionem potentialitatis metaphyſicæ, at non per excluſionem materiæ. Alia ſolutio in Blaſio.

Ad Conf. jam habes ea dictis num. 2. quòd breviſſimis, imperceptibilibuſque motulis Intellectus in uno, eodemque inſtanti *in quo* quadam duntaxat cum prioritate *à quo* percurrit à ſupremo adusque ultimum gradum, ſicque perniciſſimè deprehendatur, eſſe ignem, ſecùs Maſtrii exageratio Durando ſuffragaretur, & non Scoto, quia à ſingulari igne aufugit, qui ſentiens, ſe aduri fugam arripit.

Arg. 5. Primò cognitum per nos debet eſſe quid imperfectiſſimum noſtris ſtando placitis; ſed ens eſt quid, perfectiſſimum: ergo &c. Prob. min. Ens eſt Metaphyſicæ objectum; ſed hoc debet eſſe perfectiſſimum, eo quod Meth. cæteris præſtantior eſt ſcientiis: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. ens abſtractum abſtractione formali, & poſitiva à materia, concedo, abſtractione potentiali ſaltem quò ad explicitum, quo pacto eſt primò cognitum, nego.

ARTICULUS TERTIUS.

Num primò cognitum ſit ens in tota ſui latitudine.

Controverſia iſta reſoluta eſt lib. 3. de Anima q. 2. art. primo, ubi ſtabilimus, eſſe ens repertum in quidditate ſenſibili. Illò adeas.

QUÆSTIO TERTIA

De Ente eſſentiali.

Nomine entis eſſentialis venit eſſentia. Quid autem veniat nomine eſſentiæ dictum eſt 1. Phyſ. q. 6. art. 2. num. 1. nimirum id, quo res conſtituitur in ſpecie determinata.

ARTICULUS UNICUS.

Num verum eſſentiæ ſint ab æterno quid actuale poſitivum præter Deum.

§. I.

1. Recolo, quod ex D. Th. & Cajet. cap. 4. de ente & eſſentia ſcripſi in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 2. in 3. Not. §. 1. de triplici ſtatu, in quo conſiderari natura poteſt. Et quòd natura in ſtatu abſtractionis ſecundùm ſe conſiderata licèt non ſit ens rationis, ſolumque ſtatum rationis habeat, ſed ſit quid reale; tamen hoc eſſe reale non eſt eſſe naturale, ideſt in eſſe naturali, ſed duntaxat intentionali, & repræſentato per ſpeciem.

2. Hac in re quinque videntur haberi placita, quæ tamen redigi ad tria poſſunt.

Primum eſt Scoti, qui in 1. ſent. diſt. 35. & 36. & 43. §. *aliter dico* docet, eſſentias equidem antequam in tempore producantur nullum habere eſſe reale, ſive eſſentiæ, ſive exiſtentiæ, ſed tamen ab æterno produci à Deo ſecundùm eſſe diminutum, ideſt ſecundùm eſſe cognitum. Quam productionem fieri dicit media Divina cognitione; & in hoc eſſe diminuto, ſcilicet cognito, ſcribit, ſitam eſſe primam poſſibilitatem rerum. Scoto adſtipulantur Scotiſtæ, uno dempto, nimirum Pontio in curſu Philoſophico diſp. 69. Ubi eſtò concedat eſſentiis ab æterno aliquod eſſe diminutum medium inter reale, & rationis conveniens illis ab extrinſeco; negat tamen, id eſſe efficienter à Divina intellectione cauſatum. Et hoc in ſenſu ſuum nititur interpretari Gymnaſiarcham, haud tamen feliciter ut oſtendit Godoy p. p. diſp. 26. præcipuè à n. 38. ad 57.

Secundùm eſt, quòd licèt eſſe poſſibilium ſit nihil in actu prout nihil opponitur actualitati exiſtentiæ, ideſt entis participialiter ſimpliciter; eſt tamen actu verum ens reale ſignatè, & purè nominaliter ſumptum, & in pura potentia ad eſſe exercitè; quod nonnulli vocitant eſſe metaphyſicum, & menſuratum æternitate negativè duntaxat, non verò poſitivè. Pro iſto citantur Cajet. Nazar. Capr. probabiliter, Martinez, Marletta, & alii, quibus adſtipulatur Aug. de rubeis ſuo in autographo, eiſque favet Godoy tom. 1. in p. p. tract. 3. diſp. 25. §. 4.

Ad hoc accedit aliud, quod poſſet dici tertium placitum quorundam, qui haud ſatis ſe produnt, num loquantur de eſſe phyſico, vel metaphyſico, &c. Hos inter ſtat Henricus quodl. 8. q. 1. & 9. Ægidius opuſc. de ente, & eſſentia, & Albertinus Jeſuita diſp. 1. q. 1. Quod placitum hærendo Exterorum veſtigiis non parùm periculoſum videtur in fide. Quandoquidem cum ipſi ponant, eſſentiam realiter ab exiſtentia indiſtinctam, ſi ſentiunt, eſſentias eſſe ab æterno, adiguntur fateri, quod exiſtant ab æterno. Eapropter Albertinus (ut fert Zuchi hic q. 12. art. 1. num. 5.) paulò ante quam Animam creatori redderet, ſuam opinionem, ceu pietati diſſonam, è ſuis ſcriptis expungi rogavit.

Tertium abnuit, eſſe ab æterno quid reale ſive eſſentiale, ſive exiſtentiale. Sic abnuit Sonc. lib. 9. Meth. art. 4. Banez p. p. q. 10. art. 3. conc. 1. Zumel ibidem concl. 3. Cipp. 3. p. q. 17. Jo: à S. Th. p. p. q. 44. diſp. 18. art. 4. n. 13. Et explicatiùs diſp. 2. ejuſdem tom. 2. art. 1. de potentia Dei concl. unica in fine, Maſius de tranſce. Compl. diſp. 3. Log. num. 4. Brunus in Meth. q. 10. art. 2. Zuchi hic q. 12. art. 1. Cav. in tract. de mundo diſp. 2. q. 1. §. 3. Præ cæteris autem Ferre p. p. q. 10. ad art. 3. tr. 2. q. 8. §. 8. addens, hoc placitum eſſe commune Thomiſtarum. Imò Capr. tandem ut ſecurius amplectitur. Ex Exteris autem Averſa, Suar. Hurt. Fonſeca, Arriaga, & alii apud Brunum.

Huic affine eſt aliud, quod poſſet dici quintum Patris Ortiz in Phyſicis tract. 2. controv. 1. Scribens, eſſentias ab æterno non habere eſſe niſi objectivum. Intellige vel de eſſe objectivo in mente Divina, vel de eſſe objectivo in intellectu noſtro, quatenus nos eas ad modum entis cujuſdam poſitivi actualis ab æterno concipimus eſſe, nobiſque objiciuntur ut ens quoddam poſitivum actuale ab æterno.

§. II.

§ II.

CONCLUSIO.

Eſſentiæ rerum ab æterno in ſeipſis nihil ſunt, nullumque habent eſſe reale actuale poſitivum etiam actualitate ſolius eſſentiæ præter Deum.

3. QUantùm ad primum placitum, quod eſt Scoti non eſt cur multum fatigemur; quoniam ſponte ſua labaſcit. Quandoquidem iſtud eſſe diminutum vel eſt ens rationis. Et hoc non, Tum quia conſpeximus in Logica, non eſſe factibile à Deo; & ipſemet Scotiſta nonniſi per diſſenſum retur poſſe à Deo fieri ens rationis. Tum quia quemadmodum entis rationis poſſibilitas eſt ens rationis, ita entis realis poſſibilitas debet quid reale eſſe. Quod ſi dicat, entis rationis poſſibilitatem eſſe quid reale, multo magis entis realis poſſibilitas quid reale erit. Vel (ut Pontius autumat) eſt quid medium inter ens reale, & rationis. Et hoc itidem falſum extat, Tum quia iſtud ens medium inter reale, & non reale eſt chimæra, non ſecùs, ac ſi confingas ens medium inter finitum, & infinitum, quod nec finitum, nec infinitum ſit; medium inter poſſibile, & impoſſibile, quod nec poſſibile ſimpliciter, nec impoſſibile ſit. Tum quia res, quæ poſſibiles ſunt, ſi producerentur, forent quid reale ſimpliciter, non verò medium inter reale, & rationis: ergo earum poſſibilitas debet eſſe realis ſimpliciter, & non quid medium. Prob. conſeq. Si dum producerentur forent quid medium inter reale, & rationis, earum quoque poſſibilitas foret ſaltem quid medium inter reale, & rationis, ut ſecernatur ab entis rationis poſſibilitate: ergo pariter ſi res poſſibiles, quæ producuntur, ſunt quid reale, &c. Præterea quemadmodum entis rationis poſſibilitas eſt ens rationis; ergo pariter entis realis poſſibilitas debet eſſe quid reale.

Vel demum eſt quid reale ſimpliciter. Et tunc peto, vel eſt quid reale etiam exiſtentiæ? Et hoc eſt contra fidem. Vel eſſentiæ duntaxat? Et hoc refutabimus num. ſequenti 4. Eò vel maximè, quòd efficientia, & productio ad exiſtentiam terminatur.

Inſuper Scoti placitum refellitur ſic. Si creaturarum poſſibilitas foret quid à divina intellectione productum, licèt diminutum, &c. deberet ſupponere ante ſe aliud eſſe diminutum productum per aliam divinam intellectionem; ſed hoc non extat: ergo &c. Min. nulli eſt obnoxia dubio, Tum quia Scotus non admittit, niſi duo inſtantia naturæ; unum, in quo Deus priùs cognoſcit ſeipſum, aliud verò in quo dignoſcit res poſſibiles, quibus talem per cognitionem dat illud eſſe diminutum, ideſt illam poſſibilitatem. Tum quia ſecùs daretur proceſſus in infinitum. Maj prob. Illud eſſe diminutum productum per divinam cognitionem ſanè fuit aliquid poſſibile: ergo ejus poſſibilitas debet in aliquo eſſe ſita, nimirum in alio eſſe diminuto. Conſeq. eſt exacta, quia non minùs illud eſſe diminutum, quàm alia entia eſt quid poſſibile Ant. prob. Tum quia non eſt quid impoſſibile, cùm reapſe, Judice Scoto, producatur. Tum à pari. Quod in eſſe ſimpliciter producitur, fuit ſimpliciter poſſibile, imò & futurum: ergo pariter quod ſecundùm eſſe diminutum producitur, fuit poſſibile, imò & futurum diminutè ſaltem.

Aliæ contra Scotum ratiocinationes legi poſſunt apud Godny p p. diſp 26 ſ. 5. à num. 38. ad 57. & apud Cav. in tract. 1 de mundo diſp 2 q. 1. ſ. 2.

4. Prob modò directè concluſio ſecundum refutando placitum. Si rerum eſſentiæ forent quid poſitivum ab æterno, jam forent eſſentialiter ab æterno; ſed hoc impoſſibilitatem redolet: ergo non ſunt quid actuale, poſitivum ab æterno. Maj. eſt perſpicua, Tum quia ſunt quid eſſentiale, non verò accidentale ab æterno, judice adverſario. Tum quia non poſſunt non eſſe. Tum quia ſi forent quò ad exiſtentiam forent exiſtentialiter: ergo pariter ſi &c. Min. prob ſi forent eſſentialiter ab æterno, jam hoc, quod eſt eſſe ab æterno foret prædicatum eſſentiale earum; ſed hoc falſitate laborat: ergo &c. Prænitet maj. Non enim foret prædicatum accidentale. Prob. min. Prædicata eſſentialia ſunt prædicata conſtitutiva; ſed nullius rei poſſibilis conſtitutivum ſive genericum, ſive ſpecificum eſt hoc, quod eſt eſſe ab æterno, ut palam eſt diſcurrendo per ſingulas; ergo &c.

Reſpondes 1. hoc exagitare etiam nos, qui ponimus, eſſentias eſſe ab æterno in cauſa, licèt non in ſeipſis. Etiam namque in cauſa ſunt eſſentialiter, & non accidentaliter. Sed

Contra. Siquidem iſta eſt eſſentialitas continentiæ, non verò conſtitutionis. Cùm autem Adverſarius nequeat excogitare, quænam eſſentialitas ſit, præter eſſentialitatem conſtitutionis, adigitur fateri, quòd foret prædicatum eſſentiale.

Reſpondes 2. eſſe eſſentialitatem connexionis, quatenus eſſentialiter cum divina connectuntur omnipotentia. Sed

Contra. Judice Adverſario poſſibilia, habent ſaltem in aliquo priori *à quo* anteire divinam omnipotentiam, quoniam dicit, quòd ideo divina omnipotentia poteſt producere res, quia illæ ſunt poſſibiles; & eatenus nequit producere chimæram, quatenus iſta eſt impoſſibilis, ut conſpiciemus num. 9. ergo non eſt eſſentialitas connexionis cum omnipotentia.

Reſpondes 3. quòd hoc, quod eſt eſſe ab æterno eſtò non ſit conſtitutivum cujuſpiam rei poſſibilis in peculiari ratione; eſt tamen conſtitutivum uniuſcujuſque, & omnium ſimul in ratione communi poſſibilis, ut diſtinctivum ab impoſſibili, quod impoſſibile eſt quid negativum, ac non poſitivum præter Deum ab æterno. Sed

Contra 1. Idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum; ſed hoc, quod eſt eſſe ab æterno quid poſitivum non eſt diſtinctivum poſſibilis: ergo &c. Prob. min. Nec eſt diſtinctivum, quia ſit quid poſitivum, cùm eſſe quid poſitivum rebus quoque competat exiſtentibus, imò & ipſi Deo, qui nuſquam fuit in ſtatu poſſibilitatis. Nec quia ſint ab æterno, quia etiam impoſſibile, puta chimæra ab æterno impoſſibilitate laborat.

Secundò. Si res poſſibilis conſtitueretur per hoc, quod eſt eſſe ab æterno quid poſitivum, ſequeretur, quod etiam res impoſſibilis conſtitueretur per hoc, quod eſt eſſe ab æterno quid non poſitivum; ſed hoc falſum convincitur: ergo &c. Nitet maj tum ex data ſolutione, Tum ex eo, quod oppoſitorum debet oppoſita eſſe ratio. Min. prob. Etiam negationes, & privationes complures ſunt ſuo modò poſſibiles ab æterno; & tamen ſunt quid non poſitivum: ergo &c.

Et hæc poteſt alia potiſſima eſſe ratiocinatio pro concl. noſtra, quoniam Adverſarii volunt, rerum poſſibilitatem ſitam eſſe illo in ente poſitivo ab æterno.

5. Prob. præterea communi ratiocinio, quod ſi conſueta in forma proponatur, haud convincens videtur. Quandoquidem proponi ſic conſuevit. Eſſentiæ ab æterno non ſunt à ſe, ideſt non ſunt ens increatum, ſecùs forent Deus; nec ens ab alio, hoc eſt creatum, quoniam habemus ex Geneſis 1. cuncta in tempore fuiſſe creata: ergo &c. Ad quod extemplò adverſæ doctrinæ vindex reſpondet, nec quid creatum, nec quid increatum eſſe poſitivè, quia eſſe creatum, vel increatum, ſunt differentiæ entis participialis, & exercitè, cùm actio creativa terminetur ad exiſtentiam. Eapropter aliter

Hæc eadem ſic formatur ratio: Si ſunt quid determinatum poſitivum ſignatè, debent poſitivè determinatè dependere à Deo ſignatè, ut primum præoccupetur effugium; ſed non ſic dependent: ergo &c.

Præmiſſæ ſunt probandæ. Prob. Maj. Quemadmodum ſe habet participiale, ſive exercitum ad participialiter, ſive exercitè, ita ſignatum, ſive nominale, ac ſignatè, ad ſignatè, ſive nominaliter; ſed quodcunque ens poſitivum participiale, ſive exercitum, dependet determinatè à Deo poſitivè participialiter: ergo pariter, &c. Non enim per ly *nominaliter* aut *nominale* intelligitur purum nomen, ſecùs nomen rei, & non res, foret ab æterno.

Præterea prob. prima min. Dependentia ſignata nil aliud eſt, quàm eſſentia dependentiæ, non ſecùs, ac Homo ſignatè nil aliud eſt, niſi Hominis eſſentia; ſed eſſentia dependentiæ ut ſic præſcindit ab hac vel illa re, ſive ab hoc, vel illo dependibili, eſtque ab omnibus contrahibilis: ergo non facit, quod dicatur *determinatè* poſitivè determinata ſpecies eſſentiæ, puta humana, Leonina, &c.

Conf. Dependentiæ eſſentia (quæ eſt dependentia ſignatè) nequit contrahi ab eſſentia humana, niſi per exiſtentiam: ergo antequam exiſtat non dicetur dependere poſitivè à Deo etiam ſignatè. Prob. ant. Nequit contrahi ab eſſentia humana, per differentiam aliquam eſſentiæ Hominis; quod perſpectum eſt à ſufficienti diviſione, Tum

quia

quia rationalitas eſt contractiva rationalitatis, non dependentiæ; animalitas eſt contractiva viventis; vivens eſt contractivum ſubſtantiæ, &c. Tum quia animal non eſt proprium Hominis, ſicut nec vivens, &c. benè verò commune: ergo reliquum eſt, quòd ſolam per ſuam ſpecificam exiſtentiam eſſentia Hominis poſſit eſſe contractiva dependentiæ.

Reſpondes, quòd pendent à Deo, non in genere cauſæ efficientis (hoc enim proprium eſt ſolius entis participialis, quia actio effectiva terminatur ad rei exiſtentiam) ſed in genere cauſæ idealis, & exemplaris.

Contra hoc, quod eſt ſecundum effugium inſto 1. Deberent dependere à Deo etiam in genere cauſæ efficientis ſaltem ſignatè: ergo &c. Prob. ant. Quemadmodum ſe habet participiale ſive exercitè ad participiale, ſive exercitè, ita ſignatè ad ſignatè; ſed omne ens participiale, & exercitum dependet effectivè à Deo participialiter, ſive exercitè: ergo pariter, &c. Licèt enim dependere in genere cauſæ efficientis exercitè ſit proprium ſolius entis participialis, non tamen dependere in genere cauſæ efficientis duntaxat ſignatè.

Secundò. Idea non cauſat, niſi cum cauſa efficiente, cùm definiatur, *id ad quod reſpiciens artifex operatur*.

Neque dicere juverit, quòd Deus reſpectu poſſibilium eſt idea, & exemplar duntaxat inadæquatè. Sicut namque quod dependet in genere cauſæ idealis adæquatè, dependet ab eo effectivè adæquatè; ita id, quod ab eo pendet in genere cauſæ idealis inadæquatè, debet ab eodem etiam in genere cauſæ efficientis pendere ſaltem inadæquatè. Vid. Zuchi.

His omnibus adde, quòd deberent dependere à Deo etiam exercitè, & non tantùm ſignatè. Quandoquidem illa dependentia eſt exercita, quæ ſuum exercet munus; ſed illa dependentia exerceret ſuum munus: ergo eſſet exercita.

Reſpondebat quidam, quòd exercet ſuum munus ſignatè, non exercitè. Verùm dicere, quod exercet, ſed non exercitè eſt contradictio in terminis, quemadmodum ſi diceres, quòd quis videt, ſed non videnter, ſive viſivè, quod quis audit, ſed non auditivè, &c.

6. Prob. denique communi alia ratiocinatione. Si eſſentiæ forent quid reale poſitivum antequam in tempore producerentur ſequeretur, nullam dari, aut eſſe dabilem creationem, aut annihilationem in tempore; ſed hoc eſt error: ergo &c. Prob maj. Creatio debet fieri ex nihilo ſicut & annihilatio ad nihilum tendere; ſed tunc ita non eſſet: ergo &c. Prob min. Prima ſupponeret illud reale eſſentiæ, & poſt ſecundam remaneret eſſentia: ergo &c.

Conſuetum reſponſum eſt, quod creatio debet eſſe ex nihilo participiali, & annihilatio in nihilum participiale. Sed

Contra. Id, quod creatur, fit, & producitur; ſed ſi eſſentiæ antequam in tempore producerentur forent quid reale poſitivum, non producerentur in tempore, dum in tempore fiunt exiſtentes: ergo nulla unquam extaret creatio. Prob. ant. Ante talem productionem res extarent in ſeipſis quò ad earum eſſentiam, licèt non quò ad earum exiſtentiam: ergo ſolummodo quò ad exiſtentiam, non verò quò ad eſſentiam producerentur.

Reſpondent Adverſarii Noſtrates, quòd eſſentiæ dicuntur produci, quatenus ponuntur ſub exiſtentia. Sed

Contra. Et primitùs quis non videat, quòd hic loquendi modus abutitur terminis vocitando productionem, quod non eſt productio. Siquidem ponere eſſentiam ſub exiſtentiam eſt duntaxat eam transferre de eo ſtatu, in quo non erat ſubſtandi exiſtentiæ. Translatio autem non eſt productio.

Præterea inſto. Etiam exiſtentia cùm & ipſa ſuam obtineat eſſentiam, foret & ipſa quò ad ſuam eſſentiam ab æterno; ſed iſta non poſſet, dum produceretur, poni ſub exiſtentia: ergo iſta nunquam poſſet produci. Prob min. Tum quia exiſtentia producitur duntaxat *ut quo*, ideſt tanquam id, *quo* aliud exiſtit. Tum quia ſecùs foret abire in infinitum. Etiam enim illa exiſtentia, ſub qua produceretur iſta deberet ſub alia poni dum produceretur, & ſic in infinitum: ergo &c.

Et ratio iſta fundatur in D. Th. qui q. 3. de pot. art. 5. cum ſibi objeciſſet arg. quod intendebat probare, quidditatem non eſſe à Deo, & ex eo procedebat, quod quæ à Deo ſunt facta dicuntur eſſe Dei creaturæ; creatio autem terminatur ad eſſe: atque adeo cùm quidditas rei ſit præter eſſe ipſius, videtur, quòd quidditas à Deo non ſit. *Ad ſecundum*, reſpondet, *dicendum, quòd ex hoc ipſo, quòd quidditati eſſe attribuitur, non ſolùm eſſe, ſed & ipſa quidditas creari dicitur, quia antequam eſſe habeat, nihil eſt, niſi fortè in intellectu creantis, ubi non eſt creatura, ſed creatrix eſſentia.* Ille.

Nec eſt commento vitiandus textus vim in illis faciendo verbis *quidditati eſſe attribuitur*, quaſi quòd S. D. velit, ſatis eſſe, quòd eſſentiæ attribuatur eſſe, ideſt exiſtentia, nimirum quòd eſſentia ponatur ſub exiſtentia. Et quòd quando ſubjicit, *nihil ſunt*, *niſi* &c. loquatur de nihilo participiali exiſtentiæ.

Non, inquam. Siquidem cùm arg. loquatur de eſſe eſſentiæ, jam S. Th. inconſequenter loqueretur concludendo, eſſe nihil duntaxat exiſtentiæ. Expendè attentè cuncta Angelici verba.

Rationem aliam vide infra num. 8. in fine.

7. Tandem ut ingenuè dicam, quid de oppoſita ſententia inſedeat animo. Dico quòd quamquam non improbabilem eam ducam; tamen videtur Platonizare, ac ſententiam innovare Platonis de Ideis ſeparatis; ita ut de illis, non ſecùs, ac de Platonicis ideis cum Ariſt. dicere liceat: *gaudeant genera, & ſpecies: monſtra enim ſunt.*

§. III.

Adverſantium argumenta ſolvantur.

8. PRo Scoti placito nullum extat alicujus ponderis arg. Ideo hoc miſſo.

Arg. 1. Propoſitio iſta V. G. *Homo eſt animal rationale, numerus eſt par, vel impar*, &c. eſt vera ab æterno; ſed vera ab æterno illa non foret, niſi ab æterno daretur eſſentia Hominis, numerari, &c. ab æterno: ergo cùm aliàs eſſentia ſit quid poſitivum reale, jam &c. Maj. ex eo micat, quòd de illis ſunt ſcientiæ. Min. prob Ex eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa: ergo niſi &c.

Conſ. Propoſitio iſta *Homo eſt animal rationale* eſt diverſa ab iſta *Homo poteſt eſſe animal rationale*; ſed in hac ſecunda enunciatur prædicatum conveniens poſſibiliter: ergo & in prima prædicatum conveniens actu.

Urg. Præfata objecta, eſtò ſolùm poſſibilia, cognoſcuntur à Deo, & quidem in ſeipſis, quia (ut Noſtrates in tract. de Scientia Dei ſcribunt) Deus Scientia ſimplicis intelligentiæ cognoſcit poſſibilia in ſeipſis: ergo ſunt aliquid in ſeipſis præter Deum, ſecùs objectum talis Divinæ cognitionis foret nihil, ſicque Deus nihil poſſibilium cognoſceret in ſeipſis.

Reſp. (miſſis nonnullis aliis reſponſis, quæ non faciunt ſatis) ſolutione, quæ potiſſima mihi videtur, eſtò non paucis appareat præ cæteris infirma, diſt. maj. eſt vera ab æterno conditionatè, concedo, abſolutè, nego maj. ac diſtincta min. nego conſeq. Propoſitiones ſiquidem illæ eſtò ex modo, & uſu loquendi abſolutè proferantur; ſunt tamen conditionatæ, & hunc obtinent ſenſum *ſi Homo exiſtit eſt animal rationale*, ſeu *Homo exiſtens eſt animal rationale*: Item *numerus ſi exiſtat eſt par, vel impar*. Nec novus eſt modus loquendi abſolutè etiam in conditionalibus. Sicut V. G cum dicitur, quòd Jo: Apoſt. ſemper hortabatur ad mutuam dilectionem, fit ſermo abſolutè; & tamen exploratum eſt, eſſe implicitè conditionatum. Intelligitur enim ſi loquebatur, ſive quando loquebatur, ſeu quoties loquebatur.

Contra exurgunt, non modò Adverſarii, verùm etiam noſtræ opinionis fautores multiformiter hoc improbantes reſponſum. Et

Primò. Juxta hoc reſponſum nulla propoſitio cathegorica foret neceſſaria, & nonniſi propoſitiones hypotheticæ, vel quæ ad hypotheticum rediguntur ſenſum, forent neceſſariæ; ſed hoc defenſari minimè poteſt: ergo &c. Maj. eſt conſpicua. Min evincitur ex Summulis, ubi omni præciſa ſuppoſitione percenſentur propoſitiones aliæ neceſſariæ, aliæ contingentes.

Secundò. Sequitur, quòd etiam hæc propoſitio *Homo eſt exiſtens* ſit neceſſaria, quia in ſuppoſitione, quòd exiſtat, in ſenſu compoſito exiſtentiæ neceſſariò exiſtit.

Tertiò. Refutatur reſponſum hoc, ponens, quòd propoſitio iſta *Homo eſt animal rationale* æquivaleat huic *Homo exiſtens eſt animal rationale*. Quandoquidem hoc ad-

dito hæc propoſitio ***Homo eſt animal rationale*** foret abſolutè contingens. Quod prob. Nam propoſitio illa ***Homo exiſtens eſt animal rationale*** habet unum extremum contingens, nempe ly ***exiſtens***; ſed propoſitio habens unum extremum contingens, eſt contingens; ergo &c. Min. nitet hac in propoſitione ***Homo eſt animal album***.

Reſp. ad 1. diſt. maj. nulla propoſitio cathegorica per excluſionem hypotheſis, ſive ſuppoſiti mis generalis, concedo, per excluſionem ſuppoſitionis ſpecialis, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. In quacunque propoſitione ſive neceſſaria, ſive contingenti ſemper aliqua ſub intelligitur ſuppoſitio generaliſſima exiſtentiæ. Hæc autem generaliſſima ſuppoſitio non facit propoſitionem ſpecialiter hypotheticam, nec tollit rationem propoſitionis cathegoricæ ut communiter conſuevit à Dialecticis ſumi; quia talis ſuppoſitio veluti præſuppoſitivè & in omnibus propoſitionibus ſe habet.

Exemplum tene in moralibus. Quodcunque peccatum includit inobedientiam, cùm omne peccatum ſit contra juſſum legis vel naturalis, vel Divinæ, vel Humanæ; & tamen hæc inobedientia non conſtituit ſpecialis ſpeciei inobedientiæ peccatum, adeoque neceſſum non eſt, talem ſpeciem in confeſſione aperire, ſed ſatis foret alias aperire ſpecies, in quibus peccatum ſit, puta furti, vel fidei, vel luxuriæ, vel religionis; niſi foret in legis, vel legislatoris contemptum, quia tunc foret ſpeciale inobedientiæ peccatum. Cujus datur ratio, quoniam ſemper ſupponitur quolibet in peccato generalis illa inobedientia. Ita &c.

Ad 2. diſt. ant. in vi propoſitionis identicæ, concedo, in vi propoſitionis formalis, nego. Illa namque propoſitio ***Homo exiſtens exiſtit*** eſt identica, quia idem eſt, ac ***Homo exiſtens eſt exiſtens***, ſeu ***Homo***, ***qui eſt exiſtens eſt exiſtens***. Ob idque eſt neceſſaria in vi duntaxat propoſitionis identicæ. Aſt propoſitio illa ***Homo eſt animal rationale*** eſt neceſſaria in vi propoſitionis formalis, ut palam eſt.

Ad 3. prob. nego, quòd propoſitio illa ***Homo exiſtens eſt animal rationale*** foret contingens. Ad prob. nego ant. cujus ad prob. nego ſuppoſitum. Supponit namque, quòd in propoſitione illa ***Homo eſt animal album*** ſit unum ſolummodo extremum contingens. Quod tamen falſum deprehendo. Quandoquidem propoſitio illa ſic venit intelligenda ***Homo exiſtens eſt animal album***, ubi duo congrediuntur extrema contingentia, nimirum ly ***exiſtens***, & ly ***album***. Et ſtante vero primo, nempe ſtante Hominis exiſtentia, poteſt falſum haberi ſecundum; quia ſtare optimè poteſt, quòd ſit Homo exiſtens, & quòd albus non ſit. At illa in propoſitione ***Homo exiſtens eſt animal rationale*** datur unum duntaxat extremum contingens, ſcilicet ly ***exiſtens***. Nec dari Homo exiſtens poteſt, qui animal rationale non ſit.

Ad conf. Dico, etiam propoſitionem illam ***Homo poteſt eſſe animal rationale*** ſuam includere conditionalem, nimirum, ***ſi poſſit eſſe exiſtens***.

Ad id, quo urgetur primodùm, nego, quòd Deus ſcientia etiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcat res poſſibiles in ſeipſis extra Divinam eſſentiam. Et Thomiſtæ illi, qui id profitentur, ſunt, qui nobis hic adverſantur.

Præterea cum Zuchi ubi ſupra num 31. dici poteſt, quòd res poſſibiles ut contentæ in Divina eſſentia ut objectum ſecundarium Divinæ intelligentiæ diſtinguuntur virtualiter ab ipſa Divina eſſentia ſecundùm ſe, ut eſt objectum primarium Divinæ intelligentiæ; ſicque dici poteſt, cognoſci in ſeipſis ut objectum ſecundarium ſumpto ly ***in ſeipſis*** virtualiter, at non formaliter, nimirum quatenus virtualiter à Divina diſtinguuntur eſſentia; quia Divina eſſentia ſecundùm ſe diſtinguitur virtualiter à ſeipſa ut continente, & repræſentante res illas poſſibiles.

Imò Thomiſtis magis noſtrum cohæret placitum in tract. de Volunt. Dei, ubi frequentiùs docetur, poſſibiles creaturas non amari à Deo nec ſimplicis complacentiæ amore; quoniam ſi forent poſitivum ens, forent quoque quid bonum, cùm bonitas, ſicut & veritas ſint paſſio entis, Bonum autem eſt amabile.

Nec dicere juveris, adhuc eam locum habere ſcientiam; quia ad hoc ut quidpiam ametur, requiritur, quòd exiſtens bonum ſit; quia voluntas, ad differentiam Intellectus, trahitur ab objecto.

Non, inquam, Tum quia id non valet de Divina voluntate, ſaltem reſpectu boni creati, cùm nequeat ab iſto allici, & attrahi. Tum quia debet aliquod diſcrimen excogitari inter amorem ſimplicis complacentiæ, & amorem efficacem, quemadmodum inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis aſſignatur. Si autem quicunque amor tum ſimplicis complacentiæ, tùm efficax tenderet ad exiſtens bonum, jam nullæ foret differentia; quemadmodum ſi omnis Divina ſcientia foret tantummodo de exiſtentibus, nulla foret differentia inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis.

9. Arg. 2. Eſſentiæ rerum ab æterno ſunt poſſibiles poſſibilitate non ſolùm extrinſeca, & reſpectiva relatè ad Divinam omnipotentiam potentem illas producere, verùm etiam intrinſeca, & abſoluta; ſed hæc poſſibilitas intrinſeca, & abſoluta ſecùm affert perfectionem aliquam actualem præter Deum; ergo &c. Præmiſſæ probationem expectant.

Prob. primitèr Maj. multiformiter. Primò. Si extrinſeca duntaxat poſſibilitate poſſibiles forent, jam poſſibilitas in eis foret denominatio extrinſeca; ſed hoc magis nos exagitat, quia cùm denominatio extrinſeca ſupponat id, quod denominat, jam ſupponerentur res poſſibiles denominabiles: ergo &c.

Secundò. Si extrinſeca tantùm poſſibilitate per ordinem ad Divinam omnipotentiam potentem illas producere, poſſibiles forent, fieret manifeſtus circulus in Divinæ omnipotentiæ manifeſtatione; ſed &c. ergo &c. Sequela prob. Omnipotentia Divina explicatur per hoc, quod omnia poſſit facere poſſibilia; ſed ſi poſſibilia non alio modo dicuntur poſſibilia, niſi per ordinem, &c. nihil aliud eſſet, Deum poſſe omnia poſſibilia, quam Deum poſſe facere omnia, quæ poteſt facere: ergo &c.

Tertiò. Si talem duntaxat extrinſecam poſſibilitatem obtinerent, nulla poſſet dari ratio, cur Deus poſſit producere Hominem, & non chimæram; ſed hoc &c ergo &c. Prob. maj. ſtando pura in extrinſeca poſſibilitate ideo Deus poteſt Hominem, & non chimæram producere, quia Homo, & non chimæra eſt poſſibilis reſpectivè; & ideo Homo, & non chimæra eſt poſſibilis reſpectivè, quia Deus poteſt Hominem, & non chimæram producere; ergo &c.

Quartò. Non ideo chimæra eſt impoſſibilis, quia eam producere Deus non poſſit, benè verò quia ex ſuis intrinſecis fieri repugnat: ergo à pari, &c. Ant. illi innititur regulæ D. Th. p. p. q. 25. art. 3. & alibi non infrequenter, quòd quando oſtendimus, aliquid repugnare, non debemus accedere ad repugnantiam ex parte Divinæ omnipotentiæ, dicendo, quòd facere Deus illud non poteſt, ſed ex parte facti dicendo, fieri illud non poſſe. Conſeq. prob. Quemadmodum affirmatio eſt cauſa affirmationis, ſtando in cauſis formalibus, & adæquatis; ergo ſi &c.

Prob. modo illa prima min. nimirum quòd poſſibilitas intrinſeca, & abſoluta aliquam dicat realem entitatem. Primò. Si poſſibilitas non foret quid reale actu poſitivum, utique quia non eſt, niſi pura non repugnantia ad eſſe; ſed ex hoc non evincitur non eſſe quid actuale poſitivum: ergo. &c. Prob. min. Tum quia non repugnantia ad eſſe quamquam per negationem explicetur, tamen quid poſitivum eſt; quia negatio repugnantiæ eſt negatio negationis, eò quòd repugnantia eſt negatio quædam poſſibilitatis; cùm ergo duæ negationes affirment, jam &c. Tum quia non repugnantia ad eſſe eſt prædicatum contrarium repugnantiæ ad eſſe; ſed repugnantia ad eſſe eſt quid negativum: ergo &c. Conſeq. eſt exacta, quia lex contradictoriorum eſt, quòd unum extremorum ſit poſitivum, & aliud negativum. Prob. Min. Perridiculum eſt concedere alicui repugnanti, puta chimæræ poſitivam entitatem, eamque denegare, eſſentiis poſſibilium. Tum demum quia perſeitas, quæ ponitur pro conſtitutivo ſuppoſiti, eſt quid poſitivum Thomiſticis hærendo veſtigiis, eſtò explicari nequeat; niſi per negationem eſſendi in alio: ergo &c.

Secundò. Poſſibilitas intrinſeca eſt vera potentia intrinſeca, & abſoluta ad eſſe; ſed iſta debet eſſe quid poſitivum: ergo &c. Prob. min. Vera potentia ad actum poſitivum debet eſſe poſitiva, propter principium illud, quòd potentia, & actus debent eſſe in eodem genere; ergo &c.

Tertiò. Si actus eſt poſitivus, potentialitas, quæ eſt potentia ad eſſe debet eſſe quid poſitivum, ut docetur à D. Th. in 1. ſent. diſt. 33. q. 1. art. 1. & c. 1. de ente, & eſſentia, ubi triplex diſtinguitur eſſe, eſſe eſſentiæ præciſè ſecundum ſe, aliud exiſtentiæ, & aliud eſſentiæ ſub exiſtentia; ſed eſſe eſſentiæ

ſecun-

ſecundùm ſe eſt illud idem numero, quod ſub exiſtentia ponitur: ergo cùm eſſe eſſentiæ ſub exiſtentia ſit eſſe reale intrinſecum poſitivum, etiam &c. Min. eſt Philoſophi 4. Meth. tex. 13. & D. Th. quodl. 8. art. 1.

Quartò. Eſſentia rei poſſibilis non eſt terminus contrarius ipſi eſſe, ſecùs nunquam poſſet eſſe: ergo non eſt nihil, quod eſt terminus oppoſitus enti.

Reſp. nego maj. Ad prob. nego ſuppoſitum. Supponit enim, quòd ſi non eſt denominatio intrinſeca, ſit denominatio extrinſeca. Quod tamen eſt falſum. Quandoquidem nec intrinſeca, nec extrinſeca, nullaque denominatio eſt, quia quod non eſt nequit denominari. Idcircò cùm res poſſibiles antequam in tempore producantur, nihil ſiat, nequeunt denominari ulla ſive intrinſeca, ſive extrinſeca denominatione. Espropter tota rei poſſibilitas ſita in eo eſt, quòd in poſitione talis rei nulla interveniret contradictio, ſive ex poſitione talis rei nulla ſequeretur contradictio: Et rei impoſſibilitas in eo ſita eſt, quòd interveniret contradictio in poſitione talis rei, V. G Chimæræ.

Dices. Res poſſibiles denominantur, ſive vocantur poſſibiles: ergo eis aliqua vel intrinſeca, vel extrinſeca competit denominatio.

Nec cauſa denominatur poſſibilis produci, ſed potens producere.

Reſp diſt. ant. ex noſtro modo concipiendi, & explicandi, concedo, in re, & ſubjectivè nego ant. & conſeq. Quoniam igitur nos formamus ens rationis dum concipimus, res poſſibiles, eſſe quid poſitivum ab æterno; Idcircò huic enti rationis attribuimus denominationem poſſibilis, quaſi quòd aliquod extet reale hujus denominationis ſubjectum; cùm tamen hujus denominationis rationis ſubjectum non ſit niſi quid rationis accepto fundamento à divina omnipotentia, & ab ipſis rebus, quæ exiſtunt, & priùs fuerant poſſibiles. Re vera enim tunc non extat niſi omnipotentia potens producere.

Non tamen dico, quòd rerum poſſibilitas ſit quid rationis abſolutè, ſed ſolùm ut à nobis tanquam quid poſitivum concipitur ante tempus. Prout verò eſt poſſibilitas eſt quid reale, at hoc non aliud eſt, niſi conditionata cohærentia unius extremi cum alio, ſive prædicati cum ſubjecto, ita ut nulla ſequeretur contradictio, ſi in re poneretur.

Inſt. Ab æterno eſſentiæ ſunt verè abſolutè poſſibiles; ſed ab æterno non datur purgatio hujus conditionis de poſitione eſſentiarum in re, ſive in exiſtere: ergo aliunde, quàm ex non contradictione interveniente in poſitione ad exiſtendum ſumenda rerum poſſibilitas venit.

Reſp. diſt min. & quòd talis non daretur purgatio provenit ex ipſis poſſibilibus, nego, ſecùs, concedo. Talis namque conditio ſe tenet, non ex parte ipſorum poſſibilium, nec ex parte divinæ omnipotentiæ, ſed ſolummodo ex parte libertatis divinæ voluntatis, quatenus ſi Deus ea voluiſſet ab æterno ponere, nulla fuiſſet contradictio, ut 7. Phyſ. probavimus de rebus tum ſucceſſivis, cùm permanentibus. Et licèt de ſucceſſivis nonnulli abnuant; tamen in iſtis contradictio non fuiſſet ex incohærentia prædicati cum ſubjecto, ſed ex defectu alicujus prioris inſtantis *à quo*; Ultraquamquod opinio, quam hic defenſamus non eſt communis Thomiſtarum. Non ergo ſequitur quòd poſſibilia ſint poſſibilia conditionatè, cùm conditio non ſe teneat ex parte poſſibilium.

Dices. Quod nulla ſequatur contradictio eſt ratio duntaxat à poſt. probandi rei poſſibilitatem: ergo non in hoc ſtat poſſibilitas.

Reſp. diſt. ant. ex noſtro intelligendi modo, concedo, in ſe, nego ant. & conſeq. Licèt namque ex noſtro concipiendi ſit ratio duntaxat à poſt. quatenus concipimus poſſibilitatem ut diſtinctam ab hoc, quod eſt, non ſequi contradictionem, ſicut & impoſſibilitatem ut diſtinctam ab hoc, quod eſt, ſequi contradictionem; re vera unum, atque idem ſunt poſſibilitas, & quod non obviet contradictio, &c.

Et per hæc habes ad 1. prob. maj. quia dicimus, nihil tale quid eſſe hujuſcemodi denominationem nec intrinſecè, nec extrinſecè.

Ad 2. quoque, quoniam, non dicimus eſſentiarum poſſibilitatem explicari per ordinem ad divinam omnipotentiam potentem eas producere, ſed per hoc, quod nulla ſit contradictio in earum poſitione in re, & ad exiſtere.

Ad 3. etiam & 4. quoniam Chimæræ impoſſibilitas habetur per hoc, imò ſita eſt in hoc, quod haberetur contradictio in ejus poſitione propter eſſentialem unius cum alio, V.G. Hirci cum Cervo pugnam; non ſecùs, ac Hominis poſſibilitas in hoc ſtat, quod nulla in ejus poſitione contradictio obveniat.

Habes etiam ad 1. prob. min. ubi diſt. maj. eſt pura non repugnantia, quæ detur in ſeipſa antequam res producatur nego, quæ habetur in ipſa rei poſitione, concedo maj. cum min. & nego conſeq. Iſta namque non repugnantia dicit hoc, quòd in rei poſitione nulla ſit pugna, ſeu contradictio.

Habes quoque ad cuncta, quæ in eadem prima ſunt probatione. Concedimus namque, quòd licèt per negationem explicetur, nimirum per negationem contradictionis, ſit tamen quid poſitivum, quod nihilominùs poſitivum non extat antequam res producatur, ſed duntaxat cùm res producitur; quia non eſt aliud, niſi cohærentia unius extremi cum alio pro tunc; non verò connexio aliqua prædicati cum ſubjecto, quæ extet antequam res producatur, ut adverſæ opinionis vindex confingit. Quemadmodum è contra repugnantia, puta Chimæræ, eſt quid negativum, nimirum eſſentialis incohærentia prædicati cum ſubjecto.

Ad 2. item. Siquidem inficiamur, quòd illa poſſibilitas, ideſt non repugnantia, ſit vera potentia poſitiva præcedens. Etenim non aliud eſt, niſi hoc, quod nulla interveniat contradictio in rei poſitione.

Ad 3. quæ poſſet eſſe probatio negatæ maj. diſt. maj. potentia debet eſſe quid poſitivum, quod ſit poſitiva potentia, concedo, quod ſit poſitivè in potentia, nego maj. Ad hoc etenim, ut exiſtentia ſit actus poſitivus, ſat eſt, quòd eſſentia ſit poſitiva potentia, in qua recipiatur exiſtentia, ſine eo, quod ſit priùs in potentia ad illam.

Si autem loquatur arguens de ipſo actu eſſentiæ volens, quòd eſſentia producta ſit actus illius eſſe in potentia, Primitèr dico, argumentum vexare arguentem, quia ſi rei poſſibilitas, ſeu, quod idem eſt, potentia ad eſſe foret ipſa eſſentia ut potens priùs eſſe, ſequeretur, quòd foret actus ſuipſius; quoniam quæ fuiſſet in potentia eſſet illa eadem, quæ poſtea foret actus. Præterea diſt. maj. ſi actus poſitivus ſit poſitivus actus actuans, ut eſt forma reſpectu materiæ, exiſtentia reſpectu eſſentiæ, &c. concedo, ſi ſit actus ſibi tantùm, nego. Eſſentia autem non eſt aliquis actus actuans, ſed dicitur actus, vel quia conſtat ex actu, & non eſt potentia, vel totus actus, ut Angelus, quatenus eſt ens perfectum, & non imperfectum, quale eſt potentia, puta materia.

Ad id, quod ſubditur in min. primitèr nitet ex dictis n. 2. quòd eſſentia ſecundùm ſe non eſt eſſentia extra intellectum. Præterea dico, quòd (ut feſtinè ad conſ. ſequenti arg. dicetur) eſſe eſſentiæ poſſibilis, & eſſentiæ exiſtentis, eſt idem negativè, at non poſitivè. Et ex eo, quod non ſit diverſum, ſolùm ſequitur, eſſe idem negativè; quatenus non eſt poſitivè diverſum. Poſitivè autem nec eſt idem, nec diverſum; quia in ſtatu poſſibilitatis nihil eſt; quod autem nihil eſt nec eſt poſitivè idem, nec poſitivè diverſum eſt, ſed negativè utrumque.

Ad 4. Demum nego, quòd non ſit terminus contrarius ipſi eſſe. Ad prob. concedo, quòd nunquam poſſit eſſe. Dum namque producitur eſſentia non producitur illud, quod priùs erat poſſibile, ideſt in ſtatu poſſibilitatis in ſeipſo, cum prout ſic nihil eſſet, ſed producitur aliquid, quod virtualiter in cauſa continebatur ceu nullam contradictionem involvens.

10. Arg. 3. Eſſentia V. G. Roſæ antequam producatur, & exiſtat, eſt indifferens ad exiſtere, & non exiſtere, produci, & non produci; ſed ſic indifferens non foret, niſi pro illo tunc eſſet aliquid: ergo &c. Min. eſt perſpicua, quia quod non eſt non habet indifferentiam. Maj. verò ſupponitur in via Thomiſtica, cum hac ratione S. Th. 2. contra Gentes cap. 7. ratione 5. & 7. probet, exiſtentiam in creatis realiter ab eſſentia diſtingui.

Conſ. Eſſentia, quæ modò exiſtit, illa eadem eſt, quæ priùs poſſibilis erat; ſed non eadem foret ſi priùs fuiſſet nihil: ergo &c. Maj. prænitet, ſecùs Roſa, quæ modò V. G. naſcitur non eadem foret, quæ priùs poſſibilis erat, ideſt quæ naſci poterat. Min. quoque pateſcit, quia nequit idem eſſe nihil reale, & ens reale.

Reſp. nego maj. Ad prob. nego ſuppoſitum, quod ita

intelligenda ſit D. Th. ratio. Etenim (ut conſpeximus 1. Phyſ. q. 5. art. 1. §. 2. num. 4. præſertim refellendo primum reſponſum datum ad 1. prob. ibi) non fundatur D. Th. ratio in eo, quod eſſentia ſit priùs indifferens ad eſſe, & non eſſe, & quòd poſſit perdurare deſtructo eſſe, ideſt deſtructa exiſtentia. Non, inquam, ſed fundatur in eo, quod eſſentia contingenter exiſtit, permittit, ac indifferenter ſe habet, ut vel conſervetur à Deo in eſſe, vel deſtruatur, & fiat non exiſtens, inquantum à Deo poteſt fieri, quòd non exiſtat. Si enim ſua foret eſſentia non poſſet deſinere eſſe, ideſt exiſtere; quia eſſentialiter exiſteret, non ſolùm reduplicativè inſpecta ut exiſtens, verùm etiam ſpecificativè ſumpta; quia exiſtentia foret ſua eſſentia. Vid. ibi. Ob idque cum hoc ſtat, quòd dum ſit non exiſtens, & deſtruitur res, deſtruatur & eſſentia ejus.

Ad Conſ. jam nuper dictum eſt, eſſe idem negativè, ſumpto ly *negativè* negantes, quatenus non eſt poſitivè diverſum, non verò ſumpto pro indifferenter.

11. Arg. 4. Scientiæ reales non ſunt, niſi de eo, quod eſt intrinſecè ens; ſed ſcientiæ ſunt de rebus ſecundùm ſe ut præſcindentibus ab exiſtentia: ergo &c.

Conſ. In prædicamento non collocantur, niſi entia realia poſitiva (decem namque genera rerum non ſunt entia rationis, aut purum nihil) ſed ponuntur eſſentiæ rerum ſecundùm ſe, ut habet S. Th. quodl. 2. art. 3. ubi inquit, quòd ens ſecundùm quòd ſignificat eſſentiam rei dividitur in decem genera: ergo eſſentiæ rerum ſecundùm ſe ſunt quid reale poſitivum.

Reſp. ad arg. data maj. & min. concedo conſeq. & nego ſuppoſitum ejus. Supponit namque, quòd natura ſecundùm ſe ſit extra intellectum, cujus oppoſitum ſcripſimus num. 1. Nec tamen eſt ens rationis; ſed quid reale, ſolùm tamen intentionale. Lege num. 3.

Dices. Scientiæ ſunt de rebus æternæ veritatis; ſed intellectus humanus non eſt ab æterno: ergo ſcientiæ non ſunt de rebus prout in intellectu.

Reſp. ut ſupra num. 8. quòd ſunt de rebus æternæ veritatis veritate conditionata, nimirum ſub conditione exiſtentiæ.

Contra. Scientiæ præſcindunt ab exiſtentia, cùm tametſi nulla res naturalis, ſeu, quod idem eſt, ſenſibilis exiſteret, adhuc in Angelo V. G. extaret ſcientia de Hominibus, & reliquis ſenſibilibus: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. præſcindunt ab exiſtentia abſoluta, concedo, conditionata, nego ant. & conſeq. Etiamſi nulla ſenſibilis res extaret, adhuc verum infallibiliter foret dicere *natura ſi exiſteret eſſet principium motus, & quietis*.

Nec obeſt, quòd cognitio ſcientifica, ceu abſoluta, debeat eſſe de abſolutis.

Non, inquam, Tum quia exiſtentia illa licèt formaliter ſit conditionata, eſt tamen æquivalenter abſoluta, quia reſpectu ſcientiæ ſe habet perinde, ac ſi abſolutè exiſteret. Tum quia cognitio ſcientifica licèt ſit abſoluta à conditionibus peculiaribus, haud tamen à conditione generaliſſima. Tum quia ut num. 8. conſpeximus, generaliſſima conditio non extrahit à ratione abſoluti. Tum demum quia conditio illa non ſe habet ut ratio formalis, adeoque non adimit ſcientiæ eſſe abſolutum.

Aliæ ſolutiones ſunt, quòd Scientiæ ſint de rebus æternis in ſua prima cauſa. Sed cave, quòd res in cauſa ſunt ipſa cauſa continens: De prima autem cauſa dici cum veritate nequit, quod ſit *principium motus, & quietis*, ſaltem *ejus in quo eſt*, ut definitur natura, &c.

Ad Conſ. nego iterum ſuppoſitum. Supponit namque, quòd natura ſecundum ſe ſit extra intellectum. Nec tamen eſt ens rationis, ſed ſtatum habet rationis, eſtque ens reale, non tamen phyſicum, aut in eſſe naturæ, ſed intentionale, ut num. 1. ſcripſi.

12. Arg. poſtremò ex D. Th. qui quodl. 8. art. 1. interpretans verba quædam Auguſtini lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 7. ad hoc collimantia, ut adſtruant numerum ſenarium ab æterno ſecundùm ſe abſolutè perfectum, inquit, dupliciter conſiderari illa poſſe. Uno modo itaut per ſenarium numerum intelligatur ipſa natura ſenarii abſolutè, cui primò, & per ſe competit perfectio, quæ quidem eſt ratio perfectionis eorum, quæ ſenarium participant, undè remotis omnibus, quæ ſenario perficiuntur, adhuc perfectio naturæ ſenarii competit. Et hoc modo ſenarius naturam creatam nominat. Secundo modo poſſe intelligi de ſenario prout in Dei intellectu. Et ſic non erit creatura; ſed idea ſenarii, quæ ſecundùm ſe eſt idem cum eſſentia Divina. Ex quòd juxta priorem interpretationem concedit Angelicus, naturam ſenarii ſecundùm ſe eſſe creaturam, & ab æterno quid reale perfectum nominale præter Deum. Idem luculentius redintegrat ad 1. dicens: *remoto autem eſſe abſtractè conſiderata natura ſenarii prout abſtrahit à quolibet eſſe, & ſic actualiter ſibi perficitur ſicut remotis omnibus ſingularibus adhuc remanet rationalitas attribuibilis naturæ humanæ*. Tum verò ſic. Sed ſi natura ſenarii ſecundùm ſe remoto eſſe in ſingularibus haberet eſſe quid actuale intrinſecum poſitivum præter Deum, nulla illi poſſet tribui perfectio, quæ duntaxat ab actu deſumitur: ergo de mente S. Th. &c.

Reſp. de S. D. mente ſatis conſtare per dicta num. 7. in fine. Ad allatam verò authoritatem Reſp. quòd D. Th. percenſet ibi diviſionem triplicis ſtatus naturæ, quem nos ex eodem expendimus loco citato num. 1. Ob idque nominando naturam abſolutè, cui remotis omnibus ſingularibus adhuc perfectio competit, ſumit naturam ſecundùm ſe intra intellectum, non ut reduplicat ipſum in intellectu ſtatum, qui eſt ſtatus rationis, ſed ut reduplicat ipſa prædicata quidditativa, quæ realia ſunt, eſtò ſtatum rationis habeant.

Et licèt ab æterno minimè extet creatus intellectus; tamen hoc per accidens ſe habet reſpectu talis naturæ, quæ quantùm eſt de ſe abſtrahi potuiſſet à ſingularibus tametſi non exiſtentibus, tamen cognoſcibilibus ut non implicantibus exiſtere, ſi ab æterno extitiſſet talis intellectus abſtractivus.

Quòd hæc ſit germana Angelici mens deprehendes ex doctrina, quam eo loci habet ad 1. arg. quamquam pro ſe adducere non dubitet arguens. Quandoquidem *ad primum ergo*, inquit, *dicendum, quòd remotis omnibus creaturis, quæ ſunt factæ in ſenario dierum, non dicitur, quod perfectio remaneret in ſenario numero, quaſi quòd ſenarius aliquod eſſe habeat in rerum natura, nulla creatura exiſtente, ſed quia remoto omni eſſe creato, remaneret CONSIDERATIO naturæ ſenarii, prout abſtrahit à quolibet eſſe, & ſic attribuitur ſibi perfectio*, &c.

13. Objici aliud poſſet arg. quia quod non eſt in potentia ad eſſe aliquid, eſt actu tale; ſed eſſentia Hominis nuſquam fuit in potentia ad eſſe animal rationale: ergo fuit perenniter animal rationale.

At facilè ſolvitur. Primitùs enim diſt. maj. ſi antequam eſſet actu tale erat aliquid, concedo, ſecùs, nego. Præterea diſtingui poterat min. ſic: nunquam fuit in potentia poſitivè, concedo, negativè, nego. Fuit namque in potentia negativè, quatenus nec erat in potentia, nec in actu, nimirum nec quid potentiale, nec quid actuale in ſe, ſed purum nihil.

14. Levius aliud objici arg. poſſet, quòd natura ab æterno erat creabilis; hoc autem eſſe creabile eſt aliquid, & non purum nihil.

Verùm faciliùs ſolvitur dicendo ſicut ſupra ſub num. 9. de hoc, quod eſt *fuiſſe poſſibile, & denominari poſſibile*, quod licèt ex noſtro concipiendi modo ſignificetur ut aliquid antequam res producatur, re vera tamen nil aliud eſt, niſi hoc, quod eſt nullam intervenire contradictionem in ipſa rei creatione actuali.

15. Colligi ex dictis poteſt, quomodo res poſſibiles dicantur, & ſint objectum Divinæ omnipotentiæ. Siquidem dicuntur, & ſunt objectum Divinæ omnipotentiæ non in ſeipſis actu (cùm in ſeipſis antequam producantur nihil actu ſint) ſed in ſua exiſtentia, non quidem abſoluta, cùm tunc non exiſtant, ſed conditionata, quatenus ſi exiſtentes fierent, nulla eſſet contradictio. Lege ſub num. 9.

§. IV.

PERCONTABERIS.

Undè ſumatur, ſeu in quo ſita ſit rerum poſſibilitas.

16. QUI ſentiunt, res eſſe quid poſitivum ab æterno, docent, rerum poſſibilitatem ſitam eſſe illo in poſitivo eſſentiali nominali reali, quod ab æterno habere dicuntur. Item Scotus dicit, conſiſtere in illo eſſe diminuto, quod refutavimus num. 3. At nos, qui tutamur, eſſentias rerum nihil in ſe eſſe priuſquam producantur, & aliàs conſpeximus num. 9. ex 2. arg. non eſſe ſitam in extrinſeca denominatione, ut docent exteri noſtram tutantes opinio-

opinionem, dicimus, ſitam eſſe in hoc, quod eſt nullam occurrere contradictionem ex earum poſitione, ſeu in illa exiſtentia conditionata prædeclarata tum n. 15. tum n. 9. ad 1. prob. min. in 2. arg. quæ eſt quid intrinſecum, ſed conditionatè, &c.

Sic loquendo de poſſibilitate ex parte ipſorum poſſibilium.

17. Veſtigare modò nos manet, quomodo ipſa rerum poſſibilitas habeatur, ſeu deſumatur ex parte Dei.

Circa quod diſſidium aliquod videtur inter Jo: à S. Th. & Ferre, quorum doctrinam exſcribit Cav. tract. 1. de mondo diſp 2. q. 2. ubi ipſe cum Ferre ſentit.

Igitur (ſcribit Cav.) Jo: à S. Th. p. p. diſp. 2. n. 10. *Sic ſe explicat.* Poſſibilitas abſoluta, ratione cujus aliquid eſt objectum Divinæ omnipotentiæ ſecundùm mentem D. Thom. conſiſtit in habitudine terminorum (intellige illam cohærentiam unius extremi cum alio dependenter ab illa conditione exiſtentiæ, ſumendo poſſibilitatem in ſeipſa, ut explicatum eſt n. 9.) qua prædicatum non reluctatur ſubjecto. Et hæc habitudo ſi inſpiciatur ex parte Dei continentis, præſupponitur ad omnipotentiam ut omnipotentia eſt vis executiva, & attributum diſtinctum; conſequitur verò ad omnipotentiam radicaliter inſpectam, quæ eſt ipſa eſſentia Divina ut participabilis, & imitabilis à creaturis, ſicque conſequitur ad ideas Divinas per neceſſariam conſequentiam in ratione ideabilis, & participabilis, nec invenitur realiter actu in creaturis ante earum productionem, ſed in potentia ipſa creatoris.

Fundamentum hujus Authoris eſt tale. Poſſibilia ab æterno ſunt de linea veritatis creatæ: ergo non ſunt talia ante Divinam ideam. Ant. eſt certum. conſeq. prob. Hæc eſt prima, & ſumma regula totius veritatis creatæ, quòd non antevertat Divini opificis ideam: ergo ſi ſunt de linea veritatis creatæ &c. Prob. ant. ante Divinas ideas nihil intelligitur ut determinatè, & diſtinctè formabile, nec rebus intelliguntur diſtributa prædicata, quæ ſint eis debita, & convenientia, cùm hoc non fiat à Deo, niſi intelligibiliter, & artificiosè, nimirum per artem, per quam ſolùm formabiles ſunt ab illo: ergo &c.

18. Hanc opinionem oppugnat Cav. Nam (inquit ipſe) ideo per præfatum Authorem nequeunt ante ideas admitti poſſibilia, aut intelligi res in ſeipſis non repugnantes, quia duntaxat per artem, ſive artificiosè, & intelligibiliter formabiles ſunt à Deo; ſed hæc ratio videtur nimis probans: ergo nihil probat. Prob min. Videtur etiam probare, quòd præter poſſibilia potuiſſent eſſe alia; conſequens non admittitur: ergo &c. Prob. ſequela. Ante illam excogitationem, quam Deus habet per artem, adhuc juxta præfatum Authorem non intelliguntur poſſibilia: ergo ſicut excogitavit illa, formavitque poſſibilia, ita poterat excogitare alia, eaque poſſibilia facere, ſicque &c.

19. Approbat modum dicendi Magiſtri Ferre, qui tom. 1. in p. p. tract. 5. q. 3. §. 2. ad 4. & ex profeſſo deinde tom. 2. tract. 13. q. 3. §. 3. n. 184. exponit ſic. Primò intelligimus, Deum eſſe Deum, & omnia alia, quibus non repugnat factio; deinde ſequitur poſsibilitas rerum ad hoc, quod eſt, Deum eſſe omnia, quibus non repugnat factio; Et tandem ſequitur omnipotentia potens ad omnia, quæ non implicant.

Eodem modo ex oppoſito exponit impoſsibilitatem rerum; itaut primò intelligatur, Deum non eſſe id, quod Deus non eſt, nec id, quod Deum participare non poteſt; & ex hoc ſequitur impoſsibilitas ipſius rei V. G. Chimæræ aliorumve implicantium. Et poſtea ex hoc ſequitur impotentia ad ea, quæ repugnant productioni. Undè ſicut iſta non eſt vera *hoc eſt poſsibile, quia Deus poteſt illud producere*, ita neque vera eſt iſta *hoc eſt impoſſibile, quia Deus non poteſt illud facere*: & ſimiliter ſicut vera eſt iſta *lapis eſt poſsibilis, quia Deus eſt virtualiter lapis*, ita hæc eſt vera *Chimæra non eſt poſſibilis, quia Deus nullo modo nec formaliter, nec virtualiter eſt Chimæra*. Undè omnia reducuntur ad Deum vel quia eſt, vel quia non eſt.

20. Pro reſolutione dico, poſſe ambos iſtos dicendi modos conciliari. Nam modus dicendi Jo: à S. Th. verus eſt, ſi loquamur de poſsibilibus inſpectis ſecundùm rationes differentiales ſingulorum, ſecùs verò ſi loquamur de poſsibilibus ſecundùm rationem communem poſsibilis, nimirum de poſsibilibus in generali. Et in hoc ſenſu locutus eſt Jo: à S. Th. ut cuique legenti eum perſpicuum fiet. Modus autem dicendi Patris Ferre verus eſt, ſi loquamur de poſsibilibus ſecundùm generalem rationem poſsibilis, at non de illis diſtinctè in ſpecie particulari, quia diſtinctio iſta, & varietas non fit, niſi per diverſas ideas.

Hinc ad fundamentum Jo: à S. Th. Reſp. quòd Deus pro priori ad ideas cognoſcit poſsibilia veluti in generali. Quòd verò nullum creatum antevertat ideas, eſt de ratione creari, ſeu potiùs creabilis, in particulari; quia creatio quæ fit, ſeu eſt factibilis, eſt de re in particulari, & diſtinctè.

Ad arg. quo Cav. oppugnat Joannem à S. Th. Reſp. quòd Deus pro priori ad ideas cognoſcit poſsibilia omnia, ſed ſecundùm rationem generalem tamen duntaxat. Nec cognoſcit, aut continet perfectiùs; quia pro illo priori non ſunt perfectiùs cognoſcibilia, & continibilia, cùm nondum per ideas diſtincta. Per quod alia ſolvitur ejuſdem objectio.

Quæ omnia intellige de prioritate virtuali, ut ſuppono.

QUÆSTIO QUARTA

De Ente exiſtente.

Hic de exiſtentia differendum foret. Sed de iſta ſcripſi 1. Phyſ. quæſt. 5. Illò adeas.

QUÆSTIO QUINTA

De Ente ſubſiſtente.

Hic de ſubſiſtentia ſermo foret habendus. Sed de ea pertractavi eodem 1. Phyſ. q. 6. Illò te conſeras.

QUÆSTIO SEXTA

De Ente Tranſcendente Univoco, & Analogo.

De Tranſcendentia entis, ejuſque analogia ſcripſi in Logica tract 4. in antepraedicamentis q. 1. per totam.

QUÆSTIO SEPTIMA

De Ente affecto Affectionibus in communi.

Affectiones entis ſunt paſsiones, ſive proprietates, quibus ens afficitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Num Ens habeat proprietates reales, & quomodo ab eo diſtinguantur.

§. I.

1. Controverſia iſta, quam extensè alii diſcutiunt, breviter à nobis reſolvetur, quia præcipuè quod ad 2. p. in qua potior eſt lis, ſatis conſtat ex dictis de tranſcendentia; & iterum hic infra num. 6.

Quòd ad p. p. tituli, num videlicet ens habeat proprietates? Licèt inficias ierint Aureolus, Petrus Niger, Tataretus Scotiſta, & Bargius, quos refutat Maſtrius hic tum diſp. 4. q. 1. proemiali quæſt. 4. Tamen annuunt cæteri in univerſum.

3. Suadetur. Quo modo aliquid habet eſſentiam, habet ſuas proprietates; ſed ens habet eſſentiam, licèt tranſcendentalem: ergo obtinet proprietates ſaltem tranſcendentales. Nitet maj. quia proprietates ſunt affectiones eſſentiæ.

Suadetur 2. Secùs namque Metaphyſica non foret ſcientia, quia ſcientia eſt illa, quæ de objecto paſſiones demonſtrat.

Reſpondes cum nonnullis, Meth. non eſſe ſcientiam prout definitur in 1. Poſt. ſed eſſe ſcientiam, ſumpta ſcientia pro notione primorum principiorum, propoſitionumque immediatarum; ſeu eſſe ſapientiam, & non ſcientiam. Sed

Contra. Aliqua debet excogitari verè ſcientia, ad quam cæteræ referantur ſcientiæ tanquam ad cunctarum Reginam, ac quodammodo ſubjiciantur; ſed iſta haud alia eſt niſi Metaphyſica: ergo &c. Maj. eſt conſtans, cùm non ſit alia excogitabilis. Maj. prob. pluribus paritatibus, putà quòd ſenſuum agmen habet ſupra ſe unum ſenſum, qui eſt verè ſenſus, omnibus præſidens, quique de aliorum ſenſuum objectis altiori ſub ratione ſentit, nimirum ſenſum communem. Item virtutum moralium turma habet ſupra ſe unam virtutem, quæ eſt verè virtus, quæque omnibus præeſt, nimirum Charitatem: ergo pariter, &c. Quamobrem hoc, quod eſt eſſe ſapientiam non tollit, eſſe ſcientiam, ſed facit eſſe maximè ſcientiam.

Reſpondes 2. cum Bargio qu. 1. prologi in ꝟ. *tertio* principaliter quod Meth. eſt ſcientia reſpectu partium ſubjectivarum entis, quæ ſunt inferiora entis, de quibus demonſtrabiles ſunt proprietates. Sed

Contra. Inde ſequeretur, Meth. eſſe reliquis ſcientiis deteriorem; quia cæteræ non tantùm de partibus ſubjectivis ſui objecti, verùm etiam de proprio objecto proprietates demonſtrant.

Reſpondes denique, Meth. demonſtrare proprietates de ſuo magis principali objecto nimirum attributa de Deo. Sed

Contra. Idem ſequeretur, quoniam aliæ ſcientiæ etiam de minùs principali objecto proprietates demonſtrant.

Levia nonnulla argumenta lege ſoluta apud Zuchi.

4. Quòd ad 2. p. tituli, nimirum quòd hujuſcemodi proprietates ſint reales, & non tantùm rationis, facilè contra Javelium 4. Meth. q. 2. & Fonſecam ibidem c. 2. q. 5. ſect. 2. ſuadetur, Tum quia ens reali gaudet eſſentia: ergo & realibus proprietatibus. Tum quia ens rationis fit ad ſimilitudinem entis realis; ſed unitas, veritas, & bonitas tranſcendentalis non ſiunt ad ſimilitudinem alterius bonitatis, unitatis, & veritatis tranſcendentalis: ergo non ſunt rationis. Prob. min. Secùs deberet alia aſſignari bonitas, veritas, & unitas realis tranſcendentalis, cujus ad ſimilitudinem fierent, ſicque haberemus intentum. Tum demum quia Deus nullo fingente intellectu eſt unus, verus, & bonus. Falsò ergo ſcripſit Suarez, proprietates entis eſſe meras relationes rationis.

5. Probandum modò eſſet, paſſiones entis eſſe quid poſitivum, & non purè negativum, cum ens poſitivam ſortiatur eſſentiam; ſed de hoc infra q. 8. & 9. agendo de proprietatibus entis in particulari, & veſtigando, num unitas ſita ſit in aliquo poſitivo, vel negativo. Item agendo de veritate, bonitate, &c.

6. Demum quò ad ult. p. nimirum quomodo paſſiones entis diſtinguantur ab ente; habes ex dictis in antepræedicamentis q. 1. art. 1. contra Scotiſtas, ens non diſtingui formaliter è ſuis paſſionibus, cùm probaverimus, tranſcendere omnia formaliter. Et quod ibi dictum eſt de inferioribus entis, dic de proprietatibus, cùm nec iſtæ queant eſſe formaliter nihil.

Nihilominùs ſpecialis aliqua ratio militat de paſſionibus entis tranſcendentibus, & non de aliis non tranſcendentibus, puta riſibilitate Hominis, &c. Siquidem cùm illæ, & non iſtæ ſint tranſcendentes ſaltem realiter, ſi non formaliter, adeoque majorem habentes intraneitatem ſaltem realem, debent illæ minùs, quàm iſtæ diſtingui; ſed paſſiones non tranſcendentes, puta riſibilitas, &c. diſtinguuntur duntaxat formaliter ab eſſentia, Judice Scotiſta: ergo paſſiones tranſcendentes entis minùs, quàm formaliter debent diſtingui ab ente. Cùm igitur minor diſtinctio non detur, niſi virtualis, diſtinguentur ſolummodo virtualiter.

Quo victus Maſtrius fatetur, paſſiones entis diſtingui ab ente diſtinctione formali minùs rigoroſa, *ſeu potiùs virtuali* (ſunt ejuſmet verba ut videre eſt apud ipſum hic diſp. 4. q. 3. num. 37. in fine) quod & antea ſcripſerat ibidem num. 9. & num. 17.

7. Unum, ac potiſſimum arg. quod objici contra hoc poſſet, ſolutum fuit in antepræedicamentis q. 1. art. 1. ꝟ. 3. ad probationem 3. & 4. poſitam in 2. arg. ſub num. 5. ubi conſpeximus, proprietates entis eſſe proprietates entis inſpecti ſecundùm ejus inadæquatum conceptum inadæquatione ſaltem expliciti, quatenus eas non explicat ſub explicito conceptu entis, licèt non inadæquatione impliciti; quia ens in conceptu implicito eas includit, & è converſo ipſæ includunt ens. Vid. ibi. Aliud ſolvetur q. ſequenti 8. art. unico ꝟ. 3. ad 1. arg.

8. Duo vel tria ſuperſunt arg. ſolvenda. Primum eſt tale. Proprietates eo modo diſtingui debent, quo ſunt proprietates; ſed ſunt proprietates formales: ergo &c. Prob. maj. Proprietates ut proprietates diſtinguuntur ab eſſentia: ergo eo modo, &c.

Reſp. primitèr, quòd nimium probat, nimirum quod & realiter diſtinguantur, cùm ſint proprietates reales. Præterea diſt. maj. ſi ſint proprietates eſſentiæ ſecundùm ejus conceptum adæquatum adæquatione tum impliciti, cùm expliciti, concedo ſola adæquatione impliciti, nego; quia in hoc caſu includuntur in conceptu implicito eſſentiæ. Vid. loco nuper appellato.

Demum millies diximus, quòd diſtinctio virtualis æquivalet formali, imò & reali; Idcircò ſufficit ad hoc, ut ſint proprietates formales, & reales, quemadmodum formalis, vel realis ſufficeret diſtinctio.

Diximus etiam, diſtinctionem virtualem eſſe realem, non formaliter, ſed virtualiter. In Logica etiam Syntag. 3. q. 1. art. 4. ꝟ. 3. ad 1. ſub num. 10.

9. Secundum arg. tale eſt. Quæ in Deo ratione diſtinguuntur, in creatis realiter diſtinguuntur, ut exploratum eſt in ratione ſapientiæ, potentiæ, & intellectus; ſed bonitas, veritas, &c. in Deo diſtinguuntur ratione: ergo in creaturis diſtinguuntur realiter.

Reſp. diſt. maj. Si ſint de illis prædicatis, quæ non ex ſui ratione, ſed ratione ejus, in quo ſunt, habent, quòd ſint unum, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Regula igitur ex D. Th. q. de ver. art. 1. (cujus verba exſcripſit Zuchi hic ad primum ſub num. 21.) eſt, quòd ea, quæ habent, non ex ratione ſua, quòd ſint unum ſecundùm rem, ſicut ſapientia, potentia, Intellectus, voluntas, &c. ſed tantùm ex parte ejus, in quo ſunt, nimirum ex parte Dei propter ſimplicitatem ejus; iſta in Deo diſtinguuntur ratione, & in creaturis realiter. Ea verò, quæ ex ſua ratione habent, quòd ſint unum ſecundùm rem, cujuſmodi ſunt omnia tranſcendentia, nimirum unitas, veritas, &c. tum in creaturis, cùm in Deo diſtinguuntur ſolam per rationem.

Verùm eſt tamen, quòd prædicata tranſcendentia in Deo ex duplici capite identificantur realiter, nimirum & ex capite tranſcendentiæ, & ex capite actus puri. At hoc non facit, quòd ſint magis idem in Deo, ſed ſolùm facit, quòd in Deo hoc plùs habeant, quòd tametſi non forent idem ratione tranſcendentiæ, adhuc forent idem ratione actus puri.

10. Tertium arg. tale poſſet eſſe. Diſtinctio penes explicitum non ſufficit ad rationem proprietatis, ſecùs poſſet definitio dici proprietas definiti: ergo debet dari diſtinctio pluſquam penes explicitum.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. ſi id, quod explicitè diſtinguitur ſit primus conceptus, concedo, ſecùs nego. Definitio autem eſt primus rei conceptus.

11. Colligi ex dictis poteſt, proprietates entis omni competere enti. Inantum autem multitudini non convenit unitas, quia multitudo non tantùm eſt ens, ſed eſt entia, eſtque plures unitates tranſcendentales. Vel dicatur, quòd convenit ei unitas ratione multitudinis, quatenus eſt una multitudo. Vel eſt plures unitates, ut iterum infra q. 8. art. unico ꝟ. 4. ad 6. arg. num. 11.

Levia quædam alia argumenta vide ſoluta apud Zuchi. Alia ſolventur q. ſequenti 8. ꝟ. 4. num. 2.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum non ſolùm Unum, Verum, & Bonum, *verùm etiam* Res & Aliquid *ſint entis realis proprietates.*

§. I.

1. QUoniam omnia comprehenduntur illa in dictione *Reubua*, in qua continentur ſex rationes tranſcendentes, nimirum *res*, *ens*, *verum bonum*, *aliquid*, *unum*, idcircò veſtigatur, num omnia, &c.

Exploratum eſt cunctis annuentibus, ens habere proprietates, quòd *unum*, *verum*, & *bonum* ſunt entis proprietates. Et levia quædam arg. videri ſoluta poſſunt apud Zuchi hic quæſt. 5. art. 3. num.20. & ar. & 39. Aliud verò arg. probans, nec virtualiter diſtingui, ſolvetur infra q decima art.1. §. 3. ad 2. arg. num. 12. Lis duntaxat de *Re*, & de *aliquid* eſt.

2. Res impræſentiarum ſumitur, non prout ſecernitur à modo, ea cujus diſtinctione conſuevit duplex venari diſtinctionis genus, nimirum diſtinctionis realis entitativæ, & modalis, ſed prout eſt unum ex tranſcendentibus prædicatis.

3. Prima opinio aſſeverat, quòd etiam *Res*, & *aliquid* ſint entis proprietates. Hanc defendunt Javell. Aravio, Philippus à SS. Trin. quibus adſtipulatur Zuchi.

Secunda negat. Hanc tuentur Blaſ. à Concep. Martinez de Prado, Maſius, Brunus, Arnù, & nuperrimè, licèt raptim, Guerinois, dicens eſſe communem Philoſophorum. Item Argentina, Alenſis, Moloſios, Picus Mirandulanus, Funſeca, Maſtrius, cæterique. Cum his

§. II.

CONCLUSIO.

Res, & Aliquid *nequeunt dici proprietates etiam tranſcendentales entis ab aliis diverſæ, ſpectata proprietate ſecundùm adæquatum proprietatis conceptum.*

4. PRob. 1. quò ad p. p. nimirum quoad *Rem*. Etymologicè *Res* dicitur vel à *ratus rata ratum*. Et ſic cùm ratitudo idem ſit, ac realitas, jam res idem erit, ac ens reale, quoniam realitas idem eſt ac ens reale, non verò entis proprietas. Vel à *reſolvo*. Et tunc quidditatem dicit, ut feſtinè exponam. Vel demum à *reor reris*, quod idem eſt perinde, ac arbitror. Et ſic cùm arbitrari, & conſiderare ſit circa verum, quod eſt objectum intellectus, jam *Res* eadem erit proprietas, ac verum.

5. Prob. 2. quò ad eandem p. Res (ſcribit S. Th. q. 1. de ver. art. 1.) exprimit quidditatem; ſed eandem exprimit ens: ergo idem exprimit ens, & *Res*, ſolumque in hoc diſcriminantur, quod *Res* exprimit quidditatem tantùm, non verò ordinem ad eſſe, ubi ens exprimit etiam ordinem ad eſſe, cùm ab actu eſſendi deſumatur, adeoque res exprimit inadæquatè, quod exprimit ens. Eapropter dixi in concl. non eſſe proprietatem *ſpectata proprietate ſecundùm conceptum adæquatum.*

Hic præſtat nonnihil cunctari, ut perpendamus, quod circa hoc habet Maſtrius hic diſp. 4. q. 2. num. 26.

Maſtrius efflutiens, S. Th. ſtare ex adverſa parte, fingit eum reſpondere, quòd *Res quidditatem* ſignificat præſcindentem ab exiſtentia, ens verò ſignificat quid exercitè exiſtens. Primum, inquit Maſtrius, gratis, ſecundùm falsò dicit S. Th.

Verùm quam abs re fuerit Maſtrii dicacitas, habes ex hactenus dictis.

Quantùm verò ad id, quod ſubjicit, S. Th. arbitrariè dicere, quòd *Res* quidditatem ſignificet; ſcire abeo, amabo, quo potiori jure ſentire ſuo cum Scoto debeamus, quòd dicatur à *reor reris*, & non cum S. Th. à reſolvendo, cum majorem cum hocce ſecundo affinitatem etiam nominis ſortiatur? At reſolutio, ſeu analyſis ſit pro quidditatis cognitione, & ipſa quidditas medio verbo *reſolvo* ſignificari conſuevit, ut cùm à Dialecticis definitur terminus *vox ſignificativa ad placitum, in quam ſimplex reſolvitur propoſitio* &c.

Nec unquam S. Th. dixit, quòd ens, ſive eſſentia ſignificet quid actu exiſtens, ſed quòd ſignificet id, quod explicatur per ordinem ad eſſe, ideſt ad exiſtentiam vel poſſibilem, vel futuram, &c. cùm ab eſſendo dicatur, ſicut natura explicatur per ordinem ad operationem dicendo, quod eſt principium motus, &c.

Qua ex re clariùs inferes quòd *Res* eſtò non exprimat ordinem ad eſſe, adhuc non eſt proprietas: quemadmodum natura eſtò exprimat ordinem non ad eſſe, quem exprimit eſſentia, ſed ad operationem, non dicitur proprietas eſſentiæ. Eò vel maximè quòd *Res*, ſive quidditas nullum præſefert ordinem ad operationem, ſed præcisè explicitè præſcindit ab ordine ad eſſe, hunc non explicando.

6. Prob. modò concl. quò ad 2. p. Ly *Aliquid* vel ſumitur ut terminus ſyncategorematicus, ut cùm dicitur *aliquis Homo*, *aliqua perſona*, &c. Et hoc pacto non eſt tranſcendens, cùm denotet individuum vagè. Vel (ut vulgò ſolet) ly *Aliquid* ſumitur pro eo, quod aliquam habet quidditatem, & quod non eſt nihil. Et hoc pacto eſt ſynonimum entis. Vel demum ſumitur rigorosè ut ab ipſa etymologia ſonat, *Aliquid*, ac *aliud quid*. Et hoc pacto cùm dicat non eſſe aliud, ideſt eſſe ab alio diviſum, dicit id, quod de ſecundariò ſignificatur ab *Uno*, quod definitur *indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio*, ſicque non eſt proprietas adæquatè diſtincta ab *Uno*.

Nec ſufficit, quòd duntaxat de ſecundariò id exprimatur ab uno.

Non, inquam. Si namque conceptus naturæ, eſtò exprimat ordinem ad operationem, quem nullatenus nec de primariò, nec de ſecundariò exprimit eſſentia, vel non eſt proprietas, vel vix eſt proprietas; jam *aliquid* exprimens tantummodo diviſionem ab alio, quæ aliquo modo, nimirum de ſecundariò exprimitur ab uno, non poterit dici proprietas, ſaltem ſpectata proprietate ſecundùm conceptum adæquatum proprietatis, cùm non diſtinguatur adæquatè ab alia proprietate, quæ eſt unum.

§. III.

Obverſæ partis argumenta ſolvuntur.

7. ARg. 1. probando, quòd *Res* ſit proprietas. Illud eſt proprium, quod ſoli ineſt, ac converſim prædicatur; ſed *Res* ſoli enti ineſt, ac converſim de eo prædicatur: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſi aliàs non ſit de eſſentia ejus, de quo viciſſim prædicatur, concedo, ſecùs nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Unum quid enim ſignificat *Res & ens* per dicta ſub num. 5.

Contra. *Res* nec adæquatè, nec inadæquatè exprimit ordinem ad eſſe: ergo obtinet ſignificatum diverſum adæquatè ab entis ſignificato.

Reſp. diſt. ant. & aliàs hoc, quod eſt exprimere ordinem ad eſſe eſt adæquatum ſignificatum entis, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Ultra enim hoc, quod eſt ſignificari ordinem ad eſſe, ab ente ſignificatur eſſentia, quæ & à re ſignificatur. Lege n. 5.

Dices. Ens ſignificat eſſentiam veluti relativè ad exiſtentiam, *Res* verò ſignificat illam abſolutè: ergo obtinent diverſum adæquatè ſignificatum.

Reſp. diſt. ant. *Res* verò abſolutè quaſi negando relationem ad exiſtentiam, nego, præciſivè, concedo ant. & nego conſeq. Undè ſolùm ſequitur, quòd non adæquatè ſignificet id, quod ſignificatur ab ente; quia non ſignificat cum toto eo, cum quo ens ſignificat, nimirum eſſentiam cum illo ordine.

Ut aliud ſolvas arg. recole dicta num. 2. nimirum quòd res ſumitur hic, non ut diſtinguitur à modo propriè dicto, ſed pro aliquo tranſcendenti, quod non ſecùs, ac ens etiam in modis imbibitur.

8. Arg. 2. de *Aliquid*. Et iſtud omni ineſt enti, & converſim prædicatur: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & aliàs cum altera coincidit proprietate, nimirum cum *Uno*, concedo, ſecùs, nego. Non ſufficit, quòd omni inſit, &c. Sed ulterius requiritur, quòd adæquatè à reliquis ſecernatur proprietatibus. Quod non habet *Aliquid*, quod ut conſpeximus n. 6. exprimit quod de ſecundariò exprimitur ab *Uno*. Et iſtud enim ſemper affert diviſionem ab alio ſaltem aptitudinalem, quando uno aliud adeſſet, à quo diſtingui poſſet, ut in Deo antequam creaturas produceret.

Dices.

Dices. Etiam operari eſt quid ſecundarium, ceu conſequens ad eſſe; & tamen habet ſpecificare ſpecialem potentiam: ergo pariter eſſe diviſum ab alio licèt importetur de ſecundariò ab *uno* poterit ſpecialem conſtituere proprietatem.

Reſp. primodùm per dicta num. 6. retorquendo arg. Præterea per dicta 2. Phyſ. q. 1. art. 5. quòd operari licèt intra forum entis ſit quid ſecundarium, tamen intra forum ſpecificativi eſt quid primarium, quia eſt quid per ſe primò à natura intentum. Non ſic autem diviſio ab alio, quia iſta eſt mera quædam negatio, aut privatio.

9. Arg. 3. de utroque auth. D. Th. qui q. 1. de ver. art. 1. enumerat, & probat quinque generales modos, & ſubdit quòd conceptus Rei conſequitur ad ens, & reſolvitur in ens.

Conf. communiter percenſentur ſex tranſcendentia in dictione illa *Reubau*: ergo præter ens erunt quinque tranſcendentia, & non tantùm tria.

Reſp. ad arg. & Conf. ſatis eſſe quòd faciant pluralitatem inadæquatam, ut ſex percenſeantur, & Res in ens reſolvatur.

10. Ex his pro alia ſolvenda objectione collige, non eſſe nugatorias, identicas, & materiales propoſitiones iſtas *res eſt ens*, *Aliquid eſt ens*, *unum eſt Aliquid*. Non, inquam, quia *Res* exprimit, quod non exprimitur adæquatè ab ente, licèt exprimatur inadæquatè. Aliquid eſt omnimodè diverſimodè expreſſivum, ac *ens*, licet non ac unum. Quia tamen id, quod de primariò exprimitur ab *Aliquid*, nonniſi de ſecundariò exprimitur ab *Uno*; idcircò poteſt aliquo modo eſſe formalis illa propoſitio *Unum eſt Aliquid*.

§. IV.

SCISCITABERIS PRIMO.

Quem ordinem invicem præfatæ ſervent proprietates.

11. MAſtrius hic diſp. 4. q. 3. à num. 37. cenſet, nullum inter entis proprietates ordinem dari; atque ita ſentire dicit Scotum.

At oppoſitum approbant cæteri, Tum quia Verum antevertit Bonum. Siquidem cùm potentiæ ſpecificentur ab objectis (quod loquendo de ſpecificatione ſaltem à poſt. univerſi etiam Scotiſtæ annuunt, ut conſpeximus lib. 2. de Anima) talis debet eſſe ordo inter potentias, qualis inter objecta. Sic autem eſt, quòd Intellectus, cujus ad objectum pertinet verum, eſt prior voluntate, cujus objectum eſt bonum, quemadmodum actus intellectus eſt voluntaria actu prior, cùm nil volitum, quin præcognitum: ergo & *Verum* erit *Bono* prius.

Tum quia *Unum* eſt prius *Vero*, & Bono. Nam abſoluta, & quæ ſunt ad ſe, præcurrunt relativa quæ ſunt ad aliud; ſed *Unum* exprimitur abſolutè in ordine ad ſe, *Bonum* verò, & *Verum* relatè ad aliud, nimirum in ordine ad intellectum, & voluntatem, ut conſpiciemus infra q. 9. ergo inter entis extat ordo prioris, & poſterioris, prioritate tamen, & poſterioritate virtuali.

Dices cum Maſtrio num. 42. poſſe dici, quòd *Verum* ſit *Uno* prius, & quòd etiam *Verum* exprimatur in ordine ad ſe abſolutè. Nam ſicut *Verum* generis determinati præcedit *Unum* generis determinati, quia prius eſt V. G. quòd aurum ſit verum aurum, quàm quòd ſit unum aurum; & quòd ſit verum aurum non exprimitur relatè ad aliud. Ita *Verum* tranſcendens poterit exprimi abſolutè, atque eſſe *Uno* tranſcendenti prius. Sed

Contra. *Verum* dicto modo inſpectum non eſt *Verum* quod eſt entis proprietas, ſed eſt ipſa realitas entis. Siquidem aurum eſſe ſic verum aurum eſt eſſe reale, & non fictum aurum. Et ita eſſe verum ens erit eſſe reale, & non fictum ens. Eſſe autem ens reale eſt ipſa entis realis eſſentia. Nos autem loquimur de *Vero*, quod eſt una ex paſſionibus entis, & de quo infra q. 10. art. 1. §. 1. num. 4. Præterea ſi *Unum* eſt prius *Vero*, ergo ſemper extat ordo prioris.

§. V.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Num extent aliæ paſſiones entis.

12. PAſſiones hactenus recenſitæ ſunt paſſiones incomplexæ. Extant autem aliæ, quæ dicuntur complexæ, ut actus, & potentiæ; neceſſarium, & contingens. Has Scotiſta vocitat paſſiones disjunctas; ſicut primas appellat paſſiones ſimplices. De eis fusè Maſtrius diſp. 4. quæſt. 2. num. 29.

QUÆSTIO OCTAVA

De Ente affecto affectionibus in particulari. Et Primò: De Ente Uno, ſeu De Unitate tranſcendentali.

NUper num. 55. perſpeximus, quòd Unum eſt Bono, & vero prius, idcircò primo loco de unitate in hac q. agimur.

ARTICULUS UNICUS.

Quid ſit illud, quod unitas addit ad ens, ſeu in quo formaliter ſita ſit unitas tranſcendentalis.

§. I.

1. APpoſitè in titulo extat dictio illa *tranſcendentalis*. Signo namque eſt, intentum noſtrum hic eſſe de unitate tranſcendentali, quæ per omnia divagatur; at non de unitate in linea ſpeciali, ſive prædicabili, ut unitate generica, & ſpecifica, de qua in Logica, aut individuali, de qua infra q. 11. nec de unitate aggregationis, puta lapidum acervo; nec de unitate prædicamentali, puta numerali, quæ dicitur principium numeri; nec de unitate ordinis, puta exercitus; nec de unitate compoſitionis, de qua 1. Phyſ. q. 4. nec de unitate per omnimodam ſimplicitatem, de qua Theologi p. p. agendo de ſimplicitate Dei.

Quæ doctrina petitur ex D. Th. p. p. q. 5. & 6. ubi ſcribit, quòd bonum eſt duplex. Aliud, quod tale dicitur abſolutè, & tranſcendentaliter. Et iſtud ſola ratione diſtingui dicit ibi q. 5. art. 1. & conſequitur omne ens, ut ſcribit ibi art. 3. Aliud in linea particulari. Et iſtud interdum ſi eſt in ordine phyſico diſtinguitur etiam realiter, ſicut & bonitas in ſpeciali linea. Undè idem S. Th. ibi nempe p. p. q. 6. art. 3. ad 3. ſalvat, creaturam non eſſe bonam per eſſentiam, ſed per bonitatem ſuperadditam, nimirum per exiſtentiam realiter ſuperadditam; vel in linea accidentali, puta quantitativa, qualitativa, &c.

Hinc quæcunque ex unitatibus in linea ſpeciali hoc ipſo, quod eſt ens, poteſt dici una tranſcendentaliter; non tamen poteſt dici unitas tranſcendentalis in abſtracto, quia

unitas

Digitized by Google

unitas tranſcendentalis abſtractè inſpecta ſignificat illud, per quod ab aliis unitatibus diſtinguitur aliquod.

2. De Unitate igitur, quæ eſt *indiviſio in ſe, & diviſio à quolibet alio*, præſens habetur controverſia, circa quam.

Tres concertant opiniones. Prima cenſet, quòd unum non addat ſupra ens, niſi negationem quandam, nimirum negationem diviſionis in ſe. Huic ſubſcribunt Suarez, Averſa, Arriaga, & alii, inter quos Du Hamel; Et videbatur noſter Guerinois, qui tamen poſtea ad 4 & 5. arg. reſpondens annuit unitatem quantùm ad id, quod in recto dicit, addere quid poſitivum, licèt non formaliter ex natura rei diſtinctum, ut Scotiſta ſentit.

Secunda propugnat, addere quid poſitivum formaliter ex natura rei diſtinctum ab ente. Cui affinis eſt alia Avicennæ, qui docuit addere quid poſitivum realiter diſtinctum.

Tertia tutatur, addere quid poſitivum virtualiter duntaxat explicitè diſtinctum. Quod poſitivum nil aliud eſt, quàm ipſum ens, non quidem ſecundùm ſe ſpecificativè inſpectum, ſed reduplicativè ut ſundans negationem diviſionis in ſe. Ens namque reduplicativè ut talem ſundans negationem diſtinguitur explicitè à ſeipſo ſpecificativè, ideſt ſecundùm ſe abſolutè, inſpecto.

Adhuc tamen inter iſtos aliquod extat diſſidium. Quandoquidem nonnemo arbitratur, quòd ipſam entitatem de materiali tantùm afferat, & de formali ipſam ſolummodo indiviſionem dicat. Sic Cajet. & Xantes p. p. q. 11. ſuper art. 1. D. Th. Alii è contra tuentur, quòd de formali ſola entitas ab unitate importetur, ita quòd indiviſio ſe habeat tantummodo conſecutivè, at non ut quid pertinens ad rationem formalem unius. Ita Bannez, Zumel, & alii. Denique alii autumant, utramque de formali ſe habere, licèt entitas magis principaliter, & negatio diviſionis minùs principaliter, formaliter tamen ſe habeat. Sic Ferre p. p. citans Nazar. Aquar & alios, quibus hic adſtipulatur Goudin. Horum tamen placitum crediderim, parùm, vel nihil diſcrepare à placito Bannez, & Zumel, qui licèt dicant, negationem diviſionis concurrere formaliter, attamen dicunt, congredi de formali, non ſeipſa, ſed ut connotatam, ideſt tenent, importari formaliter ipſam connotationem negationis diviſionis, ſive connotationem indiviſionis, ita ut ſit connotatum eſſentiale.

§. II.

CONCLUSIO.

Unitas tranſcendentalis ſuperaddit enti virtualiter duntaxat explicitè quid poſitivum, ſed & formaliter eſſentialiter negationem diviſionis, ſive indiviſionem in ſe connotat.

3. QUò ad p. p. prob. 1. Ens poſitiva gaudet eſſentia, ſeu, quod idem eſt, eſt quid poſitivum: ergo & proprietates ſortitur, quæ quid poſitivum ſint, quia proprietates debent eſſentiæ aptari. Unum autem, ſive unitas eſt una ex potiſſimis entis proprietatibus, adeoque quid poſitivum eſſe debet, ſecùs entis proprietas foret nihil, quia negatio eſt nihil.

4. Prob. 2. quò ad eandem p. Unitas dicit perfectionem abſolutam, eſtque in Deo perfectio ſimpliciter ſimplex in abſolutis; ſed iſta nequit eſſe ſita in mera negatione: ergo &c. Maj. evincitur ex definitione perfectionis ſimpliciter ſimplicis, quæ definitur *melior ipſa, quàm non ipſa*. Meliùs autem eſt, Deum in abſolutis eſſe unum, quàm non eſſe unum, Min. ex eo præniter, quòd negatio eſt nihil, & non eſſe.

Dixi *in abſolutis, & perfectio abſoluta* ut præoccuparetur prima evaſio Arriagæ negantis maj. ac dicentis, etiam pluralitatem Perſonarum Divinarum dicere perfectionem. Siquidem iſta ſi eſt aliqua perfectio, eſt perfectio relativa, & in relativis. Ultraquamquod plerique negant, Perſonas, nimirum relationes dicere perfectionem, præſertim in via Scoti, in qua dicitur, relationes non eſſe ens, ſed eſſe aliquid entis. Imò & non pauci Thomiſtarum negant, dicere perfectionem de linea relativa: Quamquam crediderim, Thomiſtas iſtos denegare relationibus perfectionem ſpecialem, at non tranſcendentalem, quæ ad omne conſequitur ens, cùm ea Thomiſtis nullus inficietur, eas eſſe ens; vel negare, quòd dicant perfectionem ut habent explicitè referre, non verò ut ens ſunt.

Reſpondes 1. cum Arriaga, quod unitas, quæ in Deo dicit perfectionem, eſt unitas, non tranſcendentalis; ſed ſpecialis, quatenus perfectionis eſt in Deo, quod alius Deus non extet præter ipſum; & tamen hæc unitas, ſolitudinis unitas dicta, ut communiter docetur, in aliquo negativo, nimirum in alterius Dei carentia conſiſtit. Sed

Contra. Negatio illa alterius Dei, allata per unitatem negativam ſolitudinis eſt quid ſecundarium in unitate, nimirum quòd alius non extet Deus, à quo ſit diviſus; quemadmodum hoc, quod eſt eſſe ab alio diviſum, ideſt negatio identitatis cum alio importatur duntaxat de ſecundario ab unitate poſitiva, quæ definitur *indiviſio in ſe, & diviſio à quolibet alio;* ſed nos loquimur de eo, quod de primariò reperitur in unitate, quia loquimur de conſtitutivo unius: ergo hoc, quod eſt eſſe in ſe indiviſum erit quid poſitivum in Deo, ceu ſumma ejus perfectio. Adde, quòd unitas illa ſolitudinis dicitur negativa, non in ſe, ſed duntaxat ex parte extremi, quatenus non extat aliud extremum, nimirum alter Deus, à quo diſtinguatur.

Aliæ hujuſce reſponſi refutationes videri apud Maſtrium poſſunt hic diſp. 5. q. 4. num. 47.

Reſpondes 2. cum Suarez, quòd unitas dicit perfectionem ratione duntaxat fundamenti, at non ratione ſui. Sed

Contra. Deus eſt etiam ſummè perfectus, quia ſummè unus, ideſt ejus ſummam ad perfectionem conducit etiam (ſunt enim & aliæ ſummæ perfectiones) ejus ſumma unitas: ergo unitas ratione ſui dicit perfectionem. Ant. liquet ex dictis. Conſeq. exacta, quemadmodum foret exacta iſta *paries diſgregat viſum quia eſt albus: ergo albedo formaliter ut quo diſgregat, viſum.*

Aliæ impugnationes apud Maſtrium ubi ſupra num. 46.

Reſpondes 3. cum Mayrone, quòd etiam negatio, & privatio quando ſunt negationes, aut privationes alicujus imperfectionis, dicunt perfectionem. Et ſic, inquit Averſa, poteſt dici ſimpliciter perfectio negativa, quia melior eſt ipſa, quàm imperfectio, quam negat, aut privat. Sed

Contra, Tum quia ſolutio iſta ruit per jam dicta, quoniam negatio eſt nihil. Tum quia negatio eſtò poſſit perfectionem dicere ratione illius perfectionis, in qua ſundatur, & cui opponitur imperfectio illa, non tamen ratione ſui V. G. negatio hinnibilis in Homine dicit perfectionem ratione riſibilitatis, cui adverſatur hinnibilitas. Vidimus autem contra Suarez, unitatem dicere perfectionem ratione ſui.

Aliæ oppugnationes apud Maſtrium ubi ſupra num. 47.

5 Quò ad 2 p. nimirum adverſus Scotiſtas, quòd tale poſitivum non diſtinguatur formaliter ab ente, & adverſus Avicennam quòd non diſtinguatur realiter, palam fit per dicta q. antegreſſa 7. num. 6.

6. Quò ad 3. p. nimirum quòd etiam connotatio negationis, ideſt negatio connotata importetur formaliter eſſentialiter ab uno, antequam probetur, recole quòd nuper num. 4. adverſus Arriagam ſcripſi, nimirum nos hìc loqui, non de negatione identitatis cum alio, ideſt diviſione ab alio (quoniam hæc, ut prægreſſo art. conſpeximus, de ſecundariò duntaxat importatur ab *uno* & primariò ab *aliquid*) ſed de negatione diviſionis in ſe, ideſt de indiviſione in ſe. Quo ſuppoſito

Prob. Abſque tali Indiviſione, ſive negatione diviſionis in ſe non habetur formaliter unum; quemadmodum abſque relatione habetur duntaxat fundamentum relati, non verò eſſe relatum formaliter: ergo negatio illa formaliter eſſentialiter petitur ab uno.

Quia tamen nihil poteſt æquè primò conſtare ex poſitivo, & negativo, idcircò dicitur in recto importari negatio connotata, hoc eſt negationis connotatio; quæ connotatio eſt quid poſitivum, nimirum ipſum ens ut connotans. Importatur tamen etiam ipſa negatio ut actu connotata, ſaltem per ſe loquendo: Quicquid ſit, num interdum per accidens poſſit actu non haberi.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

7. ARg. 1. probando, quòd unum nec explicitè diſtinguatur ab ente. Illud quò ad explicitum diſtinctum ab unitate eſt unum: ergo unitas ab illo non diſtinguitur.

Digitized by Google

Prob. ant. Quicquid eſt in Titio eſt unum diſtinctum ab omni eo, quod eſt in Sempronio; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. eſt unum per ſeipſum, & *ut quo*, nego, *ut quod*, & per unitatem *ut quo* ſe habentem, concedo. Quemadmodum paries eſt albus per albedinem.

Si autem concipiatur ens non tantùm ut diſtinctum, verùm etiam ut ſejunctum ab unitate, & nullatenus ea affectum, erit unum negativè, at non poſitivè, ut infra dicetur num 9.

Nec obeſt id, quod opponit Arriaga, nimirum quòd forma eſtò det effectum formalem, non tamen unitatem, vel pluralitatem, V. G. albedo non dat pluralitatem ſubjecto, cùm ſubjecta etiam pro priori ad illam poſſint eſſe unum, vel plura.

Non, inquam, obeſt. Id namque verum eſt de forma, quæ non eſt ipſa unitas, & diſtinctio, ut eſt albedo; at non de forma, quæ eſt ipſamet unitas, & diſtinctio. Et retorqueo arg. Forma, quæ eſt ipſemet albedo dat eſſe album: ergo pariter forma, quæ eſt ipſamet unitas dabit eſſe unum.

8. Arg 2. contra 2. p. & contra ſecundam rationem, quia nempe etiam pluralitas, nimirum Trinitas Perſonarum, in Divinis dicit perfectionem.

Verùm ad hoc habes per dicta num 4. nos loqui de perfectione abſoluta. Vid. ibi

9. Arg. 3. contra eandem 2. p. ex Guerinois. Non ſunt multiplicanda entis ſine neceſſitate; ſed nulla extat neceſſitas addendi quid poſitivum enti, ut fiat unum: ergo &c. Prob. min. Poſita ſola indiviſione in ſe, & diviſione à quolibet alio, eſſet unum: ergo &c.

Reſp. ad hoc arg. (quod illud idem eſt, quo Scotiſta utitur ad probandum, ſubſiſtentiam ſitam eſſe in aliquo negativo) nego min. Neceſſitas namque liquet per dicta §. 2. Ad prob. diſt. eſſet unum negativè, concedo, poſitivè, nego ant. & conſeq. Sicut ſola poſita negatione communicationis in natura ſine poſitivo ſubſiſtentiæ natura eſſet per ſe duntaxat negativè. Ita &c. Cum hac differentia, quòd negatio communicabilitatis, ceu negatio auferibilis à natura, fundatur in aliquo realiter diſtincto à natura, nimirum in ſubſiſtentia realiter diſtincta. Negatio autem diviſionis in ſe tranſcendens, ceu ratione tranſcendentiæ inauferibilis ab ente, fundatur in aliquo, non realiter, ſed duntaxat virtualiter explicitè diſtincto.

Præterea, nego ſuppoſitum illius ant. nimirum, quòd poſſit in ente poni illa negatio abſque illo poſitivo, cùm iſtud poſitivum ſit idem realiter cum ipſo ente, ſolùmque explicitè ab ipſo diſtinctum, adeoque inauferibile. At quia arguens ſuppoſitionem facit impoſſibilem, idcircò prima erit ſolutio tenenda.

Contra. Ad hoc, ut ſit unum poſitivè non indiget aliquo poſitivo: ergo &c. Prob ant. Si aliquo indigeret poſitivo daretur proceſſus in infinitum: ergo &c. Prob. ant. Etiam hoc poſitivum additum foret unum poſitivè: ergo per aliud ſuperadditum, & iſtud per aliud, &c. Ant. eſt conſpicuum. Non enim eſt major ratio de illo, quàm de iſto.

Reſp. ad hoc, quod eſt fundamentum Du Hamel, nego ant. Ad prob. nego ant. Ad prob. primodùm diſt. ant. eſſet unum poſitivè *ut quo*, concedo, *ut quod*, nego ant. & conſeq. Id autem *quo* non indiget alio *quo*, ſicut actio non indiget alia actione, lux alia luce, &c.

Adde, quòd hoc arg. urget etiam Adverſarios. Nam illa negatio foret una, & non plures: ergo una per aliam negationem, & iſta per aliam, & ſic in infinitum.

Contra. Licèt in terminis non tranſcendentibus id *quo* non prædicetur *ut quod*, & è converſo, benè verò in tranſcendentibus, ut docet S. Th. q. 21. de ver. art 4. itaut non ſolùm dicitur ens eſt unum, verùm etiam ens eſt unitas, nec ſolùm unitas eſt entitas, verùm etiam unitas eſt ens; ſed ens eſt unum *ut quod*: ergo & unitas, quæ foret illud poſitivum, eſſet unum & *ut quo*, & *ut quod*, adeoque &c.

Reſp. diſt. ant. quò ad implicitum, concedo, quò ad explicitum, nego. Vide q. prægreſſa 7. art. 1. num. 8.

9. Arg 4. contra eandem p. Unum opponitur contradictoriè diviſo; ſed diviſum, quod eſt extremum hujus oppoſitionis, eſt formaliter poſitivum: ergo indiviſum erit extremum formaliter negativum. Cùm ergo hoc indiviſum ſit unum, jam &c.

Conf. Unum juxta D. Th p. p. q. 5. art. 2. in corp. & ad 4. opponitur privativè multitudini; ſed multitudo dicit formaliter quid poſitivum, cùm nil aliud ſit, niſi replicatio entitatum: ergo unum formaliter dicit ſolam diviſionis privationem.

Urg. Pluralitas, ſive multitudo plus, vel ſaltem non minùs, dicit, quàm unum, ſive unitas, ut naturæ lumen oſtendit; ſed ſi unitas in poſitivo ſita foret plùs importaret unitas, quàm pluralitas: ergo &c. Prob. min. Pluralitas importaret de formali carentiam illius poſitivi, in quo ſita foret unitas; ſed poſitivum plus importat, quàm ejus carentia: ergo &c. Prob. maj Unitas & multitudo privativè opponuntur; ſed privativa oppoſitio eſt inter poſitivum, & ejus carentiam: ergo &c.

Hoc arg celebrem illam advocat controverſiam, quam cæteri diſcutiendam mittunt ad q. ſequentem. At nos quoniam opportuna ſeſe offert occaſio, hic eam explanabimus. Igitur

Scito, quòd Scoti gregales arbitrantur, diſtinctionem, ſeu diviſionem pro formali ſitam eſſe quandam in relatione, ut videre eſt præſertim apud Maſtrium hic diſp. 6. q. 7. n. 146, Quod idem dicunt de poſitivo unitatis.

Verùm oppoſitum ſentiunt reliqui DD. & meritò, Tum quia ante cujuſcunque relationis conceptum æquè benè concipitur, quòd unum non ſit aliud, ſeu, quod idem eſt, ſit ab alio diſtinctum, non modò fundamentaliter (ut ex Mayrone reſpondet Maſtrius num. 151.) ſed & formaliter, quoniam, ut in Logica conſpeximus cum Ariſt. unitas, & numerus, ideſt unitas, & diſtinctio inter relationis fundamenta communiter percenſentur: ergo diſtinctio ſive diſtinctum formaliter non eſt ipſa relatio, ſed eſt ejus fundamentum. Si autem diſtinctio foret relatio, jam ipſa diſtinctio formaliter eſſet fundamentum diſtinctionis. Cùm ergo fundamentum antevertat fundatum, jam intelligetur unitas, & diſtinctio priuſquam relatio.

Qua ex re habes, quòd nos non negamus, in diſtinctione intervenire relationem, ſed negamus, diſtinctionem pro formali eſſe relationem.

Tum quia ſecùs Deus diceretur relatus ad creaturas, quemadmodum diſtinctus realiter ab illis extat. Et quidem relatus, non tantùm per terminationem extrinſecam relationis creaturarum ad ipſum, ſed per relationem realem formalem ſuipſius ad illas; quia non ſolùm creatura ratione ſui diſtinguitur à Deo, verùm etiam Deus ratione ſui realiter à creatura diſtinguitur, ita ut inter Deum, & creaturam mutua extet realis diſtinctio.

Item foret relatus relatione prædicamentali, & non ſolùm tranſcendentali; quia (ut in prædicamentis conſpeximus) communiter cum Stagyrita inter relationis prædicamentalis fundamenta ſupputatur unitas, & numerus, nimirum unitas, & diſtinctio.

Si quis hic ſe opponat dicendo, quòd hoc incommodum non evitatur à nobis; quoniam cùm diſtinctio fundet relationem, jam ubi adeſt diſtinctio, ibi aderit relatio, quæ ad fundamentum ſequitur; ſicque cùm in Deo extet diſtinctio à creaturis, relatio quoque ad creaturas in eo extabit.

Hanc nos oppoſitionem facilè diluemus dicendo, quòd quoties quidpiam conſecutivè ſe habet, & non de formali, poteſt non præſtari ex ineptitudine ſubjecti; ſecus autem quando eſt quid de formali ſe habens, adeoque ſi diſtinctio foret formaliter relatio non poſſet in Deo ſtare diſtinctio à creaturis ſine relatione ad illas; ſecùs Deus eſſet, & non eſſet à creaturis diſtinctus. Eſſet, ut ſupponitur, & non eſſet, quia non eſſet relatus, cum eſſe diſtinctum foret eſſe relatum, & diſtinctio foret relatio.

Satius ergo dicendum reor, ſicut de entitate diximus, diſtinctionem dicere quid poſitivum explicitè ſuperadditum enti, ſed & ipſam negationem eſſentialiter formaliter importare, licèt minùs principaliter, nimirum ipſam entitatem ut fundantem negationem identitatis cum alio, cùm diſtinctio definiatur, quod ſit *Carentia identitatis*.

Ratio contra Hurtadum, & alios, volentes, ſitam eſſe in ſola negatione, eſt, quia & diſtinctio eſt entis proprietas. Tum quia diſtinctio, quæ eſt mera negatio, verſatur etiam inter ens, & nihil, & compellatur diſtinctio negativa: ergo diſtinctio quæ verſatur inter duo entia poſitiva, quæque poſitiva dicitur, debet quid plus pro formali dicere ultra puram negationem. Tum denique quia diſtinctio, ut diximus, poteſt fundare prædicamentalem relationem, quæ certè quid poſitivum eſt. Nequit autem pura negatio, quæ nihil eſt, fundare quid poſitivum.

Aſt non levis hic ſe ſe offert difficultas. Quoniam unitas,

tas, & diſtinctio nequeunt idem pro ſui conſtitutivo ſortiri; ſed per nos idem poſitivum ut fundans negationem diviſionis in ſe foret conſtitutivum unitatis, & ut fundans negationem identitatis cum alio eſſet diſtinctionis conſtitutivum: ergo nequit hoc poſitivum eſſe diſtinctionis conſtitutivum. Prob. maj. Unitas, & diſtinctio ſunt invicem oppoſitæ: ergo &c.

Facilè tamen enodatur diſtinguendo maj. Idem eodem modo ſe habens, concedo, idem oppoſito modo ſe habens, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Oppoſito enim modo ſe habet ut fundans unam, ac ut fundans aliam. Pro quo vide quæſt ſequenti art. 1. §. 3. n. 3.

Sed adhuc roborari potiùs videtur, quam enervari difficultas. Siquidem nequit idem oppoſito modo ſe habere ſimul, quia nihil opponitur ſibi ipſi: ergo corruit ſolutio.

Verùm haud ita res ſe habet. Nam diſt. ant. idem circa idem concedo, idem circa diverſa, nego ant. & conſeq. Etenim circa diverſa ſe habet oppoſito modo, nimirum circa ſe, & circa alia. Circa ſe fundat negationem diviſionis, ideſt indiviſionem in ſe: circa verò alia fundat negationem identitatis cum alio.

Hæc omnia benè hactenus cohærent. Nihilominùs alia ſeſe offert difficultas. Siquidem diſtinctio, ſive diviſio ab alio, idem perinde eſt, ac *Aliquid* ut art. 2. q præced. conſpeximus: ergo nequit eſſe diſtinctio.

Hanc quoque pari enodabimus facilitate. Dato ant. nego conſeq. Etenim diſtinctio idem penitùs eſt, ac *Aliquid*, quod dicit, eſſe ab alio diſtinctum. Diſtinctio autem non facit, niſi diſtingui ab alio, cùm nihil diſtinguatur à ſeipſo.

Id parùm arridere nonnullis etiam inter Noſtrates deprehendo, præſertim in autographis, Tum quia *aliquid* importatur ſaltem de ſecundariò ab unitate, ut perſpeximus q antegreſſa art. 2. Nequit autem diſtinctio etiam de ſecundariò ab unitate importari; quia nihil poteſt etiam de ſecundariò importare quid ſibi oppoſitum. Diſtinctio autem unitati adverſatur, ut hic ſumitur unitas pro identitate & non pro unione, quemadmodum diviſio hic pro diſtinctione ſumitur. Tum quia in ſententia probabili *Aliquid* eſt una ex proprietatibus entis ab unitate diſtincta. Tum quia eatenus unitas, & aliqualitas important formaliter ens cum negatione diviſionis in ſe, & identitatis cum alio, quatenus ens eſt de illis prædicabile in abſtracto ſumptis, & hæc ſunt prædicabiles de ente. At diſtinctio licèt queat in concreto de ente prædicari dicendo *ens eſt diſtinctum*, & è converſo; non tamen poteſt prædicari ſumpta diſtinctione in abſtracto; non enim valet *ens eſt diſtinctio*, & è converſo.

Diſplicere autem nemini debet. Quandoquidem dicta motiva ex adverſo nihil ſunt. Non primum, quia etiam diſtinctionem dicimus, importari de ſecundariò ab unitate, cùm unitas definiatur *indiviſio in ſe*, & *diviſio* ideſt diſtinctio *à quolibet alio*, & unum definitur *indiviſum in ſe*, & *diviſum à quolibet alio*. Ad impugn dicimus, quòd licèt nihil importare queat id, quod eſt ſibi oppoſitum, in eo, ſive circa id, in quo opponitur; benè verò in eo, ſive circa id, in quo ſibi non opponitur. Unitas autem importat de ſecundariò diſtinctionem ab alio, non à ſeipſo. Opponeretur autem ſi illam importaret circa ſe, ideſt ſi importaret diſtinctionem in ſe.

Item dico, ut ſupra de *Aliquid*, quod diſtinctio eſt proprietas diſtincta inadæquatè ab unitate.

Nec quicquam curamus de opinione illa, quæ dicit, *Aliquid* eſſe proprietatem adæquatè diſtinctam ab unitate. Non, inquam, quia eſt duntaxat probabilis, nec iſta, quam modò propugnamus eſt communis. Ob idque conciliare eam non tenemur. Dicere ni malueris, pleroſque illius ſententiæ velle, quòd utraque, unitas nimirum, & diſtinctio in ſolo negativo, ideſt in ſola negatione pro formali ſitæ ſint.

Neque ſecundum motivum officit. Nam dicimus, quòd nec *Aliquid* poteſt in abſtractu de ente prædicari, aut è converſo dicendò *ens eſt aliqualitas*, aut *aliqualitas eſt ens*; ſicut nec dici valet *ens eſt diſtinctio*, aut *diſtinctio eſt ens*. Niſi fortè concipiatur aliqualitas ad modum cujuſdam poſitivi. Quod eſſet facere ens rationis, cùm *Aliquid* ſit idem, ac ab alio diſtinctum, & aliqualitas idem ſit, ac diſtinctio ab alio, ſive non identitas cum alio.

His habitis facilè ſolvitur arg. propoſitum cum ſuis conſ.

Reſp. enim ad arg. nego, vel diſt. maj. quantùm ad id, quod dicunt de connotato, tranſeat, quantum ad id; quod dicunt in recto, nego maj. & data min. nego conſeq. Oppoſitio enim contradictoria incomplexa, ideſt rerum, eſt inter ens, & nihil, inter poſitivum, & negativum. Tam autem diſtinctio, quàm unitas quò ad id, quod dicunt in recto, ſunt quid poſitivum, ut nuper vidimus. Dixi *tranſeat*, quia, ut diximus, oppoſitio contradictoria eſt inter ens, & non ens. Connotatum autem unitatis, & diſtinctionis eſt non ens, nimirum illa negatio, vel privatio.

Ad Conf. Reſp. S. Th. velle, quòd opponantur ex parte connotati latè privativè, quatenus oppoſitio, quæ eſt inter unitatem, & diſtinctionem, eſt nonnihil major, quàm inter contraria, quæ ſaltem in gradu remiſſo poſſunt ſtare ſimul. Nullo autem modo ſtat, aliqua eſſe diſtincta, & identificata eo modo, quo ſunt idem. Eapropter idem S. D. 10. Meth. lect. 4 oſtendit, unum, & multa opponi contrariè. Oppoſitio autem contraria eſt inter extrema poſitiva. De quo videri poteſt Blaſius hic diſp. 21. q. 3. & Zuchi q. 6. art. 4.

Ad id, quo urgetur, tranſmiſſa maj. nego min. Ad prob. nego ant. quia (ut vidimus) etiam pluralitas, ſive diſtinctio quid poſitivum in recto dicit. Dixi *tranſmiſſa maj.* quia pluralitas plus dicit duntaxat materialiter, & extenſivè, at non formaliter, & intenſivè quò ad formale unitatis, cùm pluralitas importet plures unitates, quæ omnes æquè ſe habent in ratione unitatis.

10. Arg. 5. ad idem auth. D. Th. qui p. p. q. 6. art. 1. ad 1. *unum*, inquit, *non importat rationem perfectionis, ſed indiviſionis tantùm.* Et quodl. 10. q. 1. art. 1. ad 3. *negatio*, inquit, *diviſionis per affirmationem, & negationem conſtituit rationem unius: eſt enim unum, quod non dividitur reali diviſione, quòd ſit in eo accipere hoc, & non hoc.* Et in 1. ſent. diſt 8. q. 2. art. 1. ad 1. *in ratione æternitatis*, inquit, *eſt quædam negatio inquantum æternitas eſt unitas, & unitas eſt indiviſio*: ergo de mente S. Th. unitas ſita eſt in ſola negatione.

Reſp. ad 1. S. Th. ibi negare duntaxat, quòd unitas dicat perfectionem aliquam realiter ſuperadditam, quia realiter diſtinctum non dicit, niſi negationem diviſionis. Et quod hæc ſit S. Th. mens prænitet ex iis, quæ ibidem habet, ubi concludit, quòd *res quælibet eſt una per ſuam eſſentiam* (intellige) ut fundans negationem. Hoc autem verum minimè foret, niſi ipſa rei eſſentia, adeoque perfectio ingrederetur formale unitatis conſtitutivùm. Etenim ſola rei indiviſio non eſt rei eſſentia, eſtò unicuique rei conveniat. Dicere ni malueris, quòd S. Th. ibi ſumit unitatem quò ad ejus connotatum.

Ad 2. auth. Reſp. nihil contra nos; quia non inficiamur, quòd negatio aliquo modo congrediatur ad conſtitutionem *Unius* ſaltem ut connotata eſſentialiter.

Ad 3. Reſp S. Th. velle, quòd unitas ſit indiviſio inſpecta unitate quò ad id, quod in ea notius eſt, nimirum quò ad ejus connotatum, quod eſt negatio. Et quòd hæc ſit germana S. Th. mens ex eo perſpectum eſt, quod dicit, æternitatem eſſe unitatem. Si namque vellet, unitatem eſſe ſolam negationem, dicendo, quòd æternitas eſt unitas, vellet, quòd æternitas foret negatio. Hoc autem quis ratum habeat?

§. IV.

Solvuntur argumenta contra 2. & 3. p. Concluſionis parata.

11. ARg. 6. adverſus 2. p probando, illud poſitivum, quod unitas ſuperaddit enti eſſe formaliter ab ente diſtinctum, argumentis adductis, & ſolutis q. prægreſſa 7. art. 1. num. 7. & loco ibi appellato, & num. 8. ibidem.

Reſp. ſatis ea ibi fuiſſe diluta. Illò adeas.

12. Arg. 7 ad idem argumentum, cui potiſſimùm fidit Maſtrius. Ens non eſt formaliter unitas, nec è contra: ergo &c. Prob. ant. Ens ſecundùm ſe eſt indifferens ad eſſe unum, vel plura; ſed unitas, & unum non eſt ita indifferens, eſtque determinatè unum: ergo &c.

Conſ. Ens dividitur in unum, & multa; ſed unum

membrum; ſi non realiter, ſaltem formaliter diſtinguitur à toto: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. diſt. maj. ens abſtractivè inſpectum, concedo, concretivè ſumptum, nego maj. & data min. nego conſeq. Ex quo ſolum ſequitur diſtinctio per intellectum. Præterea diſt. etiam min. ex D Th. p.p. q. 11. art. 1. ad 2. unitas ſive unum concretivè ſumptum non eſt indifferens ad eſſe unum vel plura, quæ non ſint plures unitates, concedo, quæ ſint plures unitates, nego min. & conſeq. Multa namque ſunt plures unitates. Ob idque ſcripſi num. 8. quòd quælibet unitas cùm dicat de ſecundariò diviſionem ab alio, dicit pluralitatem vel actualem, vel ſaltem aptitudinalem quantùm eſt de ſe, caſu quo toto in Univerſo una duntaxat extaret, & non extarent, nec forent poſſibiles aliæ.

Ea ex re habes ad Conf. Ens namque duntaxat abſtractivè inſpectum dividitur in unum, & multa. Nam poſtquam eſt in re jam eſt vel diviſum, vel unum. Præterea diſt. maj dividitur in unum, & multa, quæ ſunt plures unitates, concedo, ſecùs, nego maj. Demum diſt. min. quando diviſum non eſt tranſcendens, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Quod namque eſt tranſcendens, ut eſt ens, poteſt ita dividi ſolummodo ſecundum ſuum inadæquatum conceptum, at non ſecundùm adæquatum ſuum conceptum, quia ſecundùm iſtum omnia claudit.

Et hoc altè in animum deſcendat tuum, quòd argumenta iſta ſolitò formaliſtarum probant diſtinctionem non ſolùm formalem, verùm etiam realem, quia ens eſt indifferens ad eſſe etiam realiter unum, & multa. Item realiter ens dividitur in unum, & multa.

13. Arg. 8. ad idem. Unum eſt in genere determinato quantitativo, quia numerus, qui ex unitatibus conſtat, eſt ſpecies quantitatis; ſed ens, ceu cuncta tranſcendens genera, non eſt in genere determinato quantitatis: ergo ens diſtinguitur ex natura rei ab uno.

Reſp. ad hoc arg probans iterum diſtinctionem realem, cùm unum ſit realiter in quantitatis prædicamento, diſt. maj. unum in linea ſpeciali, concedo, in linea tranſcendentali, nego maj. & conceſſa min. nego conſeq. Solutio nitet ex dictis num. 1. Unum namque tranſcendentale, ceu tranſcendens, non aliter, ac ens, per omnia divagatur genera.

14. Arg 9. in favorem Avicennæ probando, quòd unum diſtinguatur realiter ab ente. Indiviſio realiter diſtinguitur ab ente, cùm negatio, qualis eſt indiviſio, quæ eſt diviſionis carentia, nequeat realiter cum poſitivo eſſe idem; ſed indiviſio, quamquam per negationem explicetur, eſt quid poſitivum: ergo unum ſuperaddit realiter enti quid poſitivum. Prob. min. Indiviſio eſt quædam negatio diviſionis; ſed negatio diviſionis non poteſt non eſſe quid poſitivum: ergo &c. Prob min. Negatio diviſionis eſt negatio negationis, cùm diviſio ſit negatio quædam, ut habet S. Th. q. 9. de pot. art. 7. ubi inquit, quòd multitudo addit ſupra ens duas negationes; ſed negatio negationis eſt quid poſitivum, cum duæ negationes affirment: ergo &c.

Reſp. primitèr, quod ſi eſt quid poſitivum, jam non ampliùs *viget* motivum talis diſtinctionis petitum ex eo, quod negatio nequeat poſitivo fieri idem. Præterea, nego min Ad prob. nego iterum min. cujus ad prob. diſt. maj. eſt negatio negationis tantùm, nego, negationis ſimul, & entitatis, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Cùm etenim ut num. 9. conſpeximus, etiam diſtinctio quò ad rectum ſita ſit in aliquo poſitivo, Idcircò indiviſio negando diviſionem, negat non ſolùm negationem, verùm etiam entitatem ut fundantem diviſionem in ſe. Et ſic interpretandus Angelicus venit.

15. Arg. 10. contra 3. p. probando, quòd nullatenus unitas dicat negationem. Unitas importat indiviſionem; ſed iſta non eſt negatio: ergo &c. Prob. min. Indiviſio eſt affirmatio: ergo &c. Prob. ant. Negatio negationis eſt affirmatio; ſed indiviſio eſt negatio negationis, nimirum negatio diviſionis, quæ eſt negatio identitatis; ergo &c.

Ad hoc habes ex nuperrimè dictis. Undè nego min. Ad prob. nego ant. cujus ad prob diſt. maj. ſi ſit negatio negationis tantùm, concedo, ſi ſit negatio negationis ſimul, & entitatis, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq.

Si Quis regulam generalem habere avet, quando negatio eſſentialiter ab aliquo importetur; dicerem, hanc eſſe, nimirum quoties negatio ingreditur definitionem rei, à qua negatio importatur.

QUÆSTIO NONA
De Ente diſtincto.

PErſpeximus antegreſſo art. num. 8. diſtinctionem ſitam eſſe, non in ſola negatione, ſed in aliquo poſitivo quò ad rectum.

Definitur diſtinctio *carentia identitatis* tanquam per quid notius per ipſam negationem. Nec tamen committitur hac in definitione circulus vitioſus, licèt etiam identitas, ſeù unitas definiatur, quòd ſit *carentia diſtinctionis*, ſive *diviſionis*. Non, inquam, quia ſunt circa diverſa, non circa idem. Quandoquidem carentia diſtinctionis in unitate eſt circa ſe nimirum in ſe: definitur enim unum *indiviſum in ſe*, & *diviſum à quolibet alio*, ut fusè loco nuper appellato diſplicatum eſt.

Quotuplex ſit diſtinctio dictum eſt in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 4. num. 3. Illò adeas ut brevitati ſtudeamus.

Potiores controverſiæ, præſertim circa diſtinctionem formalem Scoticam in creatis, & circa virtualem abſolutè, ſive præciſiones objectivas abſolutè, ibi expedivimus. Tres duntaxat ſuperſunt. Una circa diſtinctionem modalem, altera circa diſtinctionem formalem in Divinis, & tertia circa diſtinctionem virtualem intrinſecam.

ARTICULUS PRIMUS.

Num ſint admittendi modi realiter diſtincti à rebus, adeoque diſtinctio realis modalis.

§. I.

1. TAlem, ac tantam modi vocabulum varietatem præſefert, quod vix valeat una definitione figi.

Modus itaque ex loquendi uſu ſumi multiformiter conſuevit. Interdum ſumitur pro munere rei, quæ dicitur diverſimodè ſe gerere, aut ſe habere ex munerum diverſitate, ſicut nos q. & art. præcedenti ſub num. 8. dicebamus, quòd eadem entitas oppoſito ſe habet modo ut fundans unitatem, ac ut fundans diſtinctionem. Interdum quadam pro proportione inter aliqua, prout idem eſt, ac *ad inſtar*, ſicut plerumque dici conſuevit, quòd aliqua eodem modo ſe habent, V. G. quod Anima ſeparata intelligit ad modum Angelorum. De quo S. Th p. 1. q. 40. art. 1.

Hic autem non ita ſumitur modus, ſed pro eo, quod determinationem aliquam affert ei, cui ineſt. Sed & prout ſic plures ſubit acceptiones. Nonnunquam ſumitur latè pro omni eo, quod rem determinat ad aliquam eſſendi rationem. Et hoc pacto non tantùm accidentia, ſed, & forma, ac differentia eſſentialis dici queunt modi; quia ad quandam determinant rationem. Aliquando pro mediocritate quadam, id eſt ſtatu medio inter extrema. In quo ſenſu de-

Digitized by Google

ſu definitur ab Auguſtino 4. ſuper Geneſim ad litt. cap. 3. quòd *modus eſt, quem menſura præfigit*. De quo S. Th. p. p. q. 5. art. 5.

At neque ſic ſumitur impræſentiarum modus, ſed nomine modi ut diſtincti à re venit minima quædam entitas, intrinſeca quidem ſubjecto, non tamen ejus ad eſſentiam ſpectans, ſed duntaxat ad exercitium latiſſimè, & impropriè dictum, aut terminationem, ita ſubjecto affixa, quod ſine illo intelligi nullatenus poteſt, ut ſeſſio, ambulatio, quæ ſunt præcisè quidam motus, & non actio propriè: vel punctus reſpectu quantitatis, exiſtentia reſpectu eſſentiæ, &c. Nomine verò rei venit inſigulor quædam entitas, quæ vel non eſt ſita in mero exercitio agendi, ut calor, frigus, & id genus, quæ non ſunt ſita in ipſa actuali frigefactione, aut calefactione: nec in aliquo exercitio propriè dicto, ut eſt actio, & paſſio.

Definitio de ipſis nulla apud Scriptores invenitur, ſed duntaxat quædam per circumlocutionem, ut nuper nos fecimus, diſplicari conſuevit.

Nihilominùs ex illo D. Thomæ opuſc. 48. dicto, quòd *modus eſt adjacens rei determinatio*, definiri, ſeu potiùs deſcribi ſic poteſt: *modus eſt determinatio adjacens rei, extra rei eſſentiam, ita minimæ entitatis, ut licèt ſine eo res eſſe queat, tamen dubium eſt, num ipſe ſine re eſſe poſſit.*

Dixi in ultimis verbis *dubium eſt, num ipſe ſine re*, &c. Siquidem Goudin in Logica diſp. 2. q. 6. ſecutus forſitan Patrem Martinez, *quis*, inquit, *ſcit*, *quòd modus ſine re divinitùs exiſtere nequeat? Noſtrum non eſt, terminos præſcribere Divinæ omnipotentiæ*. Eapropter incertum extat, num poſſibilis iſta ſit non mutua ſeparatio ſalva utriuſque exiſtentia. Ob idque dictiones iſtæ non ſpectant ad modi eſſentiam, ſed ponuntur ad magis indigitandam modi exilitatem.

Et quamvis ipſe probabilius habeam, modum nec divinitùs poſſe conſiſtere ſine re, quia ſuppoſito, quòd extet modus, ut §. ſequenti probabimus) certè ſunt quid imperfectius cæteris accidentibus; ſed reliqua accidentia vix conſervari ſine ſubjecto queunt, adeout ni Fides exploratum faceret, multò pauciores forent qui id aſſeverarent, cum ex hoc tot in errores circa Euchariſtiæ Sacramentum dilapſi hæretici ſint, & ingens quoque in diſcrimen Atomiſtæ, ut conſpeximus in Logica Syntag. 4. q. 4. ergo modi nec divinitùs exiſtere à ſubjecto ſejuncti poterunt. Eò vel maximè quòd potiùs è contra dicendo, quòd à Deo fieri iſti nequeant modi adeo imperfecti, ut nec divinitùs queant ſeorſim exiſtere, eſt confinia Divinæ ponere omnipotentiæ. Nihilominùs poſui in definitione illa ly *dubium eſt*, &c. quoniam non omnibus id arridet.

2. Circa dubium in titulo expoſitum abnuunt univerſim Nominales, quibus in parte adſtipulantur PP. Societatis, quorum alii reſpuunt univerſaliter modos cunctos; alii determinatis duntaxat in materiis, nimirum de exiſtentia duratione, & id genus.

Annuit vero utraque Schola D. Thom. & Scoti. Et cum his

§. II.

CONCLUSIO.

Neceſſariò admittendi ſunt modi condiſtincti à rebus, adeoque modalis admittenda venit realis diſtinctio.

3. PRob. 1. eruendo Adverſantium fundamentum. Ideo modorum neceſſitatem execratur obverſæ opinionis vindex, quia ſi neceſſarii forent iſti modi daretur proceſſus in infinitum, V. G. Si quis ut moveatur indigeret motu, qui foret modus; ut duraret duratione diſtinctus, etiam motus ille, ut cieretur alio indigeret modo; illa duratio, ut duraret indigeret alia duratione, &c ſed cuncta hæc falſitate laborant: ergo &c. Prob. min. Non eſt novum, quòd unum *quo* non indigeat alio *quo* V. G. lux, quæ eſt id *quo* cætera conſpiciuntur, non alia indiget, qua videatur luce, color non indiget alio colore, actio non indiget alia, qua agatur actione; ergo &c.

4. Prob. 2. aliud evertendo fundamentum. Ideo improbat Adverſarius modorum neceſſitatem, imò & poſſibilitatem, quia implicat accident aliquod nec divinitùs potens à ſubjecto ſejunctum exiſtere eò quòd hoc eſſet omnipotentiæ fines præſcribere; ſed ratio iſta prorſus inanis eſt; ergo &c. Prob. min. Siquidem ut num. 1. contra Goudin ſcripſi, potiùs oppoſitum aſſeverando eſt omnipotentiam coarctare ponendo, quòd nequeat omnipotentia cudere aliquid ita minimum, quod nullatenus queat ſeparatum conſiſtere. Quod ſi ipſi ſeſe tutentur dicendo, repugnantiam ſe tenere ex parte facti; eorum erit, hanc aſſignare repugnantiam. Præterea & nos in tuto erimus dicendo, quòd repugnantia modi ad exiſtendum ſeorſim à ſubjecto ſe tenet ex parte ipſius modi, non ex parte omnipotentiæ, ſicque nullus in iſta defectus argueretur.

5. Prob. modò directè concl. ſic. Seſſio V. G. ambulatio, &c. ſunt modi recenter advenientes ſubjecto: ergo &c. Prob. ant. Subjectum de ſe eſt indifferens ad ſedendum, vel non ſedendum, ambulandum, vel non ambulandum; ſed indifferentia iſta tolli debet per modum recenter advenientem: ergo &c. Perſpicua eſt maj. Siquidem ad nullum de ſe eſt determinatum, & alligatum. Min. prob. Niſi quidpiam recenter adveniret, iſtud ſubjectum perenniter remaneret indifferens, & nunquam determinaretur aut ad ambulandum, aut ad ſedendum, &c. ſed hoc falſitatem redolet: ergo &c. Prob. maj. Idem manens idem ſemper facit idem.

Reſpondes 1. quòd determinatur à ſuis potentiis, nimirum à voluntate, aut potentia loco-motiva. Sed

Contra. Ab eis determinatur effectivè. Requiritur autem aliquid, quo formaliter tollatur indifferentia illa: quemadmodum ut tollatur materiæ indifferentia ad hanc, vel illam formam, ultra effectivum determinans extat forma intrinſecè eam determinans.

Reſpondes 2. tolli per quid extrinſecum connotatum. Sed

Contra. Indifferentia illa eſt intrinſeca, cùm ſubjectum non ſit intrinſecè determinatum: ergo debet tolli per aliquid intrinſecum. Prob. conſeq. Indifferentia ſi foret duntaxat extrinſeca, deberet tolli per aliquid ſaltem extrinſecum: ergo à pari ſi &c.

Ea ex re inſeras, haud benè loqui Scotiſtam, qui eſtò admittat modos intrinſecos, quales ſunt exiſtentia, finitudo creaturæ, & id genus, imò etiam figura reſpectu quantitatis (quamquam aliàs figura, ceu qualitas non ſit modus) tamen ſcriptitat, quòd ſeſſio, ambulatio, &c. non ſint modi.

Reſpondes demum, indifferentiam illam eſſe duntaxat denominativam, at non entitativam, non ſecùs, ac nos 1. Phyſ. q. 4. diximus de materia, & forma reſpectu unionis. Sed

Contra, Tum quia ſubjectum non eſt entitativè determinatum; ergo eſt entitativè indifferens, cùm inter indifferens, & determinatum non extet medium. Tum quia nova denominatio intrinſeca ſedentis, &c. debet ab aliqua intrinſeca forma præſtari, cùm denominatio præbeatur à forma denominante.

Ad id verò, quod de materia, & forma ſubditur, retorqueas exemplum. Siquidem indifferentia, quam habet forma ad uniri materiæ, tollitur per materiam, quæ recenter ei intrinſecè unitur; & intrinſeca indifferentia, quam habet materia ad uniri formæ, tollitur per formam, quæ ab agente ei intrinſecè applicatur, & unitur.

Aliud pro concl. ratiocinium indigitabitur num. ſequenti 6. poſt ſolutum totum primum arg.

§. III.

Diſſolvuntur Argumentationes ex adverſo ſuſſæ.

6. ARg. 1. Non ſatis à nobis dilucidatur, quid ſint iſti modi: ergo non ſatis conſtat, dari debere. Prob. ant. Modus vel dicitur quid nec divinitùs valens exiſtere ſine eo, quod afficit. Et hoc non, Tum quia, ut num. 1. conſpeximus nonnulli Thomiſtarum hoc improbant. Tum quia nec materia poteſt etiam divinitùs ſine forma exiſtere, ut nos ſcripſimus 1. Phyſ. q. 2. art. 4. §. 3. Vel quia eſt quid incompletum. Et neque hoc ſufficit, non ſolùm quia etiam forma ſubſtantialis afficiens materiam eſt quid incompletum, & tamen non eſt modus; verùm etiam quia quodcunque accidens eſt incompletum, cùm non exiſtat *ut quod* completè, ſed ſolummodo *ut qua*, ſolaque ſubſtantia ipſo accidente affecta exiſtat *ut quod* completè: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. dico, rationem modi ei competere, quod eſt accidens incompletum. Eapropter prima oppugnatio nihil urget, quia forma ſubſtantialis non eſt accidens. Ad 2. oppugnationem diſt. ant. Quodcunque accidens eſt incompletum in linea exiſtentiali, concedo, in linea eſſentiali, nego. Suam namque obtinet eſſentiam, completam, genus nimirum, & differentiam. At modi ſunt accidentia incompleta etiam in linea eſſentiali, itaut propria non gaudeant ſpecie, ſed reducantur ad ſpeciem ejus, cujus ſunt modi.

Contra. Etiam modi ſuam ſortiuntur completam eſſentiam: ergo &c. Prob ant. Inter modos ſupputatur à Thomiſta ſeſſio, ambulatio, &c. ſed iſta ſuam obtinent eſſentiam completam: ergo &c. Prob. min. Quemadmodum actio, quæ inter accidentia completa ſupputatur, & idcircò ad prædicamentum directè pertinet, definitur, quòd ſit *actus activi*, paſſio *actus paſſivi*, ita ſeſſio poteſt definiri *actus ſedentis*, ambulatio *actus ambulantis*, &c. ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob nego min. cujus ad prob. diſt ant. quò ad 2 p ſeſſio, & ambulatio ut quædam actiones ſunt poſſunt ſic definiri, concedo, ut motus ſunt, nego. Etiam namque ſeſſio, ambulatio, &c ſunt actiones quædam, quemadmodum calcari ab ambulante eſt paſſio in ſolo V G. recipere ſedentem eſt paſſio in ſic recipiente; ſtatus verò ſeſſionis nil aliud eſt, quàm quies: licèt quia minùs, quàm cæteræ actiones exprimunt de actione, ſoleant vocari modi, ceu in quibus magis ratio communis motus videatur deprehendi. Undè dicuntur eſſe modi, quatenus motus ſunt. Accedit, quòd non deſunt Thomiſtæ, cenſentes, actionem eſſe modum.

Inſt. Etiam motus ſua gaudet definitione: ergo & ſua completa eſſentia. Anr eſt exploratum. Definitur enim *actus entis in potentia prout in potentia*.

Reſp. definitionem illam eſſe quidem eſſentialem, quia datur per quid eſſentiale, tenens generis, & differentiæ locum; non tamen eſt per verum genus, & differentiam. Idcircò explicat quandam eſſentiam incompletam, at non completam; quia iſta eſt ſola ſpecies conſtans ex genere, & differentia. Motus autem nulla eſt in ſpecie, ſed reducitur ad ſpeciem ſui termini. V. G. motus localis alterationis, & augmentationis diſtinguuntur inter ſe, quia unus eſt ad acquirendum *Ubi*, alter ad qualitatem, & alter ad quantitatem majorem acquirendam.

Sic etiam exiſtentia, & figura, quæ è contra reducuntur ad ſpeciem ejus, cujus ſunt termini, ſunt modi, quia exiſtentia V G. Hominis non diſtinguitur ſpecie ab exiſtenria Leonis, niſi quia exiſtentia Hominis eſt ultimus terminus eſſentiæ Hominis, exiſtentia verò Leonis eſt ultimus terminus eſſentiæ Leonis. Idem de ſubſiſtentia dicas, idem de puncto, idem de duratione intrinſeca rei, quæ, ſi eſt diſtincta à re, cujus eſt duratio, reducitur ad ſpeciem ejus.

Idcircò modi ad nullum ex prædicamentis directè pertinent. Non ſic autem in reliquis accidentibus. Quandoquidem calor V. G. & frigus diſtinguuntur ſpecie inter ſe ratione ſui. Definitur ſiquidem calor *qualitas congregans duntaxat homogenea*, & frigus *qualitas, quæ congregat homogenea, & heterogenea* de quibus libro 2. de Gener. & Corrupt. quæſt 5. Item ſpecies quantitatis invicem diſtinguuntur, quia corpus eſt extenſio ſecundùm profunditatem, ſuperficies eſt extenſio ſecundùm latitudinem, & linea ſecundùm longitudinem.

Non me præterit, quòd non omnes conveniunt Thomiſtæ quò ad id, quod de exiſtentia diximus; quoniam nonnulli volentes, eam eſſe ſimpliciter eſſentia perfectionem, detrectant conſentire, quòd ſit modus. At nec me refugit, nec convenire in hoc noſtro dicendi modo. Eorum ſiquidem pleriſque alia incedunt via, ac dicunt, modum eſſe illum, qui nec divinitùs poteſt à re ſejunctus conſervari. Nos autem tenemur conciliare hanc communem ſententiam, at non quemcunque peculiarem dicendi modum cujuscis Thomiſtæ in particulari. Nec parum videatur ad hanc lucem adduxiſſe quæſtionem iſtam quantò breviorem tantò caliginoſiorem.

Inſt. Etiam relatio ſpecificatur à termino, potentiæ ab actibus, & iſti ab objectis; & tamen nulli ex eis comperit, eſſe modum: ergo &c.

Reſp. primitùs non deeſſe ex Thomiſtis, qui dicant relationem eſſe modum, præſertim Ortiz in Logica. Præterea diſt. ant. & aliàs relatio afficit terminum, & potentia, & actus afficiunt objecta, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Et potentia efficit, non afficit actus, modus autem afficit terminum.

Accedunt alia diſcrimina. Siquidem relativa invicem ſpecificantur, ut namque in Logica conſpeximus, unum ab altero ſpecificatur, ſaltem per ſe loquendo, licèt interdum per accidens id non habeatur in relatione non mutua, quatenus terminus non eſt capax relationis intrinſecæ, ideſt non eſt capax correferri. Modus autem ita ſumit ſpeciem à re, quòd nullatenus ei dat ſpeciem, ut in adductis exemplis de motu, figura, puncto, &c. ac de exiſtentia. Et licèt eſſentia definiatur per ordinem ad exiſtentiam; tamen perſpeximus 1. Phyſ. quæſt. 5. art. 2. §. 3. ad 1 arg. talem definitionem eſſe duntaxat deſcriptionem. Illò adeas.

Potentiæ autem circa actus; & potentiæ atque actus circa objecta vigorem quendam protendunt, eùm activitatem dicunt. Non ſic autem modus, ceu quid tenuiſſimum. Ob idque nec relatio, nec potentia, nec actus, ſive actiones dici poſſunt modi, nec etiam extrinſeci. Motus verò activitatem aliquam dicit ratione actionis, cui eſt annexus, at non ratione ſui.

Et hinc alia poteſt optima peti ratio pro Concl. Quandoquidem neceſſum eſt admittere affectiones quaſdam, quæ reducantur ad ſpeciem ejus, quod afficiunt, & nullatenus dent ſpeciem, nullamve activitatem præſeferant; ſed iſtæ non ſunt, niſi modi: ergo extant modi. Maj. perſpicua eſt in præadductis exemplis de figura, motu, exiſtenria, &c. Min. prob. Per modum intelligimus exilem quandam, ac minimam entitatem; ſed nil minutius conſiderari poteſt eo, quod ſortitur ſpeciem ab alio, & non è converſo, nullumve protendit vigorem: ergo &c.

Ex his infertur, quòd relationes, actus, ſive actiones, potentiæ, &c. licèt non ſint modi, cùm directè collocentur in prædicamento, puta relationis, qualitatis (ſi eſt actio immanens) vel actionis; & in prædicamento locum non habeant, niſi res completæ, ut conſpeximus in Logica Syntag 4 q 5. art. unico § 3. in fine. Tamen non modicam cum modis affinitatem obtinent.

7. Arg. 2. noſtram oppugnando rationem n. 5. In materia, & forma extat nova denominatio, ad quam partes antea erant indifferentes; ſed hoc non obſtante plerique Noſtrates reſpuunt modum unionis ſuperadditum: ergo &c. Item inter duas Paternitates nova extat denominatio ſimilitudinis, ad quam ſunt indifferentes; ſed hoc non obſtante Thomiſta denegat novam ſuperaddi relationem, qua dicantur ſimiles: ergo &c. Dici idem poteſt de indifferentia, quam Pater habet, ut referatur ad ſecundum filium nondum exiſtentem, quæ indifferentia tollitur naſcenti a ſecundo abſque novæ relationis adventu.

Conſ. Inter modos communiter ſupputatur dependentia creaturæ à Deo; ſed iſta non eſt modus aliquis ſuperadditus: ergo &c. Prob min. Creatura immediatè per ſeipſam, & non medio modo ſuperaddito eſt à Deo dependens: ergo &c Prob. ant. Creatura dependet à Deo quatenus ens; ſed eſt ens immediatè per ſeipſam, & non medio modo ſuperaddito, ſicut per ſeipſam eſt res: ergo &c.

Reſp ad 1. ſatis dictum fuiſſe n. 5. Illò adeas.

Ad 2. habes ex dictis in Logica, illas paternitates non fieri ſimiles inter ſe poſitivè, ſed duntaxat negativè, propter inſufficientiam relationis prædicamentalis ad aliam fundandam prædicamentalem relationem. Ob idque non poſitivè earum tollitur indifferentia, ſed tantummodo negativè. At in noſtro caſu cùm nulla adſit inſufficientia ad ſedendum, ambulandum, &c tollitur poſitivè indifferentia, fitque poſitivè determinatio.

Ad id, quod ſubdebatur Reſp. primitùs retorquendo arg. Etenim ut tollatur indifferentia Patris quò ad hoc, quod eſt ad primum referri filium, requiritur relatio realiter ſuperaddita: ergo pariter &c.

Præterea nego conſeq. Diſcrimen ſitum in eo eſt, quod Pater ſemel habita relatione, qua ad primum refertur filium, quantum eſt de ſe eſt determinatus ad ſecundum, & quòd non denominetur relatus ad ſecundum, eſt per accidens, ex defectu termini, qui non extat, at non ex defectu ſe tenente ex parte ipſius Patris, vel relationis.

Ad Conſ. nego, quòd indifferentia communiter ſupputetur inter modos. Solum namque à nonnullis, de quorum

numero

Digitized by Google

numero nos non ſumus, cenſetur modus. Nec unquam creatura præſupponitur indifferens ad dependendum à Deo, dependentia ſaltem participiali, cùm nunquam præſupponatur priùs in aliquo inſtanti exiſtens, in quo non fuerit dependens. Qui autem dicunt, fuiſſe indifferentem indifferentia nominali, dicunt determinari media exiſtentia. Qui demum dicunt, dependentiam eſſe modum, dicunt eſſe relationem prædicamentalem effectus ad cauſam, non ut cauſam; ſed ut terminum reſpicientiæ ipſius effectus inſpectam. Sunt enim iſti de numero illorum, qui cum Ortiz autumant, relationem eſſe modum. Quod nos negavimus in Logica Syntag. 4. q 5. quæſito poſito poſt. art. primam.

8 Arg. 3. Iſti modi non ſunt ſubſtantia, nec accidens: ergo nihil. Conſeq eſt exacta, quia ens dividitur in ſubſtantiam, & accidens. Ant prob. 1. quò ad p p. Si forent ſubſtantia, eſſent res, & non modus. Præterea exploratum eſt, nec motum, nec figuram eſſe ſubſtantiam. 2. quò ad 2. p. Extant modi etiam ſubſtantiales, ut exiſtentia, ſubſiſtentia, & juxta nonnullos, unio materiam inter, & formam.

Reſp. nego ant quò ad 2. p. ac dico, modos cunctos entitativè eſſe accidens. Ad prob. Reſp. ex dictis 1. Phyſ. q. 5. art. 1. §. 3. num. 14. quod ſunt ſubſtantiales terminativè duntaxat, aut virtualiter terminativè, at non entitativè formaliter; aut nec ſubſtantia, nec accidens. Lege ibi.

9. Arg. 4. Quicquid in univerſo eſt ens, quamquam minimum, eſt res: ergo &c. Prob ant. Res eſt unum ex prædicatis tranſcendentibus, imò per nos eſt ipſemet entis conceptus: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. habes ex dictis q. 7. art. 2. num. 1. Rem hic non ſumi in eo ſenſu, quo pacto quidditatem ſignificat, & ipſum eſſe, ſed quadam pro entitate inſigniori, & habente ſpeciem non ab alio, vel ſaltem non afficiente id, à quo ſpeciem habet, &c.

10. Ex dictis infertur extare diſtinctionem realem modalem, illam nimirum, qua modus diſtinguitur à re, & è converſo, vel duo in invicem modi. Quæ diſtinctio eſt verè realis, licèt non ita perfecta, ſicut entitativa.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum non tantùm à creatis, verùm & à Divinis prædicatis realiter identificatis depellenda ſit diſtinctio formalis ex natura rei Scotica.

§. I.

1. GIlberti cognomento Porretani Epiſcopi quondam Pictavienſis, & Gualterii errorem olimiam ab Eccleſia confixum in Concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. temporibus D. Bernardi, qui mentionem ejus facit ſerm. 80. ſuper Cantica, utraque Schola, Scotica nimirum, & Thomiſtica execratur. Quandoquidem Gualterius dogmatizabat, attributa Divina tum ab eſſentia, tum inter ſe diſtingui realiter. Gilbertus autem dogmatizabat, attributa invicem quidem realiter idem eſſe, at non cum Deo, ideſt cum Divino ſuppoſito, ita quòd non poſſet in abſtracto dici *Deus eſt Sapientia*, *juſtitia*, &c. ſed duntaxat *Sapiens*, *Juſtus*, &c. Idem dictitabat de relationibus, nimirum realiter ab eſſentia diſtingui. Execratur inquam infreta argumento, quo Clarevalenſis Mellifluus Gilbertum ſudit. Etenim attributa, & relationes niſi forent natura Divina, & Ipſe Deus, vel eſſent alter Deus, vel quid creatum, cùm inter creatum, & increatum nullum interjaceat medium, ſicque forent creaturæ. Præterea realis in Deo adeſſet compoſitio, quæ penitùs ſummæ Dei obverſatur ſimplicitati. Quamobrem ultra Concilium Rhemenſe, etiam Concilium Lateranenſe ſub Innoc III. cap. 2. Toletanum ſecundum, & Florentinum definit, cuncta in Deo eſſe unum realiter, ubi oppoſitio non obviat relativa. Quo præmiſſo.

2. Diſtinctionem formalem, quam fusè diſplicavimus in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 4. §. 1. adſtruit Scotus cum ſuis Gregariis tum inter attributa in invicem comparata, & ad eſſentiam, cùm inter relationes, & eſſentiam. Contra quos pleno Scholaſticorum plauſu ſit.

§. II.

C O N C L U S I O.

Inter prædicata realiter identificata in creatis, & à fortiori in Divinis, ſive inter attributa ad Eſſentiam, aut ad invicem comparata, ſive inter eſſentiam & relationes, nulla extat antè intellectum diſtinctio formalis actualis ex natura rei.

3. NOn extare in creatis perſpectum eſt ex dictis loco nuper ex Logica appellato §. 2. ubi complura ibi dicta deſervire poſſunt ad explodendam etiam à Divinis, ut num 5 & 6. & 7.

4. Non extare verò in Divinis adeo firmiter tenent DD. ut inter eos non deſit, qui arbitretur Scoti adinventum abſurdum adeo eſſe, ut in re idem penitùs ſit cum Gilberti, & Gualterii placito, ſola cum nominum diverſitate, nimirum quòd Scotus vocitet formalitates, quas illi realitates dictitabant. Sic Vaſquez p. p. diſp. 120. c. 2. qui ad id pluribus ſe pertrahi obteſtatur motivis; Nimirum primò, quia (ut etiam argumentatur Averſa eadem p. p. qu 3. ſect 4.) nec Gilbertus poſuit diſtinctionem realem, ut inter duas res, ſed duntaxat ſcriptitabat, *inter naturam, & Perſonam*, non mathematica *abſtractione*, *ſed Theologica conſideratione quoquomodo rationem dividere*. Ubi mathematicam per abſtractionem nominat diſtinctionem rationis, qua ſola utitur mathematicus abſtrahens à materia, & Theologicam conſiderationem non aliud, quam conſiderationem veræ Theologiæ, quæ non fictas, ſed veras rei conſiderationes attendit. Et vim totam facit Vaſquez illo in *quoquomodo* ideſt quovis modo. Quandoquidem hoc ipſo; quod formalis diſtinctio eſt ante conſiderationem in ſe, pertinet, aliquo modo ad Theologicam conſiderationem ut quid ex rei natura. Eapropter non evitatur illud *quoquomodo*, ſi dicatur, ideo Gilbertum appoſuiſſe ly *quoquomodo*, quia eſtò diceret, diſtingui realiter, dicebat tamen, eſſe inſeparabilia. Non juvat, inquit. Siquidem etiam dempta ſeparabilitate, dummodo locum habeat formalis illa diſtinctio, adhuc diſtinctio non ſpectat ad puram mathematicam conſiderationem, ſed ut quid ex natura rei aliquali ſaltem modo ad Theologicam conſiderationem: ergo etiam dempta ſeparabilitate, & manente diſtinctione formali locum habet illud Gilberti *quoquomodo*. Vid. Vaſquez.

Secundò, quia iiſdem, quibus Scotiſta utitur ratiociniis, & Gilbertus uſus eſt, puta quia diverſæ de unis, ac de aliis dantur definitiones, & quia contradictoria verificantur; ad quæ Thomiſta dicit, virtualem ſufficere diſtinctionem, quam nec Scotiſtæ abſolutè negant, ut videre eſt apud Maſtrium hic diſp. 6. q. 12. licèt ad iſta ſcriptitent non ſufficere contradictoria.

Et quamquam etiam nos, omneſque Noſtrates ad virtualem probandum diſtinctionem, ſive præciſiones objectivas eadem utamur ratione ex contradictoriis petita; non tamen inſiſtimus, ut Scotiſta inſiſtit, & inſiſtebat Gilbertus, quòd cùm hæc contradictoria ſint formaliter ante intellectum, debet quoque formaliter ante intellectum diſtinctio extare. Ex quo exactam per conſequentiam ſequitur, quòd ſi contradictoria ſunt realia, ſive prima, ſive ſecunda (ut Maſtrii præoccupetur evaſio) diſtinctio ſit realis: Vel ſi ad menſuram contradictoriorum ſecundorum non requiritur diſtinctio, nec formalis requiretur, licèt formalia ſint. Vide in Logica Syntag. 3. ubi ſupra art. 4. & iterum tract. 4. q. 1. art. 1. §. 2.

De bis omnibus tanquam de vitiligatione Vaſquezii contra Scotum conqueritur Maſtrius in 1. ſent. diſp. 2. quæſt. 2. Quicquid de hoc ſit, unum omittere nolui de illa ratione ex contradictoriis petita; quoniam deprehendi, quòd Maſtrius cauſam ſuam communem cum noſtra in hoc facere voluit miſcendo ima ſummis; & quod hic diſp. 6. q. 12. vitiligare non ceſſat, quòd Thomiſta abutitur virtuali diſtinctione pro tutando Trinitatis Myſterio, nimirum quòd communicetur eſſentia non communicata Paternitate, &c.

Si quis alia quædam noſſe avet, quæ indigitant, quòd Concilium Rhemenſe, Lateranenſe, Toletanum, & Florentinum omnem etiam formalem diſtinctionem explodant, adeas Godoy p. p. q 2. diſp. 2.

5. Prob.

Digitized by Google

5. Prob. 5. ratiocinio, quo omnes (ſi demas Ferre) utuntur. Deus eſt ſummè, & omnino ſimplex, ac ſimpliciſſimus omnem abjiciens compoſitionem, non ſolùm realiter, verùm etiam formaliter; ſed ſi attributa, vel relationes diſtinguerentur formaliter à Divina Eſſentia, jam Divina Eſſentia, quæ idem eſt, ac Deus, non foret ita ſimplex formaliter: ergo &c. Mej ex Scotiſtis, quos viderim, nemo inficiari eſt auſus. Quod ſi quis negare eam non vereretur, demonſtrari ſic poſſet. Deus eſt ſimpliciſſimus realiter: ergo etiam formaliter. Prob. conſeq. Ideo realiter ſimpliciſſimus eſt, quia eſt actus purus, & puriſſimus realiter; ſed etiam eſt actus purus, ac puriſſimus formaliter: ergo ſi &c. Prob. min, Ideo eſt actus puriſſimus realiter, quia eſt Deus realiter; ſed etiam eſt Deus formaliter: ergo &c. ſeu Divina Eſſentia ideo eſt ſimpliciſſime, & actus purus realiter, quia eſt Divina; ſed etiam eſt Divina formaliter, cùm ſit formaliter Eſſentia increata: ergo ſi &c. Quamobrem in Concilio Later. 3. dicitur, quòd Deus eſt ſummè, & omninò ſimplex. Ubi autem eſt ſumma, & omnimoda ſimplicitas, nulla eſt actualis à parte rei compoſitio.

Min. Prob. Si relationes, & attributa diſtinguerentur formaliter ab Eſſentia, facerent cum ea compoſitionem formalem: ergo &c. Ant. quod uno ore negent Scoti gregales Prob. dupliciter. Primò. Relationes, & attributa ſi diſtinguerentur realiter entitativè ab Eſſentia Divina, facerent cum ea compoſitionem realem entitativam: ergo pariter ſi &c. Ant. admittitur à Scotiſtis, omnibuſque Catholicis, ſecùs abſque Divinæ ſimplicitatis detrimento poſſet realis admitti diſtinctio etiam inter ea, inter quæ non verſatur oppoſitio relativa. Conſeq. prob. Quemadmodum diſtinctio realis eorum, quæ non ſunt ſeparata, dicit extrema, quæ ſunt unum, non unitate identitatis realis; ita diſtinctio formalis eorum, quæ non ſunt ſeparata, dicit diſtinctionis extrema, quæ ſunt unum unitate, non identitatis formalis: ergo ſicut prima diceret, ea eſſe unum unitate compoſitionis realis, ita ſecunda diceret, ea eſſe unum unitate compoſitionis formalis.

Quùm paritatem iſtam uni Scotiſtarum objicerem, e veſtigio reſpondit, diſparitatem eſſe, quia ſi diſtinguerentur realiter, nullam inter ſe identitatem, & incluſionem haberent. At tametſi formaliter diſtinguantur, adhuc includuntur realiter in Eſſentiam, idcircò non componunt cum illa. Sed

Contra. Si realiter diſtinguerentur, quia nullam inter ſe identitatem, ſive incluſionem obtinerent nec realem, nec formalem, nullam quoque ſimplicitatem ſortirentur nec realem, nec formalem: ergo ſi non haberent identitatem, incluſionemque formalem, nec ſimplicitatem formalem haberent. Prob. conſeq. Quemadmodum ſe habet negatio abſolutè, & generaliter ad negationem abſolutè, & generaliter, ita & talis negatio ad talem negationem; ſed ex conceſſis negatio identitatis generaliter, ideſt negatio omnis identitatis, nimirum tum realis, tum formalis, inferret negationem omnis ſimplicitatis tum realis, tum formalis: ergo pariter negatio identitatis formalis inferre debet negationem ſimplicitatis formalis. Maj. eſt conſpicua. Etenim quemadmodum negatio V. G. ſenſus generatim, & abſolutè, ideſt negatio omnis ſenſus infert negationem omnis ſenſationis, ita negatio alicujus peculiaris ſenſus, puta viſus, ſive potentiæ viſivæ, infert negationem talis ſenſationis, puta viſionis.

Prob. modò illud idem ant. à priori. Quoties aliqua uniuntur inter ſe abſque eo quod identificentur, tunc eo modo, quo uniuntur, & non identificantur, faciunt compoſitionem; ſed attributa, & relationes ſi diſtinguerentur formaliter ab Eſſentia, unirentur formaliter cum eſſentia, & non identificarentur formaliter cum ipſa: ergo componerent formaliter cum Eſſentia. Maj. præterit neminem; niſi adeo peregrinum, ut ignoret, quòd compoſitio etymologicè dicitur quaſi *cum alia poſitia*, nimirum *plurium diſtinctorum ſimul poſitia*, ſive diſtinctorum unio, nec alio modo ſunt cæteræ compoſitiones, quæ in creatis habentur. Min. quò ad a.p. eſt ipſa Adverſariorum doctrina. Siquidem quoties ex aliquibus fit unum, ea uniuntur; ſed ex Eſſentia, & attributis ac relationibus fit unum: ergo unirentur cum illa. Maj. ex terminis pateſcit. Siquidem unum conſtituitur per unionem, non ſecùs ac conjunctum per conjunctionem, idem per identitatem, &c. Min. Prob. Tum quia ex Eſſentia, & Miſericordia V. G. conſtituitur hoc totum unum *Deus miſericors*, ex Eſſentia, & Sapientia *Deus ſapiens*, ex Eſſentia, & Paternitate *Deus Pater*, &c. Tum quia perfectiones attributales communicant Eſſentiæ affectum ſuum formalem; ſed non per identitatem, Scoticè loquendo: ergo per unionem formalem. Non enim datur medium.

Reſpondit 1. Smiſing tract. 2. diſp. 1. q. 2. cum aliis Scotiſtis, concedendo, quòd faciant unum, ſed negando, quòd id faciant ſive per unionem, ſive per compoſitionem; quia illa ſolùm faciunt unum per unionem, & compoſitionem, quæ ſunt unibilia, & componibilia, quæ nimirum ſe habent per modum actus, & potentiæ. Eſſentia autem non ſe habet ut potentia, nec attributa, & relationes ut actus, aut è converſo. Ob idque faciunt unum per realem identitatem, at non per unionem, aut compoſitionem. Hæc illa eſt ſolutio, ob quam Ferre dictam omiſit rationem tanquam non penitùs convincentem, quia Scotiſtæ (inquit) reſpondent, facere unum per identitatem realem non per unionem formalem; nec dicunt uniri, ſed identificari realiter eo proportionali modo, quo nonnullorum in ſententia actio, & paſſio diſtinguuntur, & tamen non uniantur. Sed

Contra. Doctrina iſta (ultra quod non reſpondet ad noſtram ultimam prob. min.) ſeipſam interimit, & in terminis pugnat. Implicat enim, eſſe unum, & non per unionem, ſicut implicat, alique eſſe ſimul, & non per ſimultatem; aliquod eſſe lucidum, & non per lucem; aliquid eſſe idem, & non per identitatem.

Præterea eam refutat alius Scotiſtæ Maſtrius. Quandoquidem ea, quæ non ſe habent per modum actus, & potentiæ, dum faciunt unum, licèt non faciant unionem, & compoſitionem per ſe; tamen faciunt unionem, & compoſitionem per accidens, ut in lapidum acervo eſt palam; & quò magis aliqua ſunt in ultima actualitate, tantò minùs unum per ſe efficiunt: ergo ex eo, quod Eſſentia, attributa, &c. non ſe habeant per modum actus, & potentiæ, cùm aliàs faciant unum, ut conſpeximus, & ipſi annuunt, ſequitur, quòd faciant unum per aggregationem, nimirum per accidens.

Ad id, quod de actione, & paſſione ſubditus, dicetur num. 9. ad Conf. 3. arg.

Ulteriùs eam refellit clariſſimus ex noſtris quidam in autographis ſic. Si Natura à parte rei foret actu formaliter diſtincta ab attributis, jam verè ſe haberet ut potentia formaliter, licèt non entitativè reſpectu relationum, & attributorum; & hæc ſe haberent ut actus formaliter reſpectu naturæ, & Eſſentiæ, ergo formalem facerent compoſitionem. Prob. ant. Aliquid ſe habere ut potentiam formaliter reſpectu alicujus, eſt eſſe capax illius, & illud actu in ſe non habere formaliter; ſed Natura Divina ut actu diſtincta ab attributis, & relationibus eſſet capax formaliter perfectionum attributalium, quæ ipſam conſtituunt ſapientem, miſericordem, &c. & eliundè, ut formaliter ab eis diſtincta non continet ea actu formaliter licèt contineat realiter: ergo &c. Prob. maj. Eo modo, quo aliquid eſt capax alterius, & illud non continet, eſt potentia ad illud: ergo eſſe capax formaliter alicujus, & illud non continere formaliter, eſt formaliter eſſe potentiam ad eum. Prob. ant. Eſſe capax alicujus, & eum non continere, eſt eſſe potentiam: ergo eo modo, quo &c. Sicut quia Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, ideo eo modo, quo quis rem per cauſam cognoſcit, Scire dicitur.

Nec obſtet, naturam continere radicaliter attributa, & relationes. Non inquit. Siquidem inde ſolùm fit formalitatem naturæ non eſſe in potentia ad habendum attributa radicaliter, benè verò formaliter. Propterea redit arg. quia eo modo, quo aliquid, &c.

Quod palam etiam eſt in ſententia eorundem Scotiſtarum, qui profitentur, Animam diſtingui duntaxat formaliter à potentiis, & tamen facere compoſitionem, non obſtante identitate reali entitativa, & continentia radicali formalitatis potentiæ in Anima. Sic ergo pariter, &c.

Reſpondit 2. Pontius, non facere compoſitionem, quia uniuntur independenter à cauſa extrinſeca. Et ad illud reſponſum trahit aliud Scotiſtarum aliorum dicentium, non facere compoſitionem, quia ſunt quid infinitum. Siquidem infinitum non pendet ab extrinſeca cauſa.

Contra. Quæ uniuntur dependenter à cauſa extrinſeca faciunt compoſitionem dependenter à cauſa extrinſeca: ergo pariter quæ uniuntur independenter à cauſa extrinſeca

facient

Digitized by Google

facient compoſitionem independenter à cauſa extrinſeca. Quemadmodum namque illa dependenter, ita iſta independenter ab extrinſeca cauſa uniuntur.

Præterea refutat Maſtrius ubi ſupra in 1. ſent. non tamen eadem q.2. ſed q.8. Tum quia hac via poſſet Gilberti error defenſari, & Gualterii. Dicere enim poſſent præfati Authores, non facere compoſitionem realem, adeoque nec divinam lædere ſimplicitatem; quia uniuntur *realiter* independenter à cauſa extrinſeca. Tum quia formalis, & immediata ratio, quare aliquid conſtituitur ſimplex, vel compoſitum non eſt, quia ſit dependens, vel independens à cauſa extrinſeca. Cauſa ſiquidem extrinſeca producit effectum juxta iſtius exigentiam: ergo ſi effectus ſuapte natura eſt compoſitus, facit eum compoſitum, ſi ſimplex, ſimplicem. Undè ſic arguit. Si per impoſſibile materia, & forma forent realiter unitæ independenter à cauſa extrinſeca, adhuc verè totum ex eis reſultans foret realiter compoſitum, quia importaret plura realiter entitativè diſtincta, & unita: ergo pariter formalitates divinæ tametſi &c.

Contra verò id, quod de infinitudine ajebat, arguas, Tum quia infinitudo, judice Scotiſta, non præpediret formalem diſtinctionem, nec formalem unionem, ut probavimus, quia per Sapientiam conſtituitur hoc unum totum *Deus ſapiens*; ſed compoſitio ſita eſt in unione diſtinctorum, & unitorum, eo modo, quo diſtincta, & unita ſunt: ergo nec formalem impediret compoſitionem. Tum quia quemadmodum finitudo tollit ſimplicitatem, ita infinitudo compoſitionem, ut debita ſit proportio; ſed finitudo non tollit ſimplicitatem, niſi inquantum tollit identitatem: ergo è contra infinitudo Dei non tollit formalem compoſitionem, niſi inquantum formalem adimit diſtinctionem. Prob. min. Si omnes perfectiones entis finiti forent realiter, & formaliter indiſtinctæ, ens finitum foret realiter, & formaliter ſimplex: ergo &c.

Reſpondit 3. & ultimò Maſtrius, non facere compoſitionem, quia identificantur realiter identitate perfecta orta ex infinitudine, & nihil componit cum ſeipſo. Gradus autem metaphyſici (idem de Anima, ejuſque potentiis diceret) licèt ſint idem realiter, non tamen identitate reali perfecta orta ex infinitudine.

Contra, Tum quia ſolutio iſta eùm confugiat ad identificationem provenientem ex infinitudine, coincidit cum alia nuper refutata recurrente ad infinitudinem, adeoque iiſdem refutanda argumentis. Tum, & fortiùs, quia quemadmodum nihil poteſt componere cum ſeipſo, & eſſe potentiale ad ſeipſum, ita nihil poteſt diſtingui à ſeipſo; ſed illa identitas perfectiſſima realis non impedit diſtingui formaliter ab eſſentia, aut inter ſe: ergo neque impediet compoſitionem formalem. Et ratio eſt, quia etſi idem nequeat componere cum ſeipſo eo modo, quo eſt idem, benè tamen eo genere compoſitionis, quo eſt diſtinctum. Tum denique quia perfecta identitas realis entitativa non obſtat (Scoticis hærendo veſtigiis) quominus natura, & attributa ſint diſtincta formaliter: ergo neque formali obſtat compoſitioni. Prob. conſeq. Identitas, ut identitas, ceu carentia identitatis magis per ſe opponitur diſtinctioni; ſed identitas perfecta realis entitativa non obſtat diſtinctioni formali: ergo neque &c.

Cuncta incommoda iſta, dicit Scotiſta militare quoque de diſtinctione virtuali quò ad explicitum. Sed de hoc n.9. ad Conf. 3. arg. dicetur.

6. Prob. 2. alia ratione æquè efficaci. Quælibet formalitas in Deo eſt infinita formaliter, cùm ſit divina etiam formaliter; ſed non eſſet talis niſi una haberet in ſe aliam per formalem identitatem: ergo &c. Prob. min. 1. Illud non eſt infinitum, cui aliquid deeſt; ſed ſi ſapientia V.G. non diceret in ſe per formalem identitatem juſtitiam, aliquid ei deeſſet formaliter, nempe deeſſet illi formaliter Juſtitia: ergo &c. 2. Si diſtinguerentur realiter entitativè non eſſent infinitæ realiter entitativè, Tum quia deeſſet eis aliquid realiter entitativè, Tum quia ſecùs propugnari poſſet Gilberti error, & Gualterii: ergo à pari ſi &c. quia alteri earum deeſſet aliquid formaliter.

Reſpondent, ſatis eſſe, quòd formalitas quælibet ſit infinita in linea propria, V.G. Sapientia in linea Sapientiæ, tametſi non in linea Juſtitiæ.

Contra inſtant nonnulli Noſtrates. Debet formalitas quælibet eſſe infinita formaliter in tota linea entis; ſed non foret infinita in tota linea entis Juſtitia, niſi formaliter includeret Miſericordiam, quia illi deeſſet formaliter aliquod ens, quod eſt Miſericordia: ergo &c. Probant maj. Ideo debet eſſe infinita in linea Juſtitiæ, quia eſt Juſtitia divina; ſed etiam eſt ens divinum: ergo &c.

Hic tamen Thomiſtam admonitum ipſe velim, quòd Scotiſta negat maj. Dicit namque, relationes, & attributa non eſſe ens divinum, ſed duntaxat aliquid entis divini, ideſt quid pertinens ad ens divinum: non ſecùs, ac dicat, paſſiones entis non eſſe ens, ſed eſſe aliquid entis. Propterea, ne vel in minimo adigaris limites controverſiæ prætereſire ad probandum, quòd in Logica Syntag. 4. q. 5. art. 1. §. demonſtravimus, omne, quod habet eſſe ante intellectum eſſe ſimpliciter ens. Idcircò aliter

Inſtes ſic. Juſtitia V.G. debet eſſe infinita non tantùm in tota linea juſtitiæ, verùm etiam in tota linea formalitatis, & perfectionis; ſed talis non foret, niſi identificaret ſibi formaliter etiam Miſericordiam: ergo &c. Maj. eſt perſpicua. Siquidem illud non eſt infinitum in aliqua linea, cui in tali linea aliquid deeſt; niſi autem Juſtitia identificaret ſibi formaliter Miſericordiam, deeſſet illi formaliter licèt non realiter, aliquid in linea formalitatis, nempe formalitas Miſericordiæ, vel ſaltem identitas cum Miſericordia. Maj. prob. Ideo debet eſſe infinita in tota linea V.G. Juſtitiæ, quia eſt juſtitia divina, ſecùs juſtitia divina poſſet diſtingui formaliter à ſeipſa; ſed etiam eſt formalitas divina: ergo &c.

Quomodo autem hac via poſſint non diſtingui formaliter ab eſſentia relationes, cùm nec eſſentia ſit formalitas nec relationes dicant perfectionem, præſertim ſecundùm Scotiſtas; dico poſſe probari ſic. Relationes non poſſunt identificari formaliter cum cæteris formalitatibus, V.G. Paternitas, Filiatio, &c. cum Juſtitia, Miſericordia, &c. niſi identificentur formaliter cum Eſſentia; ſed debent identificari formaliter cum reliquis formalitatibus: ergo & cum Eſſentia. Min. poteſt, ut nuper, probari, quia debent eſſe infinitæ in tota linea formalitatis, eò quòd ſunt & ipſæ formalitates, judice Scotiſta, ſecùs non diſtinguerentur formaliter ab Eſſentia. Maj. verò ſic oſtenditur. Aliæ formalitates, puta Miſericordia, Juſtitia, &c. ceu de linea abſoluti non conveniunt perſonis, nimirum relationibus, niſi ratione Eſſentiæ; & idcircò ſunt cunctis perſonis communes, ſicut Eſſentia: ergo non poſſunt &c.

Reſpondent alii Scotiſtæ, ſatis eſſe ad infinitudinem etiam in linea formalitatis, quòd identificentur realiter. Sed

Contra, ut ſupra. Illud eſt finitum in aliqua linea cui aliquid deeſt: ergo eo modo, quo in tali linea ei deeſt erit finitum; ſed ſi una formalitas non identificaret ſibi aliam, aliquid ei deeſſet formaliter licèt non realiter: ergo &c. Undè id valeret duntaxat pro infinitudine reali ſalvanda.

Si denique reponant, quòd de ratione formalitatis infinitæ eſt identificare ſibi omnem formalitatem modo poſſibili.

Contra, Tum quia eſt mera principii petitio. Siquidem hoc eſt dicere, quòd ſit impoſſibile, eſſe infinitam in linea formalitatis; ſed demonſtravimus id eſſe neceſſarium: ergo &c. Tum quia poſſet hac via Gilberti propugnari error, & Gualterii.

Cuncta dicta ſic in luce ponuntur. Si Juſtitia V.G. identificaret ſibi realiter non verò formaliter omnem Juſtitiæ rationem, foret finita formaliter, ſecùs poſſet formaliter à ſeipſa diſtingui: ergo à pari &c.

§. III.

Infenſorum argumenta diſſolvuntur.

7. ARg. 1. argumento, quod iſto cum Choragio mihi quondam publico diſputatorio in Congreſſu objiciebat ex Minoritis quidam, quos de Obſervantia vocant. Datur Trinitas in Divinis: ergo inter Divinas relationes, & Eſſentiam datur diſtinctio formalis, &c. Prob. conſeq. Hoc ipſo, quod datur Trinitas, jam vera extant de Eſſentia, & relationibus contradictoria ante intellectum, nimirum quod *Pater communicat Filio eſſentiam, & non Paternitatem*; ſimiliter *uterque communicat Spiritui S. Eſſentiam & non Paternitatem, & Filiationem*, ſicut etiam quod *Eſſentia non generat, & Pater generat* ut contra Abbatem Joachim definitum eſt in Concil. Later. ſub Innoc. III. & refertur in cap. *Firmiter* de Sum. Trin. ubi

etiam contra eundem definitur, *Eſſentiam non generare, ſed Patrem*; ſed de una, eademque re nequeunt contradictoria vera eſſe ante intellectum: ergo &c.

Reſp. miſſis reſponſis Nominalium, & Neotericorum, quæ art. ſequenti §. 2. refutabimus, nego conſeq. quam & Scotiſta adigitur negare Gilberto, & Gualterio de diſtinctione reali. Lege ſub num. 4. adverſus Maſtrium. Ad prob. diſt. min. Si eadem ſit tum virtualiter, tum formaliter, concedo, ſecùs nego. Vide in Logica Syntag. 3. q 1. art. 4. §. 3. Sanè & realiter datur Trinitas, adeoque non communicatur realiter Paternitas, &c. licèt communicetur realiter Eſſentia.

Accedit, quòd etiam de una, eademque formalitate vera extant contradictoria formalia, abſque eo quòd una, eademque formalitas à ſeipſa formaliter ſecernatur, V. G. Paternitas ut formalitas eſt convenit formaliter cum filiatione, & non convenit in ratione talis formalitatis, nimirum paternitatis. Et hæc poteſt optima alia eſſe pro conclſatio. Vide in Logica ubi nuper.

Nec dicere juverit, quòd etiam nos virtualem probando diſtinctionem utimur hac ratione. Non, inquam, ut habes ex dictis num. 4. quod non inſiſtimus, ſicut Scotiſta inſiſtit, &c. lege ibi.

8. Arguunt 2. De attributis Divinis diverſæ dantur definitiones, puta Miſericordia definitur, quod *ſit ratio formalis ſublevandi alienam miſeriam*, non ſic verò Juſtitia. Item quòd de attributis formalia verificantur contradictoria. Non enim Deus per Juſtitiam formaliter miſeretur, ſed punit.

At ad hæc habes ex dictis in Logica Syntag. 3 q 1. art. 4. §. 3. eas definitiones eſſe inadæquatas, &c. Et hoc eſt aliud pro Gilberto, & Gualterio fundamentum, cùm Eſſentiam realem explicet definitio.

De contradictorijs nuper dictum eſt.

Lege in loco nuperrimè ex Logica appellato, ubi cuncta arg. poſſunt hìc aptari, ut puta quòd Juſtitia non eſt ex ſui ratione formali Miſericordia, ſecùs ubique etiam in creatis forent idem, &c.

9. Arg. 3. noſtras oppugnando ratiocinationes. Perſonæ Divinæ diſtinguuntur realiter inter ſe; nec tamen realem faciunt compoſitionem: ergo pariter &c.

Conf. Per nos diſtinguuntur virtualiter quò ad explicitum; ſed non faciunt compoſitionem quò ad explicitum; ergo pariter &c. Prob. min. Deus eſt omnino ſimplex etiam quò ad explicitum: ergo &c. Prob. Ant. Ideo per nos debet eſſe ſimplex formaliter, quia eſt Deus formaliter; ſed etiam eſt Deus quò ad explicitum: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego conſeq. Diſparitas eſt ampliſſima, Quandoquidem Perſonæ non uniuntur ſaltem ut una afficiens aliam ut ejus perfectio. Lege ſub num. 5. in 2. antecedentis probatione.

Dices. Actio & paſſio in nonnullorum ſententia diſtinguuntur, nec tamen faciunt compoſitionem: ergo pariter &c.

Reſp. diſt. ant. non faciunt compoſitionem per ſe, concedo, per accidens, nego. Et ſic ſentit opinio illa. Præterea clara eſt diſparitas, quia actio non communicat formaliter ſuum effectum formalem paſſioni, nec è contra; benè verò attributa, & relationes ſuum communicant formalem effectum naturæ, conſtituendo Eſſentiam Patrem, conſtituendo Deum juſtum, miſericordem, &c.

Ad Conf. primodùm, nego min. Ad prob. nego ant. cujus ad prob. diſt. min. eſt Deus quò ad explicitum, & aliàs quò ad explicitum exprimit totum id, quod eſt, nego, ſecùs, concedo.

Præterea data maj. & min. nego conſeq. Diſparitas eſt, quia virtualis diſtinctio ſecundùm non paucos non importat pluralitatem virtualitatum, ſed eminentiam duntaxat, virtutem, & æquipollentiam unius, ejuſdemque indiviſibilis formæ ad plura realiter diſtincta, & diſtinctioni eorum quò ad effectum verificandi contradictoria. At diſtinctio formalis pluralitatem importat formalitatum, ut formaliſta dogmatizat.

Dices. Ex eo, quod una perfectio Divina aliam non explicet, non ſequitur, non eſſe explicitè actum purum, aut eſſe explicitè imperfectam, ſecùs non foret explicitè Divina: ergo nec ex eo, quod &c.

Reſp. nego ant. quia licèt ſit explicitè Divina, non tamen exprimit totum id, quod eſt. Nec iſta imperfectio, ſive non expreſſio perfectionis derogat Deo. Non, inquam, quia provenit ex implicito exceſſu perfectionis ejus, nimirum ex eo, quod adeo excedentem perfectionem implicitè contineat quilibet ejus objectivus conceptus, ut tota exprimi nequeat.

Oppugnabis. Dum nos concipimus Juſtitiam ut à Miſericordia diſtinctam, vel concipimus illam ut Divinam, vel non. Si non, ſumus extra controverſiæ confinia, quia loquimur de Juſtitia Divina. Si ſic: ergo deberemus concipere illam ut infinitam etiam in linea formalitatis, adeoque ut identificatam cum Miſericordia. Sicque viget difficultas, quam nos §. prægreſſo 2. urgebamus contra formaliſtas.

Reſp. quod concipimus ut Divinam, ſed inadæquatè, imperfectè, & deficienter; quia Intellectus noſter, ceu finitus, ac limitatus unico nequit conceptu Divinas abſorbere perfectiones, idcirco diverſos de illis conceptus format.

10. Arg. 4. Si ratio formalis adæquata Juſtitiæ foret idem in Deo cum ratione formali Miſericordiæ, vel hoc haberet quia infinita eſt, vel ex ratione formali Juſtitiæ ut ſic; ſed propugnari neutrum poteſt: ergo &c. Min. quò ad 2. p. eſt certa, ſecùs ubique etiam in creatis identificaretur. Quò ad p. verò prob. Infinitudo non variat rationem formalem ejus, cui competit, & duntaxat perficit intra latitudinem ejuſdem rationis formalis, qua ratione quia linea non eſt ex ſui ratione formali ſuperficies, ſi extaret linea infinita non foret ſuperficies.

Reſp rationem eſſe, quia eſt infinita non ſolùm in ratione Juſtitiæ, verùm etiam in ratione formalitatis. Linea autem ſi foret infinita in ratione quantitatis foret ſuperficies, ob idque retorquetur arg.

Dices. Si per impoſſibile extaret Juſtitia Divina ſeparata à Miſericordia, adhuc foret Divina; ſed non foret tunc infinita in linea formalitatis, & perfectionis: ergo id non eſt de ipſius ratione. Ant. prob. non eſſet creata: ergo &c.

Reſp quòd foret Divina repugnanter, ideſt foret, & non foret Divina. Foret, ut ſupponitur, quia non eſſet creata, & non foret; quia non eſſet formalitas infinita. Argum. ſi quid probat, probat quoque de diſtinctione reali.

11. Reliqua arg. probantia, diſtinctionem virtualem non ſufficere ad contradictoria ſalvanda, ſolventur art. ſequenti 2. §. 3. per totum. Undè ſit

ARTICULUS TERTIUS.

Sit ne admittenda diſtinctio virtualis etiam intrinſeca tum in creatis, tum in Divinis.

§. I.

1. QUid ſit virtualis diſtinctio habes ex dictis in Logica Syntag. 3. q 1. art. 4. § 3. num 10. ad ult. oppugn. reſponſio dati ad 1. arg. eamque extare conſpeximus ibi art. 5. Impræſentiarum supereſt perveſtigare, num extet etiam intrinſecè, præcipuè in Divinis?

Quid autem ſit extrinſeca virtualis diſtinctio haud meliùs innoteſcere poteſt, quàm percenſendo modos dicendi eorum, qui eam propugnant; quod præſtabo §. ſequenti 2. refellendo eorum reſponſa.

2. Intrinſecam admittunt omnes, tum in creatis tum in Divinis, Thomiſtæ, ſi demas Godoy p. p. q. 2. diſp. 2. quò ad Divina.

Reſpuunt autem illam, admittentes ſolam virtualem extrinſecam tum in creatis, tum in Divinis, Nominales omnes, & PP. Societatis, præcipuè ſtando in creatis, licèt nonnulli eorum, & pauci cum Arriaga p. p. tom. 1. diſp 42 ſect. 1. num. 7. admittant diſtinctionem virtualem intrinſecam in Divinis; & nonnulli admittunt illam duntaxat inter abſoluta, & relativa, non verò inter abſoluta inter ſe, ut P. Eſparza.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

CONCLUSIO.

Extat diſtinƈtio virtualis etiam intrinſeca tam in creatis, tum in Divinis, nec ſolùm inter abſoluta, & relativa, verùm etiam inter abſoluta inter ſe.

3. EXtare in creatis eniteſcit ex dictis in Logica Syntag. 3. q. 1. art 5. illò adeas. Imò conſpeximus ibi, inter Gradus metaphyſicos verſari diſtinctionem, ſive præciſiones objectivas etiam penes excluſum. In Divinis autem, ſicut & in tranſcendentibus, ponimus diſtinctionem virtualem penes explicitum tantùm.

4. Quòd extet in Divinis Prob. 1. admittendam eſſe inter abſoluta, & relativa. De una, eademque re tam virtualiter, quàm formaliter, & realiter eadem nequeunt vera extare contradictoria; ſed de abſolutis, & relativis, putà Eſſentia & Perſonalitatibus, vera extant contradictoria intrinſecè: ergo aliqua extat diſtinctio intrinſeca, non realis, aut formalis, ut prægreſſo art. perſpectum eſt: ergo virtualis intrinſeca. Maj fundatur illo in univerſaliſſimo principio *quodlibet eſt, vel non eſt, ſive impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Prob. min. Verum eſt, ut prægreſſo art. 2. arg. conſpeximus, *Patrem generare, & Eſſentiam non generare: Eſſentiam communicari, & Paternitatem non communicari; Filium procedere per intellectum, & non per voluntatem; Spiritum S. procedere per voluntatem, & non per intellectum.*

Neque in tuto fueris, ſi reponas, quòd contradictoria eſtò in creatis nequeant de eadem re prædicari, benè verò in Divinis ratione infinitudinis.

Non, inquam. Etenim, quòd de eodem ſecundùm idem nequeant vera enunciari contradictoria, in illo fundatur metaphyſicali principio, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*; ſed hoc locum obtinet etiam in Divinis: ergo &c. Maj. eſt palam, quoniam contradictio, ceu affirmatio, & negatio dicit eſſe, & non eſſe. Min. prob Eo principio omnes diriguntur ſcientiæ, & in illud cunctarum reſolvuntur principia ſcientiarum; ſed etiam de Deo extat ſcientia tum naturalis, ut Metaphyſica, tum ſupernaturalis, ut Theologia: ergo &c Sanè ſemel eo ſublato principio, nihil determinatè de Deo ſciri poterit, ac myſteriis Divinis, omniſque locus præcludetur, tum cum fidelibus, tum cum infidelibus diſputandi, cùm omnis diſputatio debeat omnia illud in principium reſolvere poſſe. Et eadem facilitate, negare poſſes, quòd in Deo locum cætera obtineant principia, *dici de omni, dici de nullo: quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.*

Reſpondes 1. cum Gregorio, Granado, aliiſque Neotericis, contradictoria illa verificari duntaxat in intellectu noſtro, at non in re: Imò nec in noſtro verificari intellectu; ſed eatenus verificari in mala apprehenſione, quatenus haud benè pronunciantur. Non enim dici debet *Eſſentia non generare*, ſed *entitas, quæ eſt Eſſentia non generat*, Filius non procedit per voluntatem, &c. ſed *Filius non procedit per entitatem, quæ eſt voluntas*, &c. Et tunc propoſitiones non erunt veræ. Quandoquidem entitas, quæ eſt Eſſentia, cùm ſit entitas paternitatis generat. Item cùm entitas voluntatis ſit entitas intellectus, Filius ſi procedit per intellectus entitatem, procedit quoque per voluntatis entitatem. Sed

Contra. Doctrina hæc totum ejurat Trinitatis myſterium. Siquidem ſi ſemel Pater communicat Filio entitatem, quæ eſt Paternitas, jam Filius, & Pater erunt entitativè una Perſona; ſicut quia eidem communicat entitatem, quæ eſt eſſentia, ſunt una eſſentia. At abſit hoc. Et quemadmodum hoc, quod eſt non opponi relativè in eſſentia permittit, quòd communicetur Eſſentia, ex quo fit, quòd una ſint Eſſentia; ita hoc, quod eſt opponi relativè in Perſona faciet, quod non communicetur entitas, quæ eſt perſonalitas, ne eadem ſint perſona. Item non ampliùs diſtingueretur proceſſio Filii à proceſſione Spiritus Sancti. Eatenus namque ſecernuntur proceſſiones iſtæ, quatenus una eſt per intellectum, & altera per voluntatem.

Reſpondet 2. conſimili tamen, & penè eodem reſponſo Vaſquez p. p. diſp. 120 cap. 2. & alii cum ipſo, quòd prædicata illa nonniſi ab intellectu noſtro imperfectè Trinitatis myſterium cognoſcente affirmantur, in re autem Deo minimè conveniunt: Ob idque Deus ſeipſum ut in ſe eſt cognoſcens, non ea affirmat. Sed

Contra 1. Hujuſcemodi propoſitiones cum veritate ab intellectu affirmantur; ſed nequeunt cum veritate affirmari, niſi ita in re ſit: ergo &c. Maj eſt Fidei dogma, ſecùs propoſitiones iſtæ *Deus eſt unus in Eſſentia, & non eſt unus in Perſona* forent falſæ. Min. prob. Conceptus intellectus dicitur verus quando repræſentat rem ſicuti eſt, & dicitur falſus ex eo, quod rem aliter, ac eſt repræſentat ſeu ab eo, quod res eſt, vel non eſt, cognitio, & propoſitio; dicitur vera, vel falſa: ergo &c

Nec ſatis erit, ſi dixeris, ſufficere, quòd præbeat nobis fundamentum diſtinctionis. Non, inquam. Etenim ſi ſunt penitùs etiam virtualiter idem, jam non eſt undè fundamentum hoc præſtare queant.

Secundò, Tum quia Deus cognoſcit ſeipſum ut in ſe eſt Trinum in Perſonis, & unum in Eſſentia; ſed id non ſalvatur, niſi per hoc, quod communicetur Eſſentia, & non Perſona, ut nuper contra prægreſſum reſponſum ſcripſimus: ergo prædicata hæc vera extant in re. Tum quia, ut nuper contra Granad. & Greg. diximus; hoc modo adimitur via diſtinguendi Filii proceſſionem à proceſſione Spiritus Sancti. Uno verbo, totum evertitur Trinitatis myſterium.

Tertiò reſpond. Gabriel p. d. 2. q. 1. & q. 2. cæterique Nominales, ad Componenda præfata contradictoria ſufficere diſtinctionem ex parte connotati; ſeu ſufficere connotationem diverſorum actuum, aut effectuum. Sed

Contra 1. Connotare, & non connotare ſunt contradictoria; ſed iſta non diſtinguuntur penes alia extrinſeca connotata, ſecùs foret proceſſus in infinitum: ergo aliqua extat intrinſeca diſtinctio

Secundò. Contradictoria exigunt diſtinctionem in eo, de quo verificantur; ſed quod Eſſentia communicetur, Paternitas non communicetur, verificantur de Eſſentia, ac Paternitate in recto: ergo &c Prob. min. Paternitas in recto non communicatur, ſecùs Pater, & Filius forent una perſona, ſicut quia communicatur Eſſentia, ſunt una Eſſentia.

Tandem reſpondet Godoy p. p. quæſt. 2. diſp. 2. ſatis eſſe, quòd diſtinguantur inadæquatè & fundamentaliter. Sed

Contra. Nam jam habeo, quòd aliqua extat ſaltem inadæquata intrinſeca diſtinctio.

Prætereà nec inadæquatè Paternitas communicatur, ſecùs Filius foret inadæquatè ſaltem Pater; ſicque duntaxat inadæquatè ab eo diſtingueretur, ſolumque inadæquatè Trinitas extaret.

Contra verò id, quod dicitur de fundamentaliter jam habes ex dictis contra Vaſquez. Si namque modis omnibus etiam virtualiter ſunt idem, non eſt undè hoc nobis diſtinctionis fundamentum præbeant.

Ulteriùs non tantùm habetur fundamentum contradictionis, verùm etiam ipſa contradictio: ergo non ſufficit diſtinctionis fundamentum, ſed aliqua requiritur diſtinctio. Eapropter nos in Logica Syntag. 3 q. 1. art. 4 n. 10. ſcripſimus, quòd diſtinctio virtualis dicitur talis comparativè ad ea, quibus æquivalet, dicitur verò fundamentalis comparativè ad intellectum.

5. Quòd verò diſtinctio iſta virtualis intrinſeca extet etiam inter abſoluta invicem comparata Prob. eodem modo. Et certè jam viſum eſt, extare debere inter intellectum, & voluntatem, ut illa componantur contradictoria *Filius procedit per intellectum, & non per voluntatem; Spiritus Sanctus è contra*, &c. Intellectus autem, & voluntas ſunt de linea abſoluti.

Eveſtigiò reſpondet Eſparza cum Mauro, inde ſolùm ſequi, quòd diſtinguantur virtualiter Intellectus notionalis, & voluntas notionalis, qui ſunt de linea relativi; at non intellectus, & voluntas eſſentialis. Siquidem Filius procedit per intellectum notionalem, & Spiritus Sanctus per voluntatem notionalem. Sed

Contra ex Ferre. Intellectus notionalis non aliud eſt, quàm ipſemet intellectus eſſentialis, ut modificatus ab ipſa Paternitatis relatione: & ſimiliter voluntas notionalis nil aliud eſt, quàm ipſa voluntas eſſentialis, ut modificata in Patre, & Filio per relationem ſpirationis activæ. Nam relatio ut relatio non eſt activa, & multò minus eſt vis intelligendi, aut volendi in linea propria: ergo relatio Paternitatis conſtituit Intellectum notionalem in Patre inquantum modificat intellectum eſſentialem, eumque determinat, ut ſit

Google

principium *quo* productivum Verbi: Similiter relatio ſpirationis activæ conſtituit in Patre, & Filio voluntatem notionalem loquendum modificat, determinat, ſeu complet voluntatem eſſentialem, ut ſit principium *quo* ſpirativum Spiritus Sancti.

Tum verò ſic. Vel relatio Paternitatis in Patre indiſtinctè modificat tum intellectum, tum voluntatem eſſentialem in ratione principii productivi Verbi. Et ſimiliter relatio ſpirationis activæ modificat tum voluntatem, tum Intellectum in ratione principii productivi Spiritus Sancti. Et ſic tam benè Spiritus Sanctus, ac Filius per intellectum procedet, & è converſo; ſicque non diſtinguetur proceſſio Spiritus Sancti à proceſſione Filii; quia eatenus diſtinguuntur, quatenus una eſt per intellectum, altera per voluntatem. Vel relatio Paternitatis modificat, & determinat dumtaxat intellectum in ratione principii productivi Verbi, non verò voluntatis. Et ſimiliter relatio ſpirationis activæ modificat duntaxat voluntatem in ratione principii ſpirativi Spiritus Sancti. Et tunc jam de voluntate, & intellectu eſſentiali verificantur prædicata contradictoria, nimirum ab eadem relatione modificari, & non modificari in ratione principii productivi.

Plura alia, ſi aves, contra Eſparza lege apud Ferre p. p. agendo de attributis q. 1. § 4.

6. Prob. præterea quo ad eandem p. Etiam de attributis vera enunciantur contradictoria, puta de Miſericordia quòd indulgeat, non verò de Juſtitia, ſecùs cùm Deus quempiam per Juſtitiam punit, verum foret, quòd ei per Miſericordiam parcit.

Neque redintegrare juverit, contradictoria eſſe penes diverſos effectus.

Non, inquam, quia, ut nuper diximus, habere aliquem actum, & non habere illum, producere aliquem effectum, & illum non producere, ſunt contradictoria etiam ex parte producentis, cum productio ſe teneat ex parte producentis: ergo aliquam diſtinctionem expoſcit ex parte producentis, nimirum ex parte Dei.

§. III.

Adverſantium argumenta ſolvuntur.

7. ARg. 1. probando, non extare in creatis, omnibus argumentis ſolutis in Logica Syntag 3. q. 1. art. 5. §. 3. ad 2. arg. n. 7. Illò adeas.

8. Arg. 2. ex Oviedo ad idem arg. ibidem ſoluto. Ideo aſſeveratur diſtinctio virtualis pro componendis contradictoriis, quia æquivalet reali, ſed hoc falſitate laborat: ergo &c. Prob. min. Si ita æquivaleret poſſet quoque valere ad ſalvandum, quòd poſſet in creatis aliquid produci, & non produci, ſicut in divinis verificatur, produci V. G. Filiationem, & non Eſſentiam, ſicque poſſet quis blaſphemus contendere, quòd extet in creatis Trinitatis myſterium; ergo &c. Prob. ant. Illa per diſtinctionem realem ſalvantur; ergo ſi &c. 2. &

Reſp. ex dictis loco nuper ex Logica appellato ad 3. vel 4. arg. diſt. maj. quia æquivalet diſtinctioni reali illi, quæ extaret inter aliqua realiter diſtincta, ſed tamen connexa, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Lege in Logica loco citato n. 7.

Dices. Etiam communicari, & non communicari ſunt contradictoria verſantia inter ea, quæ connexa non ſunt; ſed hoc non obſtante hæc componuntur in divinis ſuffragio ſolius diſtinctionis virtualis; ergo regula à nobis adinventa non eſt exacta.

Reſp. diſt. maj. in creatis, concedo, in divinis nego maj. & data min. nego conſeq. Eſſentia ſiquidem, quæ communicatur, eſt ratione ſuæ infinitudinis realiter, & eſſentialiter connexa cum Paternitate, quæ non communicatur, & è contra Paternitas, quæ non communicatur, eſt ratione ſuæ infinitudinis ſic cum Eſſentia connexa.

Oppugnabis. Per nos produci, & non produci ſunt contradictoria verſantia inter ea, quæ non ſunt connexa; ſed in divinis verum eſt, produci Filiationem, & non produci Eſſentiam; ergo ſemper deficit regula.

Reſp. diſt. maj. produci, & non produci ſumpto *non produci* latiſſimè etiam pro non communicari, concedo, præſſè, nego maj. & conceſſa min. nego conſeq. Quando namque dico, quòd produci, & non produci, ſunt contradictoria verſantia inter ea quæ non ſunt connexa, ſumo ly *non produci* prout comprehendit in ſe etiam non communicari; quia intendo, non poſſe unum ſine alio ſtare ratione connexionis. Sive enim communicetur, ſive producatur unum, dum aliud producitur, ſemper habetur, quòd unum non ſtat ſine alio. Dum autem producitur filiatio, eſtò non producatur, tamen communicatur eſſentia.

9. Arg. 3. ad idem. Diſtinctio virtualis non ſufficit ad verificandum, quòd animalitas Hominis non ſit rationalitas: ergo non ſufficit ad componenda contradictoria realia.

Idem arg. poteſt fieri in Divinis, puta quòd virtualis diſtinctio non ſufficit ad verificandum, quòd Intellectus divinus non ſit realiter Voluntas divina; Item quòd Eſſentia non ſit realiter Paternitas; quòd Miſericordia non ſit realiter Juſtitia, &c.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens, non ſufficit ad verificanda contradictoria realia, quæ conſequuntur ad diſtinctionem, nego, quæ ſunt ipſamet diſtinctio, concedo conſeq. Diſtinctio namque virtualis æquivalens reali, quò ad effectum componendi contradictoria, illi æquivalet, non quò ad ea, quæ ſunt de primariò ipſamet diſtinctio, ut animalitatem Titii non eſſe rationalitatem realiter, Juſtitiam in Deo non eſſe realiter Miſericordiam, &c. Secùs cùm & ipſa ſit diſtinctio, æquivaleret ſibi ipſi, ſed ſolùm quò ad ea, quæ conſequuntur ad ipſam diſtinctionem, ut puta eſſe principium ſentiendi, & non eſſe principium ratiocinandi, &c. eſſe principium intelligendi, & non volendi &c.

Præterea cum aliis Reſp. quòd diſtinctio virtualis nequit præcontinere effectum illum formalem, qui præbetur à diſtinctione reali in genere cauſæ formalis, ut eſt, unum à parte rei non eſſe aliud; ſed illum duntaxat, ad quem diſtinctio concurrit ut conditio, ſicut ſunt illa, quòd de uno verificetur aliquod prædicatum, & non de alio.

10. Arg. 4. ex Maſtrio in 1. ſent. diſp. 2. q. 2. n. 37. Si virtualis diſtinctio ſufficit ad verificanda contradictoria, tollitur via probandi contra Hæreticos, aut alios infideles, diſtinctionem inter Patrem, & Filium. Nam ſi id probes, quia inter producens, & productum debet verſari diſtinctio realis. Pater autem eſt producens, & Filius eſt productus; Eveſtigio Infidelis reſpondebit, ſufficere diſtinctionem virtualem.

Reſp. primitùs, quòd infidelis poſſet etiam reſpondere, ſufficere diſtinctionem formalem ex natura rei. Præterea habes ex dictis num. 7. Ad 2. arg. Et licèt etiam Pater cum Filio connectatur, non tamen in omni modo, ſeu in omni ſigno; quia in aliquo priori *à quo* eſt ſine Filio, licèt non in aliquo ſigno *in quo* reali priori.

Accedit, quòd non ſolùm via productionis, verùm etiam via oppoſitionis relativæ probatur realis perſonarum diſtinctio.

Accedit etiam, quòd Fidei myſteria ſufficit probare negativè nimirum ſe tutando ab infidelium argumentationibus, cùm ceu ſupernaturalia nequeant naturali demonſtratione.

11. Arg. 5. contra utramque p. Minor eſt relativa, quàm contradictoria oppoſitio; ſed virtualis diſtinctio inſufficiens eſt ad relativam ſalvandam oppoſitionem, ſecùs Perſonæ divinæ virtualiter duntaxat diſtinguerentur: ergo neque ad contradictoriam. Idem dic de contraria oppoſitione, quæ eſt contradictoria minor.

Reſp. ad hoc ſatis fuiſſe dictum in Logica Syntag 3. q. 1. art. 5. ſub n. 7. ad 2. arg. Illò adeas.

12. Arg. 6. contra 2. p. omnibus arg. hactenus ſolutis etiam contra p.

13. Arg. 7. directè contra 2. p. probando, non extare diſtinctionem virtualem intrinſecam in divinis ex Godoy oppugnando rationem noſtram, ac probando, non verificari contradictoria de Intellectu, & voluntate ſic. Nullum prædicatum conveniens intellectui prout in re exiſtenti poteſt verè negari de voluntate realiter ex hoc ipſo, quod voluntas, & Intellectus prout exiſtunt in re ſunt actualiter omninò idem: ergo ruit fundamentum noſtrum. Prob. ant. 1. Nam quia Intellectus, & voluntas prout in re exiſtunt ſunt actualiter omnino idem, nequit verificari, quòd Intellectus prout in re exiſtens non ſit voluntas realiter; ergo eandem propter rationem &c. 2. Non ſtat prædicatum, puta principium generandi Verbum de voluntate realiter ſumpta negari, quin de illa realiter negetur intellectus prout conſtitutus in aliquo eſſe reali, nimirum in

eſſe

Digitized by Google

eſſe principii gignendi Verbum; ſed nequit Intellectus ut conſtitutus in aliquo eſſe reali de Voluntate realiter negari: ergo &c. Maj eſt conſpicua, quia non ſtat, de aliquo negari conſtituens, quin conſtitutum negetur. Min etiam eſt palam, ſecùs Intellectus realiter à voluntate diſtingueretur, cùm eo modo unum diſtinguatur ab alio, quo modo de illo negatur: ergo &c.

Reſp. nego ant. ad 1. prob habes ex dictis ſub num. 10. ad 3 arg.

Ad 2. nego min Ad prob. diſt. ant. realiter diſtingueretur à voluntate abſolutè, nego, ſecundùm illud eſſe, in quo conſtituitur; ſeu reduplicativè ſecundùm eſſe generativum Verbi, concedo ant. & nego conſeq. Et licèt hoc, quod eſt eſſe generativum Verbi diſtinguatur duntaxat virtualiter ab ipſomet Intellectu; hoc non obſtat, quia, cùm, ut diximus; diſtinctio virtualis æquivaleat reali, ſufficit, ut realiter negetur unum, & non aliud, quemadmodum realis ſufficeret diſtinctio.

Dices ex eodem. Non ſtat, hoc prædicatum, nimirum principium intellectionis, & generationis Verbi de voluntate realiter negari, quin realiter formaliter diſtinguatur à voluntate ſecundùm prædicatum proprium intellectus, cùm eſſe principium intellectionis, ceu ipſa intellectus definitio, nec virtualiter intrinſecè ab intellectu diſtinguatur; ſed iſtod nequit realiter formaliter à voluntate realiter ſumpta diſtingui: ergo &c. Min. eſt dubii expers. Si namque prædicatum proprium conſtitutivum intellectus realiter formaliter à voluntate diſtinguitur, non poteſt formaliter realiter non diſtingui intellectus à voluntate, cum nequeat diſtingui conſtituens, niſi conſtitutum diſtinguatur. Maj. prob. Unum diſtingui ab alio eſt, unum non eſſe aliud: ergo eo modo unum ab alio diſtinguitur, quo non eſt aliud; ſed ſi eſſe principium Verbi realiter de voluntate negetur, voluntas non eſt realiter principium Verbi; ergo &c.

Reſp. data maj. loquendo de voluntate reduplicativè ut voluntas eſt; diſt. min. nequit diſtingui realiter à voluntate inſpecta abſolutè, nimirum ut ens Divinum, aut perfectio Divina eſt, concedo; inſpecta præcisè ut explicitè reduplicat eſſe volitivum, ſive principium volitionis, nego min. & conſeq. Et hoc etiam modo concedimus, quòd Intellectus, non quidem ut reliqua prædicata implicita dicit, nimirum ut ens Divinum, aut perfectio Divina eſt, ſed ut præcisè explicitè reduplicat eſſe intellectivum Divinum, ideſt principium intellectionis, diſtinguatur realiter à voluntate Divina, non quidem ut entitas Divina, aut perfectio Divinæ voluntas eſt, ſed duntaxat ut explicitè reduplicat eſſe volitivum, ac principium volitionis. Et quidem hoc dicere eſt neceſsè, ut ſalvetur, proceſſionem Filii à proceſſione Spiritus Sancti diſtinctam eſſe, & è converſo. Solutio alia videatur apud Ferre p. p. q. 1.

Nec iterum obeſt, quòd eſſe proximè volitivum in voluntate, & eſſe proximè intellectivum in intellectu non diſtinguatur realiter ab hoc, quod eſt eſſe ens Divinum, vel perfectio Divina. Non, inquam. Siquidem diſtinguitur virtualiter, & diſtinctio virtualis, ceu æquivalens reali, poteſt ſalvare, quòd voluntas ut entitas, vel perfectio Divina, ſit realiter intellectiva etiam proximè, non verò reduplicativè ut volitiva eſt; & quòd hoc modo non ſit realiter intellectus, ſive principium intellectionis: item quòd Intellectus ut entitas, vel perfectio Divina eſt, ſit volitivus realiter etiam proximè, & talis non ſit reduplicativè ut intellectivus, & principium intellectionis; & quòd hoc modo Intellectus non ſit realiter Voluntas, ideſt volitionis principium. Et iſta contradictoria illa ſunt, quæ diximus, componi per virtualem diſtinctionem, nimirum *eſſe principium intellectionis, & generationis, & non eſſe principium intellectionis, & generationis Verbi*, &c. Sicut etiam (ut ex Concilio Later. ſub Innoc. III. & cap. *Firmiter* de Summa Trinit.) *Eſſentiam non generare, ſed Patrem*. Certum eſt autem, contradictoria realiter inter ſe diſtingui. Quamobrem & ipſa Paternitas, non quidem ut eſt entitas Divina, ſed duntaxat ut reduplicat explicitè modificationem intellectus, ut ſit generationis principium, diſtinguitur ſic realiter ab eſſentia.

Dices. Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed per nos dicta prædicata identificantur realiter cum intellectu, & voluntate, ut entitas, & perfectio Divina ſunt: ergo deberent quoque inter ſe identificari.

Reſp. ex dictis lib. 2 Summularum cap. 5. principium illud locum habere duntaxat in iis, quæ ſunt unum tum virtualiter, cùm formaliter; vel quæ ſunt idem cum tertio adæquatè, &c. ſecùs & iſta teneret conſequentia *Pater, & Filius ſunt idem cum tertia* nimirum cum Eſſentia: *ergo ſunt idem inter ſe*. Sed de hoc ad Theologos in materia de Trinitate.

14. Arg. 8 ex eodem Godoy. Non eſt aſſignabile, in quo talis conſiſtat virtualis diſtinctio intrinſeca in Divinis: ergo &c. Prob ant. Vel conſiſtit in æquivalentia ad diſtinctionem realem in creatis, vel in hoc, quod una formalitas Divina exerceat diverſa munera, ac ſi plures forent formalitates; Vel in hoc, quod contradictoria verificentur; ſed nullo ex his modis poteſt convinci diſtinctio virtualis intrinſeca: ergo &c.

Prob min. quò ad 1. modum. Æquivalentia ad diſtinctionem illam realem, quæ in creatis reperitur, nec requiritur, nec ſufficit virtuali pro diſtinctione: ergo &c Prob. ant. quò ad utramque p. non requiritur. Quandoquidem inter bonitatem, & veritatem Divinam datur diſtinctio virtualis intrinſeca, ſi ſemel admittitur inter alia prædicata Divina; quoniam bonitas ſpecificat voluntatem, non verò veritas; & tamen bonitas, & veritas creata non diſtinguuntur realiter: ergo &c. Non ſufficit. Siquidem Omnipotentia pluribus æquivalet potentiis creatis, ſcientia Divina cunctis ſcientiis creatis; perſonalitas Divina relationi, & perſonalitati creatæ, quæ omnia in creatis realiter diſtinguuntur; & tamen nec in omnipotentia Divina plures potentiæ, nec in Scientia Divina plures Scientiæ dantur virtualiter diſtinctæ; nec relatio, & perſonalitas Divina virtualiter intrinſecè diſtinguuntur: ergo &c.

Prob. quò ad 2. modum iiſdem exemplis. Omnipotentia in producendo creaturas ita diverſa exercet munera, ac ſi plures forent potentiæ: Scientia Divina attingendo omnia, quæ ſcibilia ſunt, ita diverſa exercet munera, ac ſi plures eſſent Scientiæ: Paternitas quoque Divina ita exercet munera referendi, & conſtituendi perſonam, ac ſi in ratione hypoſtaſis foret diſtincta à ratione referendi; & tamen in nullo ex his extat diſtinctio virtualis intrinſeca: ergo &c.

Prob quò ad 3. modum. De Divina eſſentia verè affirmatur uniri ſub conceptu ſpeciei intellectui Beati, & de illa ſub conceptu naturæ negatur talis unio. Item Divinitas ſub conceptu Sanctitatis unitur humanitati Chriſti formaliter, non verò unitur ſub conceptu naturæ, & intellectionis actualis, aut radicalis. Denique filiatio Divini Verbi ſub conceptu ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis eſt unita humanitati Chriſti, ſecùs verò ſub conceptu referentis; & tamen inter eſſentiam Divinam ſub conceptu ſpeciei, & naturæ; inter Divinitatem ſub conceptu Sanctitatis, & naturæ; inter perſonalitatem Divinam ſub conceptu referentis, & ſubſiſtentiæ, non datur intrinſeca virtualis diſtinctio: ergo ad verificanda contradictoria, &c.

Reſp. nego ant. Etenim in quo ſita ſit ſatis diſplicatum eſt in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 4. §. 3. ſub num. 10 ad ult. oppugn. contra reſponſum datum ad 2. arg. conſiſtere in illa æquivalentia, ex qua poſtea conſequuntur alia duo, nimirum poſſe diverſa exercere munera, & poſſe contradictoria verificari. Ob idque, nego min.

Ad 1. prob. contra 1. modum, nego ant. quò ad utramque p. Ad prob. pro p. p. dato ant. nego conſeq. Etſi namque non realiter in creatis bonitas, & veritas diſtinguantur; tamen bonitas, & veritas Divina eſt ſatis æquipollere illis tametſi realiter diſtinguerentur. Nec ſequitur, quòd æquivaleat conditionatè, adeoque ſit diſtinctio virtualis intrinſeca conditionata. Non, inquam, quia conditio iſta ſe tenet ex parte bonitatis, & veritatis creatæ, *ſi realiter diſtinguerentur*, at non ex parte veritatis, & bonitatis Divinæ. Iſta namque quantùm eſt de ſe æquivalet abſolutè.

Imò etiam bonitas, & veritas creata, ceu prædicata perfectiora quædam rei, proindeque nobiliores ſpecificantia potentias, intellectum nimirum, & voluntatem, diſtinguuntur virtualiter; quia quantum eſt de ſe æquivalent bonitati, & veritati realiter diſtinctæ, ſi in aliquibus extarent, & præſtant, quod iſtæ præſtarent. Cum hac tamen differentia, quòd bonitas, & veritas creata æquivalet pluribus realiter diſtinctis, ſi extarent; bonitas verò, & veritas Divina æquivalet pluribus, & infinitis veritatibus, & bonitatibus realiter diſtinctis, ſi iſtæ infinitæ extarent.

Accedit, quòd licèt bonitas, & veritas tranſcendentalis in creatis non diſtinguantur realiter; tamen non eſt ita certum, quòd non diſtinguantur realiter veritas, & bonitas ſpe-

ſpecialis. Veritas autem, & bonitas Divina æquivalent veritati, & bonitati, non ſolùm tranſcendentali, verùm etiam ſpeciali.

Adde, quòd etiam bonitas, & veritas tranſcendentalis creata licèt non diſtinguantur realiter in una, eademque re, bene tamen in diverſis rebus. Bonitas autem, & veritas Divina æquivalet bonitati, & veritati, non ſolùm alicujus rei, ſed & omnium rerum.

Ad 2. prob. pro 2. p. data maj. diſt. min. non dantur plures virtualiter potentiæ, nec plures virtualiter Scientiæ, eo modo, quo pluralitas virtualis datur inter ea, quæ ſunt diverſæ lineæ, concedo, diverſo modo, nego min. & conſeq.

Quamquam dici ſoleat, quòd in his, quæ ſunt ejuſdem lineæ, non extat virtualis diſtinctio, putà quòd omnipotentia non diſtinguitur virtualiter à ſeipſa, nec ſcientia Divina à ſeipſa, ſicut etiam quòd Intellectus non diſtinguitur virtualiter ab Intellectione, voluntas à volitione, & eſſentia ab exiſtentia, ut plerique dicunt; benè verò in his, quæ ſunt in diverſa linea, ut inter intellectum, & voluntatem; quia unus eſt de linea intellectivi, & altera de linea volitivi. Tamen intelligendum venit, quòd inter ea, quæ ſunt ejuſdem lineæ non extet quò ad omnia, ſeu omni eo modo, quo extat in iis, quæ ſunt diverſæ lineæ, præcipuè relatè ad intellectum noſtrum. Pro quo

Recole, quòd in Logica ſcripſimus, nimirum unam, eandemque eſſe diſtinctionem virtualem, quæ virtualis dicitur, & fundamentalis, nimirum dicitur virtualis relatè ad ea, quibus æquivalet. & hæc æquivalentia eſt actu. Dicitur verò fundamentalis relatè ad intellectum noſtrum, cui diſtinctionis fundamentum præbet.

In his itaque, quæ ſunt diverſæ lineæ directè præbet Intellectui fundamentum diſtinguendi, quia intellectus cùm videat in creatis ordinis diverſitatem inter ea, quæ ſunt diverſæ lineæ, ſtatimatque in Deo deprehendit ea, quæ ſunt diverſæ lineæ, apprehendit illa ut diſtincta, & interdum ut potentialia. At in iis, quæ ſunt ejuſdem lineæ non dat intellectui fundamentum diſtinguendi, niſi reflexè: Primò enim, ac concipit omnipotentiam, concipit ut unam, ſicut ſcientiam, &c. At quando redit reflexè ad conſiderandum, quòd eadem omnipotentia facit, quod plures facerent potentiæ diſtinctæ, eadem ſcientia quod facerent multiplices ſcientiæ realiter diſtinctæ, quandam in ea concipit pluralitatem.

Vel dicas, quòd virtualis, & fundamentalis diſtinctio licèt ſit eadem, tamen duo præſtat. In his quæ ſunt ejuſdem lineæ habet ſolùm hoc, quod eſt pluribus æquivalere. In his, quæ ſunt diverſæ lineæ, ultra hoc, quod eſt æquivalere, habet etiam hoc, quod eſt intellectui ſuppeditare occaſionem, & fundamentum diſtinctionis ſaltem directæ.

Si autem ſit vera Ferre ſententia, quòd diſtinctio virtualis alia ſit à fundamentali, dicendum venit, extare primam, & non ſecundam. Ultraquamquod ipſe Ferre alia incedit via in diluendo arg. iſtud.

Et per hoc ſponte ſua cætera corruunt.

Ad prob. quò ad 2. modum diſt. ut nuper, & tamen non datur diſtinctio virtualis eo modo, quo datur in his, quæ ſunt diverſæ lineæ concedo, ſecùs, nego. Reſponſum ex dictis patefcit.

Ad prob. pro tertio modo diſtinguas ut ſupra.

Solutiones aliæ legi poſſunt apud Ferre p. p. q. 1. agendo de attributis.

15. Arg. 9 ex Mauro tom. 1. q. 22. Si perfectiones attributales diſtinguerentur virtualiter ab Eſſentia, dimanarent ab ea, itaut eſſentia ut diſtincta ab attributis deberet eſſe adæquata ratio omnium perfectionum attributalium; ſed omnis effectus debet contineri in cauſa tam emanante, quàm producente propriè, ſive formaliter, ſive eminenter: ergo in Natura Divina prout virtualiter diſtincta ab attributis deberent virtualiter contineri perfectiones attributales vel formaliter, vel eminenter; ſed utroque modo repugnat: ergo & repugnat, perfectiones attributales diſtingui virtualiter ab Eſſentia. Min. ſubſ. quò ad p. p. prænittet, quia ut ſic diſtincta à ſapientia, &c. eſſet formaliter ſapiens, &c. Quò ad 2. Prob. Perfectiones attributales ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; ſed iſtæ nequeunt concipi ut contentæ in Deo eminenter, quia concipiantur in eodem ſigno competere formaliter: ergo &c. Prob. min. Perfectio ſimpliciter ſimplex eſt melior ipſa, quàm non ipſa; ſed continere eminenter perfectionem aliquam, eſt habere illam æquè perfectè, imò meliori modo eo, qui habet illam formaliter: ergo &c. Nam meliùs eſt eſſe formaliter ſapiens, quàm non formaliter ſapiens; formaliter æternum, quàm non formaliter æternum.

Reſp. miſſis aliis prolixis reſponſis, ad maj. quòd perfectiones attributales duntaxat quò ad explicitum dimanant, quemadmodum tantummodo quò ad explicitum ab ea diſtinguuntur. Ob idque pro aliquo priori præcontinentur in Eſſentia, formaliter quidem, ſed ſolùm implicitè. Et ſic pro illo priori dicitur ſapiens formaliter, juxta formaliter implicitè. Quòd ſi pro illo priori Noſtrates dicunt, eam continere attributa radicaliter, intelligendum radicaliter explicitè. Siquidem implicitè continet formaliſſimè.

16. Arg. 10. Deus eſt ſummè unus, ſed ubi eſt ſumma unitas, ibi nulla eſt diſtinctio etiam virtualis: ergo &c. Prob. min. Unitas ſumma eſt illa, qua major excogitari non poteſt; ſed major unitas excogitari poſſet, ſi virtualem admitteret diſtinctionem: ergo &c. Prob. min. Poſſet excogitari unitas ſine diſtinctione etiam virtuali: ergo &c.

Reſp. data maj. de ſumma unitate poſſibili, nego min. Ad prob. diſt. maj. qua major excogitari non poteſt ſalvis reliquis, quæ Deo ſummè uni conveniunt, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Oportet ſiquidem ſalvare cuncta §. 2. recenſita contradictoria, quæ abſque virtuali diſtinctione ſalvari minimè poſſunt. Eapropter ſi talis extaret unitas, foret imperfectio, & non perfectio. Vel aliter cum aliis eandem diſt. maj. quæ major excogitari non poteſt ab intellectu non errante, concedo, errante nego. Talis autem ſumma unitas eſt chimærica, ſi omnem explodat diſtinctionem virtualem intrinſecam, quia non importaret illam tantam perfectionem, quæ tota exprimi non poſſet. Vid. S. Th. in 2. ſent. diſt. 2.

17. Arg. poſtremò. Concilium Florentinum ſeſſ. 15. & 18 & 19 & 24. inquit, quòd relationes ſecundùm modum intelligendi, & ſola ratione differunt ab Eſſentia. Et S. Th. perſæpè proponens argumentum de contradictoriis nuſquam confugit ad diſtinctionem virtualem intrinſecam, ſed ad ſolam rationis diſtinctionem.

Reſp. Concilium loqui de relationibus ut entitas, aut formalitas Divina ſunt. Et loquitur primitùs de diſtinctione formali, quæ per ſolum intellectum ibi extat. Præterea de diſtinctione rationis fundata, & non purè chimærica. Quamobrem ſupponit in eis diſtinctionem virtualem, à qua hujuſcemodi præſtatur occaſio. Et ita interpretandus venit S. Th. Idcircò illa Concilii authoritas militat duntaxat adverſus Scotiſtas.

18. Ex dictis colligitur, diſtinctionem virtualem, ſive æquivalentiæ non eſſe aliam à fundamentali, ſed eſſe eandem diverſo cum reſpectu; quicquid in oppoſitum ſentiat Ferre. Et ſemper hujuſmodi diſtinctio præbet intellectui fundamentum formandi, ſi non directè, ſaltem reflexè, diſtinctionem formalem. Et licèt ab æterno extet in Deo diſtinctio virtualis ſine eo, quod extet intellectus creatus, nihil obeſt; Tum quia licèt ab æterno actu non exiſteret, tamen erat ab æterno poſſibilis intellectus noſter. Eam ob rem poteſt dici, quòd talis diſtinctio quò ad ſecundum præcipuè munus pendeat ab intellectus noſtri poſſibilitate, non quidem à priori, ſed duntaxat à poſteriori, ut de omnipotentia reſpectu poſſibilium dici conſuevit. Tum quia tametſi poſſibilis non fuiſſet, adhuc quantùm eſt de ſe apta erat præbere fundamentum intellectui, ſi extitiſſet iſte vel poſſibilis fuiſſet.

19. Colligitur etiam quòd contradictoria, de quibus ſumus hactenùs locuti, ſunt contradictoria abſolutè præſcindendo à virtuali diſtinctione, & fuiſſent, niſi virtualis obviaſſet diſtinctio, qua poſita non ampliùs ſunt talia, quia contradictio debet eſſe affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundùm idem. Semper tamen realiter diſtinguuntur prædicata illa contradictoria; quia virtualem per diſtinctionem poſſunt duntaxat conciliari, ne invicem pugnent, & contradicant, adeoque ne diſtinguatur res, de qua enunciantur, at non ut invicem identificentur; quia eſſe, & non eſſe nunquam identificari realiter poſſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA

De Ente Vero, & Falſo.

DE Veritate quæſtionem inſtituimus poſt expletam de diſtinctionibus, quoniam ex diſtinctionum notione non parum lucis ſuppeditatur pro veri agnitione.

ARTICULUS PRIMUS
Circa veritatem objectivam.

Num veritas ſita ſit in conformitate ad Intellectum Divinum, vel creatum.

§. I.

1. UTique ſermo hic non eſt de veracitate, quæ eſt veritas in dicendo, quæque difficulter adeo in ore Hominum invenitur, ut meritò Pſal. 115. dicatur *omnis Homo mendax*, ſaltem ſumpto ly *omnis* pro plurimis, ut exagerationis gratia, ac hyperbolicè non infrequenter in ſacris litteris contingit; ut cum Geneſis 41. dicitur *creſcebat autem fames in omni terra*, quamquam ſolam premeret Ægyptum; & ibidem *omnes provinciæ veniebant, ut emerent eſcas*. Et Iſaiæ 2. de Meſſia ſcribitur, quod *fluent ad eum omnes gentes*: Vel pro generibus ſingulorum, ut cùm dicitur, quod *omne animal fuit in Arca Noe*; & à D. Paulo quod *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*.

Non utique de veracitate, ſed de veritate controverſia proponitur. Nihilominùs & hujus perdifficilis eſt aſſecutio, præſertim propter varia Doctorum placita, ante quorum examen

Reminiſcere, quòd duplex veritas percenſetur, objectiva una, quæ dici etiam conſuevit veritas in eſſendo, ſive entitativa: Formalis altera, quæ eſt ipſa intellectus cognitio objecto conformis, & ſolet dici veritas in cognoſcendo. Modò agimus de prima, dicturi poſtea de ſecunda.

2. Ut autem ſcitè potiores opiniones diſcurrere valeamus, ſunt prævié minuſculæ quædam abjiciendæ. Igitur

Præmitto communi omnium plauſu, extare hanc veritatem in rebus. Quandoquidem eſt una ex proprietatibus entis, cùm dicatur ad convertentiam cum illo. De quo ultra noſtros Scriptores videri etiam Maſtrius poteſt hic diſp. 5. q. 6 art. 5 ubi fusè.

3. Præmitto 2. Falſitate laborare opinionem Durandi, Vaſquezii, & Hurtadi, qui arbitrantur, veritatem tranſcendentalem nil aliud eſſe, quàm denominationem extrinſecam ab intellectu in res derivatam; & res dici veras per hoc, quod ſunt cauſa veri judicii in Intellectu: non abſimili modo, ac medicina dicatur ſana, quatenus animalis valetudinem cauſare poteſt.

Omnimoda, inquam falſitate, laborare. Siquidem denominatio extrinſeca non eſt, nec eſſe poteſt entis proprietas, cum proprietas dimanet ab intrinſecis eſſentiæ vel virtualiter, vel formaliter, vel realiter eo modo, quo eſt proprietas; ſed, nemine inficias eunte, veritas eſt proprietas entis: ergo veritas nequit in ſola extrinſeca denominatione eſſe ſita.

Quòd ſi S. Th. interdum ſcribit, veritatem eſſe denominationem extrinſecam, ut p. p. q. 16. art. 1. ubi ad 3. ſcribit, ad hoc, ut res cauſent veritatem in intellectu non requiri, quòd veritas ſit in ipſis rebus, ſicut ad hoc, ut medicina cauſet ſanitatem non requiritur, quòd priùs in medicina ſit ſanitas. Dico S. Th. ibi ad 3. loqui de rerum materialium veritate immaterializata in ſpecie intentionali, quæ ſpecies eſt intra intellectum, & non in rebus: Et idcircò dici, veritatem non reperiri in rebus, benè verò bonitatem, quia intellectus trahit intra ſe objectum, non verò voluntas trahit media ſpecie intra ſe objectum. Et quidem S. Th. illo in articulo docet concluſionem noſtram ſtatuendam § ſequenti 2. Et quod de ejus mente veritas ſit intrinſecè afficiens res, videri poteſt quæſt. 1. de veritate art. 4. in fine corporis, & art. 6. in corpore.

Intantum autem medicina non eſt formaliter ſana, Tum quia non eſt capax ſanitatis formalis, eò quòd ſanitas ſita eſt in temperie quatuor humorum. Res autem ſunt veritatis capaces, cùm, ut feſtinè dicetur, veritas ſita ſit in conformitate ad intellectum præſertim Divinum. Tum quia medicina cauſat ſanitatem, non per ſe, ſed per accidens, nimirum extrahendo, abducendo, vel depellendo à corpore, quæ intra illud nocua latitant, & præpediunt, naturam ad primigeniam ſe recipere valetudinem: nec Medici ſanant, ſed ſunt coadjutores naturæ.

Eodem in ſenſu interpretandus venit Stagyrita, ſi interdum ſcribere comperitur, veritatem eſſe extrinſecam rebus. Dicere ni malueris, Philoſophum loqui de veritate formali, non de veritate objectiva, & tranſcendentali.

Argumentum quoddam intendens probare, quòd intelligibilitas objecti, quæ idem eſt, ac veritas, ſit denominatio extrinſeca, vide ſolutum in Logica Syntag 5. quod fuit ad libros Poſteriorum q. 3. quæ fuit de Scientia § 4. ſub num. 6. ad 5 arg.

4. Præmitto 3. Falſam eſſe opinionem Aureoli, qui (ut fert Capr. in 1. ſent. diſt. 19) docuit veritatem tranſcendentalem conſiſtere in ſola negatione, ita ut res eatenus dicatur vera, quatenus dicit negationem cujuſcunque extraneæ naturæ V. G. aurum dicatur verum aurum inquantum non eſt alterius naturæ auri, ideſt inquantum non eſt fictum. De quo nonnihil ſcripſi q. 7. poſt art. 2. quæſito 5. num 12.

Falſam, inquam, quia, ut ſcripſimus q. 8 art. 2. § 3. num. 3. proprietas entis debet eſſe quid poſitivum. Tum quia, ut ibidem ſcripſi de unitate, veritas dicit perfectionem; negatio autem non eſt perfectio aliqua. Videri poteſt Maſtrius hic diſp. 5 q 6. art. 2. num 144

Argumenta Aureoli haud aliud evincunt, niſi quòd veritas afferat de conſequenti negationem aliquam, nimirum negationem falſitatis (quod ultrò concedimus) at non de formali.

Opinioni huic affinis eſt alia Niphi, & Meruiſſe, dicentium, veritatem conſiſtere in conformitate rei ad ſua principia. Eapropter & iſta eandem redolet falſitatem. Quandoquidem & illud, quod ab eis falſum nuncupatur, V. G. Auricalchum, quod ab eis dicitur falſum aurum, habet ſua principia.

Nec ſatis fuerit cum eis dicere, nomine principiorum non venire partes conſtitutivas, ſed quod talem veram habeat naturam auri, & non apparentem.

Non, inquam, Tum quia talis natura conſtituitur per ſuas partes conſtitutivas. Tum quia hujuſcemodi explicatio eſt pura principii petitio. Siquidem hoc illud eſt, quod veſtigatur, nimirum in quo ſita ſit veritas, videlicet talis naturæ veritas. Ob idque quòd ſit talis natura realis, eſt quid prærequiſitum ad veritatem, nimirum realitas, ideſt entitas naturæ, ut res dicatur vera, quatenus niſi talis natura extaret, nec ejus veritas extaret, non verò in ea natura ſita eſt veritas. Per quod opinionis hujus ruit fundamentum.

5. Præmitto 4. Falſam eſſe opinionem Suarez, qui cenſet, veritatem tranſcendentalem non importare, niſi entitatem rei ut connotantem cognitionem, & conceptum intellectus, cui talis entitas conformatur, vel poteſt conformari.

Falſa, inquam. Etenim, niſi per hanc connotationem intelligat reſpectum aliquem intrinſecum rei in ordine ad intellectum, erit mera extrinſeca denominatio, uretetur opinio Vaſquez exploſa, quam ipſemet Suarez improbat.

Argumenta Suarez nil aliud evincunt, niſi quòd veritas importet reſpectum ad intellectum, quod & nos ſequenti § 2. concludemus.

Quando autem S. Aug. lib. 2. de Soliloq. definit, verum *eſſe id, quod eſt*, ſumit entitatem, ut fundantem reſpectum ad intellectum.

6. His refutatis opinionibus, reliquum eſt, ut alias inſigniores in examen vocemus.

Itaque

Digitized by Google

Itaque Scotiſta, & Thomiſta, cæterique Metaphyſici (ſi eos demas, quos nuper ſefutavimus) conſentiunt, veritatem dicere reſpectum ad intellectum. Hoc autem inter eos verſatur diſcrimen, quòd Scotiſta cenſet, veritatem deſumi per ordinem ad quemcunque intellectum, non tantùm divinum, verùm etiam creatum: Thomiſta verò per ordinem ad ſolùm divinum intellectum, ſaltem de primariò Thomiſtis adſtipulatur Alenſis Scotiſta.

Prætetes nonnihil diſſidii vel inter ipſos habetur Thomiſtas. Nonnemo ſiquidem, ut Cajet. p. p. q 16. retor, quòd ipſam relationem veritas dicat in recto, & magis principaliter. At reliqui, quos ſuis locis adducit Zuchi hic art. 5. num. 3. aſſeverant, veritatem in recto eſſe quid abſolutum, de connotato verò, & minùs principaliter, licèt eſſentialiter, eſſe quid relativum, selatione tamen tranſcendentali, reali quidem, ſi ſumatur pro connexione eſſentiali, quam veritas habet ad intellectum, rationis verò, ſi ſumatur ad modum prædicamentalis, quam intellectus concipit, accepto fundamento ab ipſa relatione tranſcendentali, nimirum ab ipſa connexione reali. Paucis verbis. Volunt, veritatem eſſe ipſam entitatem, ut fundantem illum reſpectum, videlicet illam connexionem.

§. II.

CONCLUSIO.

Veritas tranſcendentalis ſita eſt in ipſa entitate, ut fundante relationem conformitatis primariò ad intellectum divinum, & de ſecundariò ad creatum; ipſa entitate importata in recta, & relatione de connotata. Et hæc relatia, ſi ſit veritas tranſcendentalis, eſt relatio tranſcendentalis; ſi ſit veritas ſpecialis, eſt relatio prædicamentalis.

7. COllimat dilucidè ad hoc mens S. Th p. p. q. 6. art. 5. & q. 1. de ver. art. 2. Et

Prob. 1. quòd ad p. p. Veritas rei eſt conformitas ejuſdem rei ad propriam, & primam ſui menſuram; ſed ſola cognitio, & idea divina, non verò creata; eſt propria, & prima rerum menſura: ergo in conformitate ad iſtam ſtat primariò veritas. Min. eſt explorata, quia quodvis creatum ad ſummum poteſt eſſe menſura ſecunda. Maj. prob. Artefactum eatenus dicitur verum, quatenus eſt conforme Ideæ, in mente artificis exiſtenti, quæ eſt artefacti menſura: ergo &c.

Neque objicias, quòd hoc non competit omni veritati, ut requiritur ad tranſcendentalem veritatem, cùm factibilis non ſit Eſſentia divina. Non, inquam. Hanc ſiquidem conformitatem ſortitur etiam Eſſentia divina; quia etiam ipſa ita conformatur abſolutè cùm Ideis divinis, quatenus ſi per impoſſibile foret factibilis, haud aliter fieret, quàm per conformitatem ad illas. Et quia producibilis non eſt, potiori conformatur modo abſolutè cum illis, nimirum per identitatem cum ipſis. Vide n. 12.

Reſpondet 1. Maſtrius hic diſp. 5. q. 7. n. 172. & 173. negando maj. ſi in ea ſermo ſit de veritate prout eſt paſſio entis. Dicit namque, eam verificari de peculiari quodam duntaxat veritatis genere, rerum artificialium propriæ; & hanc veritatem etiam rebus naturalibus applicari conſueviſſe, prout opera dicuntur ſupremi artificis increati. Sed

Contra. Veritas in peculiari genere eſt conformitas ad peculiaris Opificis ideam, vel ad ideam Opificis divini, ut authoris alicujus rei in ſpeciali genere: ergo pariter veritas communiſſima tranſcendentalis entis erit conformitas ad ideam univerſaliſſimi Opificis, ut cunctarum rerum Authoris.

8. Prob 2. quò ad eandem p. Veritas infallibilis nequit deſumi per ordinem ad aliquod infallibile; ſed ſi rerum veritas foret conformitas ad intellectum creatum, jam veritas infallibilis deſumeretur in ordine ad aliquod fallibile: ergo veritas nequit conſiſtere in conformitate ad intellectum creatum, benè verò ad divinum duntaxat. Maj. eluceſcit. Min. etiam quò ad p. p. eſt palam, quia eſſentiæ rerum ſunt veritatis infallibilis. Quò ad 2. quoque, quia intellectus creatus eſt fallibilis.

Reſpondet Maſtrius ubi ſupra, ex hoc ſequi duntaxat, quòd veritas nequeat explicari per conformitatem actualem ad intellectum creatum, non verò tollitur, quòd explicari poſſit per conformitatem aptitudinalem ad illum. Sed

Reſponſum hoc nemine impellente corruit. Etenim conformitas illa, tametſi aptitudinalis, hoc ipſo, quod eſt in ordine ad intellectum creatum, eſt in ordine ad aliquod fallibile, quia creatus intellectus ſuapte natura fallibilis eſt: ergo nequit in ea conſiſtere veritas infallibilis.

Alia ratio aderit §. ſequenti 3. num. 18.

9. Prob quò ad 2. p. Veritas, ut S. Th. inquit, duos obtinet conceptus; unum nimirum, quòd ſit entitas dependens in ratione adæquationis à divino intellectu ideante alterum, quòd intellectum perficiat creatum: ergo cùm ille ſit conceptus primarius, & iſte ſecundarius, ſaltem de ſecundariò veritas dicit conformitatem ad intellectum creatum, cui, quantùm eſt de ſe; ipſa veritas dat infallibilitatem, eſtò falli interdum per accidens contingat vel ex ipſius intellectus imbecillitate, vel ex aliquo extrinſeco impediente, ut vel ipſemet Maſtrius cum cæteris docet hic diſp. 5. q 9. art. 5.

Verùm eſt tamen, quòd creatum ad intellectum dicit puram relationem rationis abſque mutua connexione cum ſola connexione non mutua, ſine connexione ſe tenente ex parte ipſius veritatis objectivæ, ſicut menſura ad menſurabile. Ad intellectum autem divinum dicit reſpectum ut menſurabile ad ſui menſuram; & intellectus divinus ad rerum creatarum veritatem dicit ſolam relationem rationis abſque ulla connexione cum illa, aut dependentia ab illa ut menſura ad menſurabile.

10. Quò ad 3. p. nimirum quòd talis reſpectus congrediatur duntaxat de connotato, Prob. Tum quia ſi veritas tranſcendentalis ſita foret quò ad rectum in ipſa relatione, etiam veritas ſpecialis generis conſiſteret in ſpeciali relatione in recto; hoc autem falſitate laborat, quia veritas quandam dicit perfectionis excellentiam, ceu una ex præſtantioribus entis proprietatibus; relatio verò vel non dicit perfectionem in plurium ſententia, vel ſaltem non dicit perfectionis excellentiam. Tum quia quemadmodum *unum* importat negationem, ita veritas relationem; ſed unum de connotato duntaxat, licèt eſſentialiter importat negationem: ergo & veritas &c. Tum demum, quia veritas virtualiter tantùm diſtinguitur ab ente, relatio verò realiter, ceu prædicamentalis, ut feſtinè dicam n. ſequenti.

Quò ad 4. & ult. p. nimirum quòd in veritate ſpeciali iſta relatio ſit prædicamentalis. Prob. Quemadmodum veritas objectiva ſumitur per conformitatem ad intellectum divinum; ita veritas cognitionis, ſeu intellectus cognoſcentis, per conformitatem ad res; ſed iſta eſt prædicamentalis, ceu realiter diſtincta, & ſeparabilis, cùm in materia contingenti una, eademque propoſitio poſſit de vera evadere falſa, ut cum univerſis DD contra Oviedum, & paucos alios ex ſocietate infra art. ſequenti conſpiciemus: ergo & illa. Vide art. ſequenti §. 3. ſub num 9.

Quòd verò in veritate tranſcendentali ſit relatio tranſcendentalis Prob. Tum quia veritas dicit hujuſmodi relationem: ergo quomodo eſt veritas debet eſſe relatio, adeoque ſi veritas eſt tranſcendentalis, talis erit & relatio. Tum quia ſecùs omnes res forent relativæ, nec ulla abſoluta res extaret, cùm quæcunque res ſit vera, veritate ſaltem tranſcendentali.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

12. ARg. 1. Veritas tranſcendens, quæ ponitur entis paſſio, debet omnibus, ſingulisque entibus convenire; ſed conformitas ad divinas ideas non omnibus competit entibus: ergo veritas tranſcendentalis non conſiſtit in entitate ut fundante conformitatem ad divinas ideas. Maj. certa adeo eſt, quàm certum eſt, quòd veritas tranſcendentalis adæquat in latitudine ipſum ens. Min. prob. Deus eſt verus; ſed non eſt talis quia ſit conformis divinis ideis: ergo &c. Prob. min. Ex communi Theologorum non alia de cauſa ponuntur ideæ in divina mente, niſi propter ſcientiam, & productionem rerum ad extra, qua ratione à D Auguſtino lib. 83. quæſtionum q. 46. deſcribitur idea, quòd ſit *ratio æterna in mente divina, ſecundùm quam aliquid eſt formabile ad extra, ut ſecundùm propriam rationem ejus*; ſed Deus non eſt producibilis: ergo &c.

Nec

Nec reſpondere juverit, ut plerùmque conſuevit, concluſionem hanc eſſe de veritate duntaxat creata. Non, inquam, Tum quia hic fit ſermo de veritate tranſcendentali, quemadmodum ſupra agendo de unitate ſermo erat de unitate tranſcendentali. Tum quia debet aſſignari conſtitutivum veritatis tranſcendentalis, ut eſt proprietas entis. Aliter itaque

Reſp. nego min. Ad prob. nego iterum min. cujus ad prob diſt. maj. niſi propter productionem vel abſolutam, vel conditionatam, concedo, abſolutam, ſubdiſtinguo circa ea, quæ agenda ſunt ad extra, concedo, secùs, nego maj. & data min. nego conſeq. Vide num. 7. & quòd eſſentia divina conformetur ideis divinis ſummam per identitatem. D. autem Aug. loquitur de idea ab ideato diſtincta. De quo iterum q. ſequenti art. 1. n. 17. ad 10. arg.

Contra. Ex hoc ſequeretur, quòd Deus eſſet verus duntaxat conditionatè; ſed hoc &c. ergo &c. Prob maj. Veritas conſiſtit in conformitate ad divinas ideas; ſed Deus cõformaretur illis duntaxat conditionatè: ergo &c. Prob. min. Conformaretur quatenus ſi foret producibilis, non aliter produceretur, quàm per conformitatem ad divinas ideas, ideſt ad ſeipſum; ſed ly *ſi* eſt dictio conditionalis faciens propoſitionem hypoteticam, ſeu conditionatam: ergo &c.

Reſp. nego ſequelam maj. Ad prob. nego maj. cujus ad prob data maj. diſt. min. eſt dictio conditionalis faciens propoſitionem conditionatam, conditione ſe tenente ex parte productionis, ſive producibilitatis, concedo, ex parte conformitatis, nego min. & conſeq. Vide præfato num. 7.

Dices. Intellectus practicus, ceu operativus, reſpicit rem ut producibilem; ſed idea pertinet ad intellectum practicum, cùm definiatur idea id, ad *quod reſpiciens artifex operatur*: ergo deberet Deus eſſe producibilis.

Reſp. diſt. maj. ut producibilem vel abſolutè, vel conditionatè, concedo, ſemper abſolutè, nego maj. & data min. nego conſeq. Nec iterum ſequitur, eſſe practicum duntaxat condionatè. Non, inquam, quoniam conditio ſe tenet ex parte producibilitatis, non ex parte ipſius intellectus, qui quantùm in ſe eſt potens eſt producere omne producibile.

Nec ſequitur, quòd etiam chimæra habeat ideam in Deo ex eo, quod quantùm eſt de ſe Deus eam producere poteſt, & tota repugnantia ſe tenuit ex parte facti. Non, inquam. Etenim eſtò verum foret ex hoc capite, attamen obſtaret aliundè, ne chimæra habeat ſui ideam in Deo, quia nimirum chimæra eſt nihil tum potentia, tum actu; non ſic verò divina eſſentia. Quod autem nihil omnibus modis eſt, ideam non habet.

13. Arg. 2. Verum eſt ens; ſed ens nullam dicit habitudinem ad intellectum, cùm ad eſſe duntaxat habitudinem dicat: ergo verum non dicit conformitatem ad intellectum.

Reſp. ad maj. quòd ens, & verum licèt ſint idem implicitè, tamen diſtinguuntur penes explicitum.

Contra. Ens ut diſtinctum explicitè à vero eſt verum: ergo dabitur proceſſus in infinitum. Prob. ant. Etiam ut diſtinctum à vero eſt quid intelligibile; ergo &c.

Reſp. nego ant. Si loquatur explicitè. Ad prob. diſt. ant. eſt intelligibile ut verum ſpecificativè, concedo, ut verum reduplicativè, nego ant. & conſeq. Ut igitur diſtinctum à vero explicitè eſt verum ſpecificativè, ideſt eſt id, quod importat veritatem.

14. Arg. 3. Si per impoſſibile divinus non extaret intellectus, & extarent res, adhuc iſtæ forent veræ: ergo veritas non conſiſtit in conformitate ad intellectum divinum. Prob. ant. Forent ens; ſed veritas eſt proprietas entis: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. forent veræ repugnanter, concedo, non repugnanter, nego ant. & conſeq. Eſſent itaque, & non eſſent veræ. Eſſent, ut ſupponitur eſſe ens, & non eſſent, eò quòd conformitatem non haberent cum prima menſura. Et quidem hoc arg. poteſt fieri in omnibus materiis, V. G. ad probandum, quòd eſſe creatum ſitum non ſit in dependentia à prima cauſa dicendo ſic: *etiam ſi per impoſſibile prima non extaret cauſa, & extarent res creatæ, adhuc forent creatæ: ergo eſſe creatum non eſt ſitum in ipſa dependentia à cauſa prima.*

Oſtendo præterea, quomodo contra Maſtrium, qui hoc utitur arg. poſſit urgere faciendo ſuppoſitionem poſſibilem, ubi ipſe impoſſibili nititur ſuppoſitioni. Tametſi non extaret intellectus creatus, & extarent res, adhuc iſtæ veræ forent, cùm eſſent ens: ergo veritas non eſt ſita in conformitate ad intellectum creatum.

15. Arg. 4. Si veritas conſiſteret in conformitate ad intellectum divinum ſequeretur, non poſſe quicquam cognoſci ut verum, niſi cognoſceretur ut conforme divinis ideis; ſed propugnari hoc minimè poteſt: ergo &c. Maj. neminem præterit, quem non prætereat, quòd menſurabile non cognoſcitur, niſi per ſui menſuram, & quòd relativum nequit cognoſci, niſi per ordinem ad ſuum terminum. Min. prob. Divinæ ideæ ſunt nobis ignotæ, ceu quæ in divina lateant mente; & tamen optimè deprehendimus, res eſſe veras, ob idque Aurifices luculenter veritatem dignoſcunt auri, & argenti etiam quòad certum perfectionis veritatis gradum, & tamen ignorant, num hæc conformia ſint divinis ideis, quarum vel nomen ignorant. Et ſanè Argentarius aurum examinando ad lydium lapidem nil minùs cogitat, quàm Divinis de ideis: ergo &c.

Si cum Bruno reſpondeas, quòd in rerum cognitione eſtò non fiat recurſus ad divinas ideas in ſeipſis; tamen fit recurſus ad eas, ut relucent in lumine naturali, quod eſt participatio quædam earum juxta illud pſal. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Contra eſt. Nam hoc eſt ponere veritatem per conformitatem ad lumen noſtrum naturale, quod eſt divinarum idearum participatio, adeoque eſt reponere veritatem in conformitate ad intellectum creatum, non verò divinum. Aliter igitur

Reſp. cum Jo: à S. Th. Ferre, & etiam Paſquerio diſp. 66. ſect. 4. num. 10. non ſolùm cognitionem illam aurificum, verùm etiam quamcumque cognitionem veritatis habitam per aliud, quàm per divinas ideas, eſſe à poſteriori.

Contra. Ex hoc ſequitur, quòd nos nuſquam habebimus niſi ſcientiam imperfectam, quod hoc, vel illud ens habeat veritatem; ſed abſurdum hoc videtur: ergo &c. Prob. maj. Ad perfectam ſcientiam opus eſt, cognoſcere conſtitutivum illius; ſed ſi hoc eſt conformitas cum divina idea, cognoſci non poteſt perfectè à nobis ignorantibus Divinas ideas (qui enim non videt ideam veri auri, nequit cognoſcere, quòd hoc, vel illud aurum cum idea veri auri conformetur) ergo &c.

Conſ. ex Maſtrio. Inde ſequeretur, nec etiam Angelum à priori ſuis viribus aſſequi poſſe veritatem alicujus entis creati; quia non valet proprio marte divina exemplaria intueri in divina mente.

Reſp. data maj. nego min. Siquidem duntaxat à poſt. ex accidentibus propriis nos judicamus, res habere veritatem tranſcendentalem. Dum enim diſcernere volumus verum aurum à falſo attendimus ad colorem, ſoliditatem, pondus; & ſic judicamus, verum aurum eſſe, cui præfatæ conveniunt qualitates. Aliam autem ſcientiam habere non poſſumus pro hoc ſtatu viæ ſaltem; quia ipſarum rerum prædicata in ſeipſis contueri non poſſumus, nec Divinas ideas, quæ ſunt rationes, ob quas debita prædicata conveniunt. Eapropter minimè abſurdum eſt, aſſeverare, quòd nos pro hoc ſtatu perfectè, ac à priori rerum veritatem non aſſequamur.

Et licèt interdum res à priori probemus, ut riſibilitatem per rationalitatem; tamen id fit, non abſolutè, ſed duntaxat ex ſuppoſitione, nimirum ex ſuppoſitione, quòd jam ſit à poſt. cognita cauſa per effectus, puta rationalitas per diſcurſum, riſum, &c. actualem, vel per figuram humanam, &c.

Dices. Inde ſequeretur. Metaphyſicam noſtram non eſſe ſcientiam à priori; at hoc abſurdum videtur: ergo &c. Prob. maj. Eatenus foret ſcientia à priori, quatenus demonſtraret veritatem de ente; ſed juxta ſolutionem datam nequiret Meth. à priori demonſtrare veritatem enti convenire, quia tantummodo ex accidentibus rerum propriis, rem eſſe dignoſcit: ergo &c.

Reſp. nego ſequelam maj. Ad prob. primodùm diſt. maj. quatenus demonſtraret ex ſuppoſitione alterius cognitionis priùs habitæ à poſt. concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. nequiret demonſtrare à priori non ſuppoſita priùs alia cognitione à poſteriori, concedo, hac ſuppoſita, nego min. & conſeq. Solutio nitet ex nuper dictis in exemplo de riſibilitate. Præterea diſt. eandem maj. quatenus demonſtraret veritatem de ente, veritatem, inquam, quæ ſita ſit in conformitate cum ideis Divinis, nego, quæ ſita

ſit in ratione cauſativi veritatis formalis noſtris intellectus, concedo maj. cum min. & nego conſeq. Itaque Meth. noſtra nequit à priori demonſtrare, quòd huic, vel illi enti conveniat conformatio, & adæquatio cum idea divina, ſed poſtquam hoc cognitum eſt à poſt. per propria accidentia rerum, tunc à priori demonſtrat, quòd enti per conformitatem ad ideam Divinam conveniat cauſare veram ſui apprehenſionem in noſtro intellectu, ſicque demonſtrat verum de ente.

Ad Conf primitet, nego ant. ejuſque annexam prob. Angelus namque, & Beatorum quilibet perſpicit cuncta, quæ ſunt in Deo formaliter. Præſcindendo autem à viſione, concedo totum juxta hactenus dicta, ſaltem quò ad prima rerum prædicata, quæ continetur in ſeipſis, & non per aliud probat.

16. Arg 5. Relatio conformitatis ad intellectum divinum ideantem ſupponit veritatem jam conſtitutam: ergo &c. Prob. ant. Relatio conformitatis ad intellectum divinum ideantem ſupponit res cauſatas per ideam divinam, à à qua res verum, & proprium obtinet eſſe: ergo &c. Conſeq. eſt exacta; eò vel maximè quòd veritas rerum ſita eſt proprio in eorum eſſe, ſic quòd nihil illi deſit ex prædicatis, quæ eis debentur.

Reſp. diſt. ant. adæquatè, nego (ſupponit enim veritatem inchoativè) inadæquatè, videlicet ipſam entitatem, in qua debet fundari pro aliquo priori à quo, & rationis, concedo.

Dices. Talis relatio debet ſupponere ſaltem quò ad explicitum illas res, ideſt illa entia, cùm per nos veritas conſequatur explicitè ad ens, à quo proinde quò ad explicitum diſtinguitur; ſed ſupponendo ſic ens, ſeu res, ſupponit ſic veritatem: ergo in ea non eſt ſita veritas. Prob. min. De conceptu eſſentiali talis entis eſt, non ſolùm eſſe productum, verùm etiam eſſe productum per ideam Divinam: ergo ſi in hoc ſtat veritas, jam præſupponendo quò ad explicitum ens, præſupponit quò ad explicitum veritatem.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. min. utrumque ſecundum eundem conceptum, nego, unum ſecundùm unum conceptum, & aliud ſecundùm alium conceptum, concedo min. & nego conſeq. Ut namque ens creatum eſt dicit, eſſe productum, ut autem ens creatum verum eſt dicit, eſſe productum per Divinam ideam. Sicut autem realiter formaliter idem eſt, eſſe ens, & eſſe verum ſola cum virtuali diſtinctione penès explicitum; ita quoque idem realiter formaliter eſt, eſſe productum, & eſſe productum per Divinam ideam ſola cum diſtinctione virtuali quò ad purum explicitum.

17. Arg. 6. S. Th. q. 1. de ver. art. 1. pandens rationem primariò conſtitutivam veritatis tranſcendentalis, *convenientiam*, inquit, *entis ad appetitum exprimit hoc nomen bonum, convenientiam autem ad intellectum exprimit hoc nomen verum*. Ubi loquitur de intellectu noſtro, quia ſermo ibi eſt de Anima, in qua duæ ſunt vires, alia appetitiva, ſecundùm convenientiam ad quam, dicitur bonum; alia intellectiva, ſecundùm convenientiam ad quam, dicitur verum.

Reſp. S. Th. voluiſſe diſplicare veritatem tranſcendentalem per quid ſecundarium nobis notius, ut eſt conformitas ad intellectum creatum. At p. p. q 6. art. 1. & q. 1. de ver. art. 2. ubi eam explicavit per ejus primarium eſſentiale conſtitutivum, eam ediſſerit per conformitatem primariò ad intellectum Divinum.

18. Colligitur ex dictis 1. quàm aliena ſit à veritate in exponenda veritate Scotiſtarum opinio. Si namque veritas tranſcendentalis indigeret de primariò exprimi per ordinem etiam ad creatum intellectum, ſequeretur, quòd cùm veritas cognitionis creati intellectus (at non Divini) explicetur per conformitatem ad res, ut omnibus cum DD. adverſus Oviedum art. ſequenti dicemus, committeretur circulus vitioſus.

Colligitur 2. quòd præfata relatio conformitatis ad intellectum in veritate tranſcendentali non eſt quid realiter ſuperadditum enti. Non, inquam, quia non eſt prædicamentalis aliqua relatio, de cujus ratione eſt realiter à fundamento diſtingui, ſed tranſcendentalis explicitè duntaxat ab ente diſtincta. Vel tametſi realiter diſtingueretur nullum foret incommodum, quia, ut diximus, relatio congreditur duntaxat de connotato.

Videri poteſt Blaſ. à Concep. & Zuchi hic q. 7. art. 2. & 3. & 4.

ARTICULUS SECUNDUS
circa veritatem formalem.

1. CIrca veritatem formalem (nomine cujus venit veritas ipſius conceptus, nimirum cognitionis intellectus) plura veſtigari conſueverant. Primò, *in quo ſita ſit veritas formalis*. 2. *Num veritas formalis reperiatur tantummodo in intellectu componente, & dividente, an etiam in apprehendente*. 3. *Num veritas formalis formaliter ſuſcipiat magis, & minus*.

Aſt quia quò ad primum exploratum univerſis eſt, veritatem formalem ſitam eſſe in conformitate conceptus concipientis ad rem conceptam, nimirum ad objectum, cùm ex eo, quod res eſt, vel non eſt, cognitio dicatur vera, vel falſa; licèt diſſidium aliquod, & valdè modicum ſit circa modum. Item quia omnium ſenſus eſt, veritatem formalem ſitam eſſe in ſolo judicio, & circa hoc nos nonnulla ſcripſimus in Summolarum exordio, quibus nihil addendum ſupereſt, niſi quòd tametſi etiam apprehenſio poſſit eſſe objecto conformis, tamen apprehenſionis conformitas eſt tantummodo materialis, ceu ſine compoſitione; & hujuſcemodi conformitas vel in ſenſu ipſo habetur. Denique commune dogma eſt, veritatem non ſuſcipere magis, & minùs, licèt certitudo de ea poſſit magis, minuſque ſuſcipere. Idcircò his miſſis videndis apud noſtrum Jo: Martinez, ut quantùm permittitur brevitati deferamus, ad alias majoris momenti concertationes procedendo ſit

§. I.

Num una, eademque mentalis propoſitio in materia contingenti formaliter vera, queat de vera evadere falſa, & è converſo.

2. HAud eadem eſt controverſia iſta cum illa, *num una opinio, quæ ſemel probabilis fuit, reddi improbabilis poſſit*, licèt & de iſta, Deo dante, affirmanter reſolvemus in tract. de Opin. moral. probabilitate q. 2. art. unico §. 2. & q 8. art 3 §. 2. Non, inquam, Tum quia ibi fit ſermo de tota doctrina in ſpecie, & non de una numericè propoſitione. Tum quia ibi fit ſermo de vero practico, quod ex noſtra deſumitur æſtimatione potiùs quàm ex eo, quod res ſit, vel non ſit. Lis itaque eſt prout in titulo, ad quam dirimendam

Animadvertas quæſo, quòd propoſitiones nonnullæ ſunt de præterito, aliæ de præſenti, & aliæ de futuro. Exploratum extat, propoſitiones de præterito veras non poſſe reddi falſas, nec è contra, cùm ad præteritum non detur potentia, adeoque ſolas circa propoſitiones aut de præſenti, aut de futuro velitatur, exempli cauſa *Cajus ſedet*, aut iſta *Sejus ſedebit*, & id genus.

Præterea iſtarum aliæ ſunt, quæ ampliantur ad ſupponendum pro omni tempore diſtributivè, ut iſta *Bucephalus in æternum currit*. Et has certum eſt, non poſſe de veris in falſas migrare. Quandoquidem ut propoſitio iſta *Dromedarius iſte in æternum currit*, vera ſit opus eſt, quòd omni in tempore, & inſtanti currat; ſi autem in omni tempore, omnique in inſtanti currit, impoſſibile eſt, quòd aliquo in inſtanti oppoſitum eveniat, nimirum quòd aliquo in inſtanti non currat. Aliæ ampliantur ad omne tempus, ſed diviſivè duntaxat, ut V. G. iſta *Sempronius aliquando ſedet*. Et iſtam quoque ſemel, quòd fuerit vera, æquè certum eſt, non poſſe falſam evadere; quia ut vera ſit, ſat eſt, quod aliquo in inſtanti, quodcunque ſit illud, hoc, vel illo, vel alio, ſedeat. Si autem ſemel aliquo in inſtanti ſedet, jam implicatorium eſt, quòd falſum fiat per hoc, quod verificetur oppoſitum, quòd ſedeat nunquam. Aliæ ad unum contrahuntur ſolummodo inſtans determinatum, V. G. *Titius ſedet in inſtanti A*. Et iſtam pariter exploratum habetur, ex vera non poſſe falſam reddi, aut è contra; quia ſita eſt in unico indiviſibili. Aliæ poſtremò ſunt, quæ licèt ex parte modi ſignificandi nullum præſeferant tempus, tamen ex parte rei ſignificatæ pro pluribus ſupponunt inſtantibus vel præſentibus, vel futuris, ſed tamen ſuccedaneè immediatè ſe habentibus, vel habituris illo pro temporis curſu, quo propoſitio enuntiat de ſubjecto prædicatum, ut V. G. iſta *Sempronius ſedet*, vel iſta *Sempronius ſedebit*. De quo luculentiùs num. 8. ad 2. prob. ult. min. in 1. arg. De hiſce ultimis its agitur; In qua

3. Abnuit Oviedo Controv. 7. de Anima puncto 2. cui

hac

Digitized by Google

hac tempeſtata in chirographis adſtipulantur pleriquе Societatis. Annuunt autem reliqui, quibuſcum

§. II.

CONCLUSIO.

Propoſitio aliqua mentalis una, & eadem in materia contingenti abſolutè prolata poteſt abire de vera in falſam, & è contra.

4 DIxi *aliqua*, ut memineris, nos loqui de propoſitionibus ultimo modo recenſitis. Dixi etiam *mentalis*, quia de ſcripta loquendo, omnes conclamant, poſſe de vera falſam evadere, V. G. iſta *Titius ſedet* quia certum eſt, eandem numerò perdurare, etiam poſteaquam Titius, qui ſedebat, poſtea ſtat. Dixi præterea *in materia contingenti*, quia nemini dubium eſſe poteſt, in materia neceſſaria, aut impoſſibili, non poſſe de vera falſam evadere, aut contra.

5. Concluſio noſtra petitur ex D. Th. tom p. p. quæſt. 14. art. 15. ad 3. tom cap de ſubſtantia cum Stagyrita, qui dicto cap. de ſubſt. ſcribit, quòd eadem oratio, & opinio poteſt de vera in falſam abire. Et quamquam ibi diſcrimen tradat inter eam, & ſubſtantiam ſuſcipientem contraria, tamen ſtatuit, orationem de vera in falſam tranſire.

6. Prob Propoſitio eſt enunciatio; ſed una, eademque mentalis enunciatio poteſt in materia contingenti abſolutè prolata de præſenti evadere de vera falſa: ergo &c. Prob. min. Tunc enunciatio evadit de vera falſa, quando de enunciante rem ut eſt, evadit enuncians rem aliter, ac eſt; ſed poteſt una, eademque enunciatio evadere de enunciante rem ſicut res eſt, enuncians rem aliter, ac iſta eſt: ergo &c. Prob. min. cum communi. Pone aliquem intellectam judicantem continuò V. G. per horæ quadrantis dimidium, quod Sempronius ſedet, & proferat mentaliter *Sempronius ſedet*: Pone ex alia parte, quòd Sempronius ſedeat duntaxat in prima medietate dimidii quadrantis horæ, ac inſtantibus ejus, & in ſecunda ſedeat medietate. Tum verò ſic. Eadem enunciatio priùs enunciabat rem ſicuti erat, & poſtmodum ſecùs, ac eſt, eò quòd in prima medietate enunciabat ſeſſionem Sempronii, quæ erat, & in ſecunda enunciat eandem de Sempronio ſeſſionem, quæ non eſt.

Diſplicatur. Propoſitionem de vera in falſam abire eſt, de conformi cum objecto, in deformem objecto abire, quia ex eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; ſed ut palam eſt in præallato experimento, poteſt eadem mentalis propoſitio migrare de conformi in deformem cum objecto: ergo &c.

Reſpondet Adverſarius, non eandem eſſe propoſitionem, quæ continuò duret.

Contra exurgo 1. Si non eadem duraret enunciatio, maximè quia eſt actio tranſiens; ſed hoc non obſtante poteſt eſſe eadem: ergo fictitiè negatur, eſſe eandem Maj. eſt perſpicua. Si namque non eſt tranſiens, jam eſt eadem permanens. Min. prob Actio tranſiens tunc non eadem benè verò alia exiat, quando prima abiit, & ſecunda advenit, ſeu elici cœpit; ſed poteſt eſſe, quòd illa non abierit, nec ſecunda advenerit, dum ille ita perſequeretur mente proferre *Sempronius ſedet*: ergo &c. Prob min. Tunc actio tranſiens abiit, aliaque advenit, quando illa finita eſt elici; ſed poteſt eſſe, quòd tota illa dimidii quadrantis medietate non terminaverit elici: ergo &c. Maj. patetit, quia ſi terminata non eſt ejus elicientia, jam perſeverat ejus elicientia, adeoque eadem eſt actio, quia iſta eſt ipſamet elicientia. Min. prob Ad hoc, ut finierit elici, & non perduraret elici, opus foret, quòd per minimam ſaltem morulam ceſſaverit intellectus ab ejus elicientia; ſed eſſe poteſt, quòd ab ea non ceſſaverit: ergo &c. Min eſt conſtans. Supponimus namque, quòd nemo eum cogat, ab operatione ceſſare. Maj. prob. Ad hoc, ut non perſiſteret eadem elici, opus foret, quòd interrumperetur, quia niſi interrumpatur, continuò durat, cùm continuum omne id dicatur, quod interruptione caret; ſed nequit interrumpi, niſi aliqua in morula, in qua intellectus ceſſet ab ejus elicientia: ergo &c.

Secundò exurgunt alii. Tandiù propoſitio eſt eadem, quamdiù res enunciata, & ſubjectum, de quo enunciatur, & modus enunciandi per copulam eſt idem, præſertim ſi non interrumpatur; ſed in noſtro caſu res enunciata, nimirum ſeſſio, ſubjectum, de quo enunciatur, nimirum Sempronius, modus enunciandi per copulam, nempe de præſenti, ſunt eadem, & aliàs enunciatio non interrumpitur: ergo &c.

Si reſpondeas variari numerò tempus conſignificatum, & hoc ſatis eſſe, ut non eadem ſit propoſitio.

Contra, & optimè exurgunt. Eo temporis ſucceſſu quamquam varietur materialiter tempus conſignificatum, ad eum modum, quo in fluxu fluvii variantur materialiter ſuperficies aquæ ambientes V. G. baculum; non tamen formaliter, eò quòd ſemper conſignificatur in ea propoſitione tempus præſens, non ſecùs, ac in fluxu fluvii non variatur formaliter locus, ut ex 4. Phyſ. ſuppono. Quod idem dicitur de partibus abeuntibus in nutritione viventis, cujus proinde identitas non admittur. Tum verò ſic. Sed materialia illa temporis conſignificati varietas non ſufficit ad tollendam propoſitionis identitatem: ergo &c. Min. prob. tum paritate ſupradictorum exemplorum, Tum quia ſi ſola variatio materialis ſufficeret, ſequeretur, quòd in prima medietate illius dimidii quadrantis horæ, in qua infinitæ variantur temporis partes, & inſtantia infinita variaretur infinitiès propoſitio, imò quòd nulla mentalis propoſitio poſſet pluſquam per inſtans durare; ſed propugnari hæc minimè queunt: ergo &c. Prob. min. tum experimento, quo experimur, nos continuò pluſquam per inſtans intelligere, cùm aliquid meditamur. Tum quia, conceptus mentalis eſt qualitas habens totum ſuum eſſe ſimul: ergo poteſt durare & per inſtans, & per tempus ut perſpectum eſt de reliquis qualitatibus, quæ non ſunt de linea ſucceſſivi. Tum denique quia id indubitatum apud cunctos eſt: ergo &c.

7 Prob præterea à pari. Propoſitio ſcripta, & vocalis poteſt ex vera evadere falſa in materia contingenti: ergo & mentalis. Ant. admittit adverſæ opinionis vindex, & meritò, quia propoſitio illa ſcripta *Sempronius ſedet* non variatur dum poſtea ſtat, cùm non varietur ſcriptura. Conſeq prob. Tum quia quemadmodum propoſitio mentalis enunciat mentaliter, ita propoſitio ſcripta enunciat ſcripturaliter. Tum quia ſcripturæ, & voces ſunt interpretes veluti, ſive interpretationes mentalium conceptuum; Idcircò voces dicuntur *ſigna eorum, qui ſunt in anima conceptuum*.

Reſpondent Adverſæ partis vindices, diſcrimen eſſe, quia termini ſcripti, & vocales ſunt variabiles in ſignificatione, ceu ſigna ad placitum; termini verò mentales ſunt ſigna naturalia, idcirco minimè variabilia. Sed

Contra, Tum quia licèt verum ſit, quòd termini vocales, & ſcripti ſunt variabiles in ſui ſignificatione, quia poſſunt authoritate publica ab illa ſignificatione deponi, ſuppoſitione tamen facta, quòd eorum perſeveret impoſitio ad ſignificandum, tunc ſi propoſitio ſcripta de vera in falſam migrat, non aliundè oritur, niſi ex objecti mutatione; ſed hæc objecti mutatio intervenit quoque reſpectu propoſitionis mentalis: ergo &c. Tum quia, ut dictum eſt, ſcripta ſunt interpretationea, &c.

Qua ex re inferri poteſt, falſum eſſe, quod nonnulli effutiunt, nimirum propoſitionem illam *Sempronius ſedet* eſſe veram etiam poſtquam ſtat; quia neceſſariò refertur ad tempus illud, pro quo ſedit: Non ſecùs ac Cæſaris imago dum erat Puer dicitur vera illius imago etiam cùm eſt ſenex per hoc, quod ei aliquando conformis extitit.

Falſum equidem, Tum quia inde ſequeretur, nullam propoſitionem contingentem poſſe falſam eſſe. Nam etiam propoſitio *Sempronius non ſedet* deberet ſumi relatè ad tempus illud, pro quo non ſedit, & ſic de reliquis; ſicque ſequitur componendas ſimul in iſto nunc duas contradictorias, nimirum *Sempronius ſedet*, *Sempronius non ſedet*. Ad id, quod de imagine ſubjicitur, dicetur n. 12. Tum quia ſequeretur, quòd etiam conſecratione peracta foret de hoſtia veram dicere *hic eſt panis*, quia aliquando fuit panis.

§. III.

Solvuntur oppugnantium argumentationes.

8. **A**Rg 1. Propoſitio abſolutè prolata de præſenti in materia contingenti eſt æquivalenter diviſiva ; ſed ut diſjunctiva non falſificetur ſat eſt, quòd aliquando fuerit ſemel vera : ergo nequit ampliùs evadere falſa. Min. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd diſjunctiva non falſificatur ex unius partis falſitate. Maj prob. Significat, Mevius V. G ſedere abſolutè ; ſed hoc eſt ſignificare ſeſſionem diſjunctivè : ergo &c. Maj. innoteſcit. Non enim aliquod determinat inſtans. Min. prob. ex Oviedo. Si ſignificat Mevium ſedere abſolutè, ſignificat, eum ſedere aliquando, ideſt in aliquo inſtanti ; ſed ſic ſignificare eſt ſignificare ſeſſionem diſjunctivè : ergo &c. Prob. maj. Tum quia propoſitio nullo ſigno affecta, quod idem eſt, ac abſolutè prolata in materia contingenti diſjunctivè ſupponit, ut Summularum eſt canon. Tum quia non determinat aliquod peculiare inſtans, ut num 2. ſcripſimus.

Reſp. nego maj. ſi propoſitio ſumatur relatè ad tempus. Ad prob nego min. cujus ad prob. nego maj. & ad hujus prob. diſt. ant. ex parte ſubjecti, vel prædicati, concedo, ex parte temporis, nego ant. & conſeq. Siquidem copula cùm ſit jugiter verbum ſignificat ſemper cum tempore illo, quod importat, ad differentiam prædicati, vel ſubjecti, quod ceu vox ſignificativa ad placitum ſine tempore, ad nullum coarctatur tempus. Ob idque ſolùm ſequitur, quòd ſit diſjunctiva hoc modo, *Mevius ſedet aliqua ſeſſione pro hoc tempore*. Et quidem ſi propoſitio iſta *Mevius ſedet* eſt jugiter vera, quia aliquando fuit vera, ſequitur etiam nunc poſſe nos, ſicut Judæos, Meſſiam expectare, quia iſta *Meſſias veniet* erit perenniter vera, quia fuit aliquando vera. Vide num. antegreſſo in fine.

Contra. Supereſt aſſignare rationem, quare ſit virtualiter diſjunctiva quòd ad prædicatum, aut ſubjectum, quando utrum, vel utrumque abſolutè profertur, & non quòd ad tempus, ſi iſtud abſolutè proferatur. Undè

Formatur arg. ſic. Propoſitio hæc *Mevius ſedet* æquivalet huic *Mevius aliquando ſedet* ; ſed ne iſta falſificetur ſat eſt, quod aliquo in inſtanti ſedeat, tametſi poſtea minimè ſedeat : ergo &c. Prob. maj. à pari. Propoſitio hæc *Homo currit* æquivalet huic *aliquis Homo currit*, ut vel minimus Logicunculus novit : ergo à pari &c. Prob. conſeq. Quemadmodum una eſt in materia contingenti quò ad curſum abſolutè prolata, nullum determinans hominem, ita altera eſt in materia contingenti quò ad ſeſſionem nullum determinans inſtans : ergo ſi &c.

Reſp. quòd ſeſtinè rationem aſſignabo ad objectionem, ad quam, nego maj. Ad prob. nego conſeq. Ad prob. diſcrimen eſt, quia cùm inſtantia omnia futura fiant ſuccedaneè eſſentialiter præſentia, poſſunt per modum unius ſignificari ab eadem propoſitione ſub ratione formali præſentialitatis. Cæterùm Homines non eſſentialiter fiunt ſibi ſuccedentes in curſu. Vide num 6. ſub finem.

Ad 2. prob. diſt. ant. nullum determinat inſtans, & aliàs plura ſignificat inſtantia per modum duntaxat unius formaliter, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq.

9. Arg. 2. Veritas eſt paſſio entis, quæ virtualiter duntaxat ab ente diſtinguitur, atque adeo inſeparabilis ; ergo propoſitio ſemel habens veritatem, cùm ſit ens, nuſquam amittere illam poteſt.

Reſp. quòd arg. nimis probat. Nam probat, nullam poſſe extare propoſitionem falſam, cùm omnis propoſitio ſit ens. Præterea diſt. ant. veritas tranſcendentalis, concedo, ſpecialis nego ant. & conſeq. Idcircò ſolùm ſequitur, quòd tunc propoſitio ſit vera ad hunc ſenſum, quòd veram habeat rationem propoſitionis, & non merè apparenter, aut in exiſtimatione, at non quòd verum enunciet : non ſecùs, ac cognitio falſa obtineat veram, & non purè exiſtimatam cognitionis rationem, licèt non ſit vera ad hunc ſenſum, quòd attingat objectum ut eſt in ſe.

Contra. Veritas etiam ſpecialis in ſententia probabili Jo: Martinez, & aliorum apud eundem, ſita eſt in relatione tranſcendentali conformitatis ad objectum ; ſed iſta ad differentiam prædicamentalis, non eſt ſeparabilis à fundamento, cùm non diſtinguatur realiter ab illo : ergo &c.

Reſp. quòd illi docent, remanere veram in actu ſignato, at non in actu exercito, ut de materiæ, & formæ unione, &c. Quomodo verò componere queant, eſſe poſitivè falſam in actu exercito, & veram in actu ſignato ; ipſi cogitent. Nos ſiquidem eorum ſententiam, at non omnem eorum dicendi modum conciliare tenemur.

Dices. Propoſitio, quæ aliquando ſuum habet verificativum, eſt impoſſibile, quòd illud non habeat ; ſed ſi ſemel ſupponitur propoſitio aliquando vera, ſupponitur, ſuum habere verificativum : ergo &c.

Reſp. diſt. maj. in ſenſu compoſito illius inſtantis, in quo ſupponitur habere, concedo, in ſenſu diviſo, ſubdiſtinguo, ſi propoſitio ceſſet ceſſante ſui verificativo, concedo, ſi non ceſſet, nego. Nam in hoc ſecundo caſu verificativum, quod aliquando habuit, ſufficit ad verificandam propoſitionem de præterito.

10. Arg. 3. Ad hoc, ut propoſitio aliqua ſit vera, debet ſupponi ejus objectum exiſtens pro omni tempore importato per copulam ; ſed ſi ſupponitur objectum propoſitionis exiſtens pro omni tempore per copulam importato, implicat, eam falſificari ; ergo implicat, propoſitionem ſemel veram evadere falſam. Prob. min. Ut propoſitio ſit falſa debet objectum ejus non eſſe pro aliquo tempore per copulam importato ; ſed ſi ſupponitur exiſtens pro omni tempore importato per copulam, nequit ſupponi non exiſtens pro aliquo tempore per copulam importato ; ergo ſi &c.

Reſp. ad hanc rationem, quam robuſtam non ſemel ſe fuiſſe expertum jactat Oviedus, diſt. maj. debet ejus objectum ſupponi exiſtens pro omni tempore importato per copulam, dum propoſitio eſt vera, concedo, importato, & importando per eandem copulam, nego maj. & diſtinguo min. eo ipſo, quod ſupponitur objectum exiſtens pro omni tempore importato, & importando, implicat, &c. concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Igitur copula temporis V. G. præſentis eſtò nequeat importare aliam differentiam temporis, vel præteriti, vel futuri, quia ſecùs haud eadem erit propoſitio, & copula ; quia tamen non ſemper idem numero tempus, vel eadem temporis pars eſt præſens ; Idcircò ad hoc, ut propoſitio vera ſit, non eſt neceſſe, quod in omni portione temporis, quæ ſuccedaneè ſit præſens, ejus objectum exiſtat : hoc enim ſolummodo requiritur ad veritatem illius propoſitionis, in qua enunciatur exiſtentia objecti pro ſemper, ideſt *Mevius ſemper ſedet*. Quamobrem ut ſit vera propoſitio ſat eſt, quòd dum enunciantur de præſenti habeat objectum exiſtens illa temporis in portione de præſenti. Quòd ſi in ſequenti portione temporis, quæ & ipſa importabitur ut præſens, non obtinebit objectum exiſtens, tunc propoſitio erit falſa, non quidem per mutationem cauſatam per verum motum, ut locum habeat authoritas Stagyritæ allata num. 5. cùm relatio habeat eſſe per meram reſultantiam, ſed per ſolam extrinſecam objecti mutationem.

Et memento, quòd dixi num. 8. ſub finem, illa plura inſtantia ſibi ſuccedentia ſignificari ab eadem propoſitione, non per modum plurium, cùm ad hoc plures requirerentur propoſitiones, ſed per modum unius.

11. Arg. 4. Quemadmodum opponuntur bonum, & malum reſpectu voluntatis, ita reſpectu intellectus verum, & falſum, judice D. Th p. 1. q. 19 art 1. ſed idem actus internus voluntatis nequit ſuccedaneè eſſe bonus, & malus, judice eodem D. Th. p 2. q 26. art 6. ſaltem idem in eſſe moris, ut univerſi profitentur Thomiſtæ, imò nec ſalva identitate phyſica in ſententia Gregorii Martinez eadem p. 2. q. 19. art. 1. ergo nec idem actus intellectus poteſt eſſe ſucceſſivè verus & falſus. Nota de actu interno voluntatis. Exploratum namque eſt, quòd actus externus à voluntate imperatus poteſt de bono in malum variari, ut evenit in comeſtione carnis inchoata die Jovis ante mediam noctem, & prolata uſque poſt mediam noctem.

Reſp. aſſignando diſcrimen in hoc ſitum, quòd verum, & falſum duntaxat ab objecto ſumuntur. Idcircò variato objecto, tametſi non varietur intrinſecè entitativè actus, poteſt ſuccedaneè verus fieri, & falſus. At bonum, & malum ſumuntur, non ſolùm ab objecto, verùm etiam ab intrinſeca voluntatis acceptatione. Ob idque actus internus voluntatis nequit migrare de bono in malum moraliter, niſi etiam actus ille approbetur, adeoque niſi alius egrediatur à voluntate actus, quo illum acceptet, ac proinde niſi fiat mutatio in entitate phyſica actus voluntaris.

Inſt. In eſſe entitativo nequit actus fieri de entitativè bo-

verè bono entitativè malus: ergo nec de vero falſus.

Reſp. nego ſuppoſitum. Non enim extat in rebus nec poſitivum malum, nec falſum in rebus in eſſe entitativo ut conſpicies art. ſequenti 3. & q. ſequenti 11. art. 2. ſolumque in eſſe moris primum extare poteſt, & ſecundum in eſſe intentionali, cognoſcitivo, & repræſentativo.

12. Arg. 5. Propoſitio mentalis eſt rei imago naturalis; ſed iſta eſt invariabilis: ergo propoſitio mentalis eſt invariabilis.

Reſp. data maj. diſt. min. eſt invariabilis ſi objectum ſit invariabile, concedo, ſi objectum ſit variabile, nego min. & conſeq. Si namque objectum ſit variabile, variabilis quoque eſt imago, quæ priùs erat illi conformis, & poſtea evadit illi diformis.

Contra. Imago V.G. Clementis XI. quæ erat ei conformis dum puer erat, adhuc eſt vera ejus imago modò cùm ſenex eſt per hoc præcisè, quod aliquando ei fuit conformis: ergo &c.

Reſp. nego ant. Fuit enim, non verò eſt vera ejus imago. Deinde paritas non eſt ad rem. Nam etſi hypotheticè daremus, quòd Clementis XI. imago non potuerit variari in ſui repræſentatione, haud aliud à pari concedere adigeremur, niſi quòd conceptus mentalis nequeat variari in ſui repræſentatione (quòd ultrò concedimus) non verò quòd nequeat variari in ſui verificatione.

13. Arg. 6. Propoſitio nequit durare pluſquam per inſtans: ergo ſi uno in inſtanti fuerit vera, nequit in alio eadem eſſe falſa. Prob. ant. Eſt actio tranſiens: ergo &c.

Reſp. nego ant. niſi interrumpatur per ceſſationem. Ad prob. dato ant. diſt. conſequens, niſi continuò eliciatur, concedo, ſecùs, nego conſeq. ſolutio patet ex dictis num. 6. refutando primum reſponſum datum ad primam prob. noſtram.

14. Arg. aliud videatur ſolutum lib. 2. Summularum cap. 1. de propoſitione num. 2.

ARTICULUS TERTIUS
circa Falſitatem.

1. CIrca falſitatem, ultra complura alia, quæ habet S. Th. p. p. q. 17. puta circa ſubjectum illius, an ſit ſenſus, vel cogitativa, vel intellectus ſolus; veſtigari poſſet, in quo ſita ſit; Verùm quia eluceſcere hoc poteſt ex dictis, omitto. Siquidem cùm oppoſitorum oppoſita ſint conſtitutiva; Idcircò ſicut diximus, veritatem ſitam eſſe in conformitate de primariò ad intellectum Divinum; ita dicendum, falſitatem, ſaltem tranſcendentalem ſitam eſſe in deformitate ad illum. Non autem ſita eſſe debet in hoc, quod aliquid ſit natum apparere aliter, ac eſt, vel in alio ex modis, quos plerique ſtatuunt; quoſque vidimus art. 1. §. 1. circa veritatem.

Quòd ſi autboritas objiciatur Philoſophi 5. Meth. tex. 34. interpretanda erit, ſicut de veritate illa D. Th. art. 1. num. 17.

§. I.

Num extet falſitas in rebus, an verò in ſolo intellectu.

2. DAri in rebus falſitatem ſpecialem, licèt non tranſcendentalem, annuunt Maſtrius hic diſp. 5. q. 8. num. 200. Alenſis, Meuriſſe, Pontius, aliique Scotiſtæ ſaltem quòad aliquas res, quæ natæ ſunt apparere aliud, quàm ſunt. Sic V.G. Auricalchum dicitur falſum aurum, quia natum eſt apparere verum aurum, licèt tale non ſit: Item ſtannum eſſe falſum argentum, &c. ad differentiam eorum, quæ tametſi aliter, ac ſunt appareant, non dicuntur falſa, quia non ſunt nata apparere talia, ut V.G. Sol etſi appareat minor terra, adhuc ejus moles non dicitur falſa, quia non eſt nata apparere adeo modica, ſed apparet talis per accidens, nimirum propter nimiam diſtantiam. Item falſa non dicuntur ea, quæ non ſuapte natura, ſed ab arte aliquam obtinent apparentiam alterius. Undè Homo marmoreus, pictus &c. non dicitur falſus Homo.

Abnuunt autem univerſi Thomiſtæ, quibus adſtipulantur Suarez diſp. 9. Meth. ſect. 1. num. 8. Hurtad. 7. Meth. diſp. 7. dicentes, non dari in rebus falſitatem intrinſecam, ſed duntaxat per extrinſecam denominationem.

§. II.

CONCLUSIO.

In rebus ſive naturalibus, ſive artificialibus, nulla extat falſitas, ſed duntaxat in voluntariis, & in Intellectu.

3. DE Veritate tranſcendentali crediderim, eſſe certam. Iſta namque eſt proprietas entis tranſcendentalis; adeoque ſi extaret aliquod falſum eſſet ſimul ens, & non ens.

4. Quò ad veritatem ſpecialem in rebus naturalibus Prob. Si aliquod extaret hujuſmodi falſum, maximè illud, quod natum eſt apparere aliter, quàm eſt; ſed non extat aliquod natum apparere aliter, ac eſt: ergo &c. Maj. eſt Adverſariorum. Min. prob. Si id extaret, utique auricalchum, ſtannum, &c. ſed falſum eſt, quòd auricalchum ſit natum apparere verum aurum, &c. ergo &c. Prob. min. Auricalchum eſt natum appare duntaxat ſimile vero auro; ſed ſic apparere non eſt apparere verum aurum: ergo &c. Min. videtur nota. Quemadmodum enim eſſe ſimile vero auro non eſt eſſe verum aurum, ita apparere ſimile vero auro non erit apparere verum aurum. Maj. prob. Auricalchi natura non prætendit, niſi ſimilitudinem cum auro; ergo &c.

Conf. & explicatur. Auricalchum ſuapte natura apparet ſimile vero auro, qua ex ſimilitudine oritur, quòd interdum intellectus eum verum judicet aurum; ſed nulla in hoc extat falſitas, quia verè eſt ſimile vero auro: ergo nulla hic habetur intrinſeca falſitas.

Urg. Auricalchum eſt verum auricalchum, & veram ſui fundat cognitionem. Illud vero non eſſe aurum, & eſſe ſimile vero, non facit illud falſum, benè verò diſtinctum ab auro, & illi ſimile; ſed in diſtinctione unius rei ab alia, & ſimilitudine, nulla eſt falſitas: ergo nulla in hoc intervenit falſitas.

Urg magis. Si res forent falſæ, vel id foret ex actuali deformitate ad intellectum, vel ex aptitudinali. Primum autem, nec ſecundum eſſe poteſt. Non primum, quia licèt etiam illud falſum ſit, quod aliter ſe habet, quàm appareat nobis; falſitas tamen illa non eſt formaliter in re, ſed eſt in intellectu noſtro apprehendente rem aliter, quàm ſit. Quæ quidem res quantùm eſt ex ſe vera eſt, & nata facere talem ſui æſtimationem apud intellectum, qualis eſt in ſe. Neque ſecundum, quod eadem oſtenditur ratione. Nam aptitudo iſta non eſt ex parte rerum, ſed eſt ex defectu Intellectus: Ob idque objecti falſitas jugiter oritur ex imperfectione cognoſcentis, quia etſi accidentia aliqua ſimilia fundamentum aliquod præbeant, ut hoc objectum cum illo confundantur, & aliud, ac eſt judicetur; nihilominùs ex ſe aptum erat terminare cognitionem veram, & accidentia, quæ ſimilitudinem referebant cum alio ente; ſufficientia minimè forent illum decipere, ſi intellectus perfectè cognoſceret, ut palam eſt in Deo, qui propter ſui perfectionem decipi nequaquam poteſt. Quæ omnia concedit etiam Maſtrius ibi q. ſequenti 19. art. 1.

Roborantur hæc omnia. Si hujuſmodi res natæ forent aliter, ac ſunt apparere, ſequeretur, quòd tales reſpectu omnium apparerent, puta etiam reſpectu Angeli, imò & reſpectu Dei, cùm reſpectu omnium forent ejuſdem naturæ; ſicque Angelus, imò & Deus ipſe judicaret auricalchum eſſe verum aurum.

His victus Maſtrius fatetur ubi ſupra num. 101. talem falſitatem non eſſe ſimpliciter, ſed ſolùm per comparationem ad intellectum noſtrum.

Sed hoc reſponſum poterat omitti; quoniam ea jam dictis emicat, nullatenus extare falſitatem, Tum quia nec reſpectu intellectus ſimilitudo, & diſtinctio, eſt in ſe falſitas, licèt per accidens ex imperfectione intellectus noſtri poſſit ei falſitatis formalis occaſionem præbere. Tum quia ſi talia nata forent apparere, deberent talia apparere etiam intellectui Angelico, imò & Divino.

5. Prob. præterea hæc eadem pars. Res naturalis dicitur vera inquantum conformis eſt intellectui Divino, ideamque imitatur Divinam: ergo tantum erit falſa inquantum Divino eſt diformis intellectui, ideamque Divinam non imitabitur; ſed impoſſibilis prorſus eſt res naturalis, quæ Divino non conformetur intellectui, ideamque non imitetur Divinam: ergo &c. Maj. liquet ex dictis art. 1. Conſeq.

 eſt exa-

eſt exacta, quia oppoſita oppoſitis conſtituuntur rationibus. Min. ſubſ. Prob. ex D. Th. p. p. q. 17. art. 1. quia quicquid accidit in rebus naturalibus, accidit ex ordinatione Divini intellectus, & nihil eſt à caſu, vel non præordinatum à Deo.

6. Prob quòd nec in artificialibus extare falſitas debeat. Intellectus creatus nunquam eſt menſura prima, eſtque jugiter menſura ſecunda, cùm ſit menſura participata, quemadmodum ejus ars eſt à Deo participata: ergo tametſi nonnunquam res artificialis ſit Artificis intellectui difformis, eùm aliàs nequeat Divino eſſe intellectui difformis, cujus præordinationem nulla etiam artificialis in mundo res eveniens effugiat, omniſque ejus phyſicus defectus ex Divina diſpoſitione ob Divinos ejus ſpeciales fines pendeat, ut n. 8. etiam de monſtris dicemus, reliquum eſt, quòd neque in artificialibus falſitas locum habere queat.

Imò nec creati artificis poteſt intellectui difformis eſſe, cùm conformitas ad intellectum creatum ſit conformitas importata de ſecundariò, nec ratio ſecundaria poſſit abſque primaria conſiſtere. Unde

Sic oſtenditur. Si V. G. Domus ita ab idea ſua deficiat, ut in nullo prorſus ei conformetur; tunc non poterit artificiale illud opus falſa nuncupari domus, quia nec quidem domus erit. Si autem habeat eſſentialia domus, & ab aliqua deficiat perfectione accidentali, erit artificialis quò ad eſſentialia, quò ad alia verò non artificialis; ſicut ſi quò ad omnia deficeret, nullo modo artificialis foret. De quo iterum num. 9.

7. Quòd demum in voluntariis, ideſt in moralibus, & in intellectu extare queat, Prob. 1. De his non militat ratio adducta, quòd debeant conformari Divinæ ideæ, ut primæ regulæ; quia ad formale peccati, ideſt ad malitiam, & ad formale erroris Deus non concurrit, juxta dicta 7. Phyſ. quæſt. 2. art. 2. n. 15. In ratione autem entis nec volitio, nec cognitio, nec propoſitio falſa eſſe poteſt, juxta dicta art. 2. num. 9.

Prob. præterea peculiariter quò ad moralia. Principium, à quo per ſe dependet tanquam à propria regula, & menſura res in genere moris eſt ratio practica, cui multoties non conformatur, ut palam eſt in operibus peccaminoſis, qui ab illa ſecedunt; ergo res in genere moris poteſt dici ſimpliciter falſa.

Prob. denique poſſe, extare in intellectu. Falſitas formalis ſita eſt in difformitate intellectus cum re cognita, quemadmodum veritas ſita eſt in conformitate ad rem cognitam, cui intellectum paſſim non conformari noſtrum, haud dubium eſſe poteſt.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

8. ARg. 1. Non paucæ res extant, quæ propter ſimilitudinem cum aliis aptæ ſunt manifeſtari intellectui noſtro aliter, quàm ſunt, & ea, quæ non ſunt apparere; ſed judice Aug. lib. 2. de ſoliloq. cap. 6. ea dicuntur falſa, quæ nata ſunt apparere qualia non ſunt, aut quæ non ſunt: ergo extat falſitas naturalibus in rebus. Maj. palam eſt in Auricalcho, quod verum reputatur aurum, & non eſt.

Conf. Difformitas rei à propria menſura, nimirum intellectus, eſt falſitas; ſed actiones, & effectus cauſarum naturalium, quando non ſervant modum à natura præſcriptum, V. G. cum gignuntur monſtra, ſunt difformes propriæ menſuræ, intellectui nempe Divino: ergo ſunt falſæ. Prob. ant. diſcrepant à regulis artis, & cognitionis Divinæ; ergo &c. Prob. ant. Tales regulæ verſantur circa modum, quem ſervare debent cauſæ naturales, ut actiones, & effectus ſint æquales: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego maj. Ad prob. nego ant. Natum ſiquidem eſt apparere ſimile vero auro at non apparere verum aurum. Vide n. 4. Ad prob. annexam diſt. & aliàs quod verum exiſtimetur aurum eſt per ſe, nego, per accidens ex imperfectione intellectus noſtri, concedo. Cujus ſigno eſt, quòd non judicatur verum aurum ab intellectu Angelico, & multò minùs à Divino.

Quam ſimilitudinem naturalia habent à natura, artificialia verò ab arte. Et in hoc ſtat eorum quò ad hoc differentia.

Ad Conf. nego min. Ad prob. nego ant. cujus ad prob. diſt. ant. Tales regulæ verſantur circa modum, quem ſervare debent cauſæ; ſemper attenta earum particulari inclinatione, nego, attenta inclinatione vel particulari, vel univerſali, concedo ant. & nego conſeq. Univerſali namque, & extraordinaria inclinatione obediunt Deo univerſaliſſimo proviſori in ordine ad fines ipſi notos, juxta ea, quæ de monſtris dixi 2. Phyſ. q. 3. veſtigando, quibus competat agere propter finem?

9. Arg. 2. ad idem. Ubi unum extat contrariorum, extare, & aliud debet; ſed verum, & falſum ſunt contraria: ergo ſi in rebus extat verum, extabit & falſum. Maj. nitet de rationali, & irrationali.

Reſp. ex dictis 3. Phyſ. q. 2. art. 1. § 3. ad ult. arg. maj. eſſe veram de contrariis, quæ ſunt Divina alicujus generis ſuperioris.

Arg. aliud à paritate ſolvetur quæſt. ſequenti ss. art. 1. num. 8. ad 3.

10. Arg. 3. probando, extare falſitatem in artefactis. Res ea falſa dicitur, quæ non habet conformitatem cum ſuo principio, à quo per ſe pendet tanquam à propria menſura; ſed res artefacta poteſt talem habere difformitatem: ergo falſa eſſe poteſt. Prob min. Principium, à quo per ſe dependet tanquam &c. eſt forma artis exiſtens in artificis mente, ſed huic multoties non conformatur: ergo &c.

Reſp nego min Ad prob diſt min. non conformatur in eo, quòd non habet de artificioſo, concedo, in eo, quod de artificioſo habet, nego. Vide toto num 6.

11. Arg 4. probando, non extare falſitatem in moralibus: Effectus, qui eſt in peccatis, eſt malitia potiùs, quàm falſitas; & qua ratione operatio deficit à Deo, vel ei Adverſatur dicitur, mala, non verò falſa: ergo in rebus moralibus non datur falſitas.

Reſp. diſt. ant. Inſpecto tali effectu ut opponitur Deo ut ſummo bono, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Peccata ſiquidem habent rationem mali, & rationem falſi, & hanc ſecundam ut à regula, & menſura ſua deficiunt, quæ eſt rectitudo. Propterea in ſacris litteris peccata compellantur etiam mendacia, juxta illud Davidicum effatum, *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

QUÆRES.

Quomodo opponantur verum, & falſum.

12. MAſtrius ubi ſupra diſp. 5. q. 8. n. 203. litem intentare voluit contra D. Th. eò quòd S. D. p. p. q. 17. art. 4. doceat, verum & falſum opponi contrariè. Quod Maſtrius improbat, quia falſitas conſiſtit in negatione conformitatis; Oppoſitio autem contraria verſatur inter extrema poſitiva.

Verùm Conſultiùs ab hac abſtinuiſſet lite Maſtrius. Quandoquidem ultra quam quod haud benè cauſam agit, ut cuique legenti conſpicuum fiet, minus benè Angelicum aggreditur. S. D. ſiquidem loquitur de veritate, & falſitate, non quò ad id, quod de connotato dicunt, ſed quantum ad id, quod dicunt in recto, nimirum quò ad entitatem; non quidem abſolutè ſecundùm ſe inſpectam (hoc enim modo opponerentur in ente, non in veritate, & falſitate) ſed inſpectam reduplicativè ut fundantem illam conformitatem, vel difformitatem.

Quantùm verò ad id, quod dicunt de connotato, dicendum venit, opponi privativè latè, ſicut de unitate, & diſtinctione ſcripſi q. prægreſſa art. unico n. 8. ad 3. arg.

QUÆ-

QUÆSTIO UNDECIMA

De Ente bono, & malo.

HÆc unica nos manet pertractanda entis proprietas, nimirum bonitas.

ARTICULUS PRIMUS
circa Bonitatem.

In quo ſita ſit formaliter Bonitas.

§. I.

2. QUamquam tranſcendentali de bonitate potiſſimum ſermo ſit, attamen etiam de ſpeciali, dicta à nonnullis prædicamentali, diſcurſus erit, omiſſa bonitate morali, quæ ad Theologos p.2. q.18.

Vaſquez p. p. diſp. 23. Acerb. lib. 1. quæſtionum Peripat. q.12. Faber Scotiſta in 4. ſent. diſt. diſp 9. de præcit. cap.5. quibus favent Bannez, Zumel p. p q.5. art.9. Ferrar. 1. contra Gentes cap. 37. Niphus 6. Meth. ad tex. Hervæcus quodl.3. q 2. Molin. p. p. q. 5. diſp. un. dicunt, bonitatem conſiſtere in ipſa perfectione eſſentiali rei, ideſt in ipſa eſſentiali integritate rei. Et licèt concedant, importare etiam relationem ad aliud; tamen dicunt, prout relationem ad aliud importat non eſſe paſſionem entis.

Qua ex re micat, haud benè diſcurrere, pleroſque, qui hic uti certum præmittunt, bonum ſumi biformiter poſſe; uno modo abſolutè, & alio modo relativè. Et poſtea ſubdunt, ac ſupponunt, quòd bonum, ſi abſolutè inſpiciatur, nil ampliùs importet, quàm integritatem rei, quò ad omnia, quæ ſibi conveniunt; ſi verò relativè ſumatur importet relationem convenientiæ ad aliud.

Haud benè, inquam. Nam etiam in hoc ſtat difficultas, nam dici debeat, quòd omne bonum ſitum ſit in aliquo abſoluto, quod eſt ipſa rei integritas; an verò in aliquo reſpectivo. Imò Vaſquez ibi cap. 7. etiam ſua in ſententia explicat bonitatem per relationem, non quidem convenientiæ, ſed integritatis ex pluribus; quoniam concurſus omnium abſque defectu ad alicujus conſtitutionem relativè ſignificatur: hanc verò relationem eſſe inter ea, quæ congrediuntur ad integritatem conſtituendam; atque in rebus ſimplicibus, cùm non adſint partes realiter diſtinctæ, eſſe relationem rationis tantùm.

Præfatam ad opinionem reducitur illa præcitati Fabri, aſſeverantis, bonitatem conſiſtere in negatione defectus, nimirum in hoc, quod nihil deſit de pertinentibus ad rei integritatem. Sed iſta exploſa jam manet, Tum ex dictis de unitate, & veritate, quas oſtendimus, non poſſe ſitas eſſe in mera negatione; Tum ex eo, quod voluntas nequit moveri, & trahi à pura negatione. Tum quia negatio defectus, ceu negatio negationis, eſt quid poſitivum.

Reliqui cenſent, bonitatem pro formali importare relationem. Sed iſti diſſident inter ſe. Nam eorum quidam tutantur, conſiſtere in relatione ad aliud extremum, cui eſt conveniens, ſicut V.G. vinum dicitur, eſſe bonum ſano. & malum ægroto. Ita Durandus in 2. ſent. diſt. 34. q.1. Fonſeca 4. Metb. cap. q 7 volens, eſſe relationem rationis, Suarez diſp. 10. Meth. ſect.1. num. 13. & ſeq. Alii, ut Paſquerius diſp 75. tom.2. Meth. ſect. 1. concl 1. & alii dicunt, conſiſtere in relatione conformitatis ad divinas ideas. Vult enim Paſquerius, unumquodque ens, hoc ipſo, quod menſuratur per divinas ideas, non ſolùm habere conformitatem cum ipſis, ratione cujus habet ſuam veritatem, ſed etiam habere debitum modum ſuæ menſuræ, atque debitam convenientiam quò ad ſuum eſſe, ut ſuum ad finem ordinari queat. Quæ tamen opinio ſponte ſua ruit, quia bonum eſt de linea appetibilis, & non de linea cognoſcibilis. Nec eſt verum, quòd appetibilitas bonitatem ad quam ſequatur, ſupponat. Non, inquam, ſicut nec intelligibilitas ſequitur ad veritatem, quia etiam illa, quæ præſupponeretur veritas, foret intelligibilis, vel deberet præſupponi ad divinas ideas.

Scotiſtæ (paucis demptis) & Thomiſtæ omnes propugnant, bonitatem ſitam eſſe in relatione ad appetitum. Diſcrepant tamen, quia Scotiſta autumat, eſſe reſpectum ad voluntatem cùm divinam, tum creatam de primariò; Thomiſta verò ad divinam de primariò, & de ſecundariò ad creatam. Præterea & inter Thomiſtas diſſidium, licèt modicum, habetur, num ſit prædicamentalis relatio, & num importetur in recto. De quo vide ſupra de veritate.

§. II.

CONCLUSIO.

Ratio formalis bonitatis non eſt ſita in integritate rei; nec in relatione ad aliud, quod non ſit appetitus, & voluntas, ſed in entitate connotante convenientiam primariò ad divinam, de ſecundariò ad creatam voluntatem.

2. QUam didicimus à Phil. 1. Ethic. cap.1 ubi definit bonitatem, quòd ſit *quam omnia appetunt* & S. Th. p.p. quæſt.5. art.1. & quæſt.1. de ver. art 1. & ibi quæſt.22. art.1.

3. Prob. 1. quò ad p. p. Proprietas dicit quid ſaltem explicitè diverſum ab eo, ideſt ab eſſentia, cujus eſt proprietas; ſed integritas entis nil dicit explicitè diverſum ab ente, ſaltem diverſitate adæquata: ergo bonitas non eſt ſita in ipſa eſſentiali rei integritate. Prob. min. Integritas eſſentialis V. G. Hominis nil aliud eſt, quàm ipſa Hominis eſſentia: ergo pariter integritas eſſentialis entis, &c.

Dixi *adæquata*, quia Vaſquez contendit, diſtinctionem aliquam, ſaltem penes explicitum, dari ens inter, & ejus integritatem eſſentialem; eò quòd poteſt concipi ens in confuſo, quin concipiatur perfectum. Quæ tamen diverſitas tametſi hypotheticè concedatur, nunquam poteſt eſſe adæquata, quemadmodum integritas eſſentialis Hominis nequit concipi ut adæquatè diverſa ab eſſentia Hominis, ut magis diſplicabitur num 9. Hæc autem inadæquata diſtinctio non ſufficit, ſecùs etiam *Res* dici poſſet entis proprietas. Vide ſupra q 7. art.2.

4. Prob. quò ad 2.p. nimirum non eſſe ſitam in convenientia ad aliud extremum, cui aliquid eſt congruum. Cùm unaquæque res ſicut eſt uni conveniens, ita ſit alteri diſconveniens, V. G venenum ſicut eſt conveniens ſerpenti, ita eſt diſconveniens Homini, ſequeretur, res, ſicut ſunt tranſcendentaliter bonæ, ita eſſe tranſcendentaliter malas. Hoc autem eſt Manichæorum indulgere errori, conſtituentium res quaſdam Natura ſua malas. Hanc ratiocinationem fuſiùs perſequitur Bias.

Prob præterea quò ad eandem p. præſertim de bonitate tranſcendentali. Bonum, quod eſt paſſio entis, debet ſequi ad ens ut ens eſt, non ut tale ens eſt; ſed bonum, quod ſumitur per comparationem ad aliud, cui eſt conveniens, extremum, ſequitur ad ens, non ut ens eſt abſolutè, ſed ut tale ens eſt: ergo &c. Maj. eſt perſpicua, ſecùs non entis, ſed talis entis paſſio foret. Min. prob. Quod unum ens conveniat naturæ alterius, hoc non debetur ei, quia ens eſt, ſecùs æquè benè omne ens illi conveniret, V. G. ægrotorum venenum, quàm medicina: ergo &c.

Conſ. Bonum, quod eſt paſſio entis ut ens eſt, debet idem in omnibus ſortiri conſtitutivum, ſed bonitas ſumpta relativè ad aliud extremum, quod non ſit appetitus, vel voluntas, non idem in omnibus obtinet conſtitutivum: ergo &c. Prob. min. Hujuſcemodi bonitas, V. G. quòd eſſe frigidum competat nivi, & eſſe calidum conveniat igni, habetur ex diverſa cauſa intrinſeca, & ex diverſis extrinſecis connotatis; ſed à diverſitate cauſarum tum intrinſecarum, tum extrinſecarum, habetur diverſitas conſtitutivi: ergo &c.

5. Quòd

Digitized by Google

5. Quòd non ſit ſita in negatione habes ex dictis antegreſſo §. & loco ibi appellato, & ex dictis prægreſſa q. 10. ſicut de veritate poteſt probari, non eſſe ſitam in mera extrinſeca denominatione, aut relatione rationis.

6. Quòd non ſit ſita in conformitate ad Divinas Ideas, oſtenſum eſt anteacto §. 2. contra Paſquerjum.

7. Quòd ſita ſit in convenientia ad appetitum Prob. à ſufficienti diviſione.

Prob præterea, Quod dicit abſolutè, & indeterminatè bonitas abſolutè, id dicit determinatè, ac ſecundùm varias determinationes bonitas determinatè; ſed diverſa bonitas determinatè ſumitur per diverſam comparationem ad appetitum, ſeu ſecundùm diverſam appetibilitatem: ergo &c. Prob. min. Triplex percenſetur bonum, honeſtum nimirum, utile, & delectabile; ſed primum dicitur illud, quod eſt appetibile propter ſe, ut finis; ſecundum verò quod eſt appetibile ut medium juvans ad finem; & tertium eſt idem finis, ut jam obtentus, in quo quieſcit appetitus: ergo &c.

Et hic memento, quod ſcripſimus lib. 3. de Anima q. 5. in Præloquiis, nimirum quòd ultra elicitum, ſenſitivum, & rationalem, extat innatus appetitus, quo Centrum V. G. appetitur à lapide, &c.

8. Denique quòd primariò ſumi debeat per convenientiam ad Divinam voluntatem Prob. quia etiam omni ſemota voluntate creata, & remanente aliqua re, aliquo ente, ſuam haberet bonitatem, cum hæc ſit paſſio entis. Tum quia voluntas creata, ceu menſura participata, nequit eſſe menſura prima.

§. III.

Adverſantium argumenta ſolvuntur.

9. ARg. 1. contra p. p. Integritas, & perfectio eſt proprietas entis; ſed non alia, niſi bonitas: ergo &c. Prob maj. Diſtinguitur aliquo modo ſaltem explicitè ab ente, & omni competit: ergo &c. Prob. ant. Ens, & perfectum non ſunt ſynonima, nec iſta propoſitio *ens eſt perfectum*, eſt identica: ergo &c.

Conf. 1. Denominatio perfecti poteſt, & ſolet ſumi ſub nomine bonitatis, idque habet S. Th. p. p. q. 1. art. 1. & q. 5. art. 5. & 2. contra G. cap. 2. ergo &c.

Secundò. Quod habet defectum perfectionis, & integritatis, dicitur malum, V. G. malus Equus qui oculo caret: ergo quod habet integritatem eſt formaliter bonum.

Reſp. ad arg. nego maj. loquendo de integritate, ideſt perfectione eſſentiali, præſertim tranſcendentali. Ad prob. per dicta num. 3. diſt. ant. explicitè adæquatè, nego, inadæquatè, tranſeat ant. & nego conſeq. Quæ inadæquata diſtinctio in eo ſtat, quòd talis integritas dicit totum ens, totamque entis eſſentiam. Ens autem non ſemper exprimit totum ens; quia interdum ſumi poteſt pro conceptu partiali. At conceptus partialis non diſtinguitur adæquatè à totali, etſi diſtinguatur ab alio compartiali, quia in totali importatur. Sicut V. G. rationalitas licèt diſtinguatur adæquatè, imò & penès excluſum, à rationalitate; tamen nec quoad explicitum diſtinguitur, ſaltem diſtinctione adæquata, ab Homine, cùm nec explicitè poſſit adæquatè concipi Homo, quin etiam explicitè concipiatur rationale. Vide num. 3.

Dixi *tranſeat*. Poterat namque negari, & ad prob. negari ant. ſi ly *ens* ſumatur ut totum ens. Etenim integrum, & perfectum eos idem perinde ſignificat, ac hoc nomen *totum ens*.

Contra. Poteſt explicitè concipi ens in confuſo, ſine eo, quod explicitè ejus concipiatur integritas, & perfectio: ergo diſtinguitur explicitè adæquatè.

Reſp diſt. ant. poteſt concipi adæquatè, nego, inadæquatè, concedo.

Inſt Bonum dicit perfectionem conſumatam; ſed iſtam non dicit nec inadæquatè ens, ſecùs omne ens foret bonum conſumatum: ergo perfectio iſta diſtinguitur adæquatè ab ente. Eò vel maximè quòd perfectio conſumata dicit omnimodam independentiam ab alio, quia dependentia eſt imperfectio: adeoque bonum nequit dicere ordinem ad aliud creatum, nimirum ad appetitum.

Reſp. diſt. maj. bonum conſumatum, tranſeat, bonum tranſcendentale, nego, ſecùs omne ens foret bonum conſumatum. Dixi *tranſeat*, quia ſolùm in ſenſu cauſali bonum conſumatum eſt perfectio conſumata, ſicut feſtinè dicemus ad Conf. quòd bonum ſolùm in ſenſu cauſali, at non in ſenſu formali idem eſt, ac perfectum.

Ad id, quod ſubjiciebatur, nego ſuppoſitum. Ordo namque ad appetitum, ſaltem creatum, non indigitat dependentiam boni ab ipſo appetitu, ut arg. ſupponit, ſed potius dependentiam appetitus à bono, ita quod ex parte objecti ſit relatio menſuræ, ex parte verò potentiæ relatio menſurabilis, ut de veritate ſcripſi q. antegreſſa art. 1. Vide ibi.

Ad Conf. Reſp. id verum eſſe in ſenſu cauſali, & ita eſſe intelligendum S. Th. Ob idque D. Dionyſ. cap. 4. de Divinis nom. *bonum*, inquit, *ex integra cauſa*, *malum ex quocunque defectu* ubi perpendenda venit dictio illa *ex*. Pro quo animadverte, indubitatum eſſe, quòd integritas eſſentialis, ſive eſſentialis perfectio, prærequiritur ad bonitatem; ſed quòd negatur à nobis eſt, in ea ſitam eſſe formaliter bonitatem. Et in hoc duntaxat ſenſu locum habet id, quod obverſæ opinionis vindices objicere conſueverunt, nimirum quòd *intantum aliquid eſt bonum, inquantum eſt integrum, & perfectum: quod eatenus aliquid eſt appetibile, quatenus eſt perfectum, & integrum*.

Dices. De ratione boni vel eſt radicalis, vel formalis appetibilitas. Si primum, ergo idem eſt formaliter bonum, ac integrum, & perfectum; quoniam ipſa perfectio integra rei eſt ipſa appetibilitatis radix. Si ſecundum, ergo bonum formaliter importat pro ſui conſtitutivo relationem rationis, cùm (ſicut diximus) appetibile formaliter dicat relationem tanquam ad menſurabile menſura, quæ relationem dicit rationis ad menſuratum.

Reſp. eſſe appetibilitatem radicalem. Ad opp. conſequens, ac integrum, & perfectum ſecundùm ſe, nego, reduplicativè ut talem fundans talem relationem rationis, concedo. Nec hoc eſt concedere Adverſariorum intentum. Non, inquam, ſecùs etiam eſſet concedere, quòd bonitas, quæ eſt proprietas entis, ſita ſit formaliter in ipſo ente; quia dicimus, bonitatem eſſe ens ut fundans reſpectum ad appetitum. Quamobrem cùm dicamus, perfectionem, ſeu integritatem eſſentialem entis eſſe ipſum ens, idcircò ſicut dicimus, bonitatem ſitam eſſe in ipſa entitate, non quidem ſecundùm ſe, ſed ut fundante illum reſpectum ad appetitum: ita dicimus, eſſe ipſam perfectionem, & integritatem ut fundantem talem reſpectum realem ad voluntatem Divinam, & reſpectum rationis ad appetitum creatum.

Ad 2. Conf. Reſp. primodùm, id militare de bonitate, ſicut & de malo ſpeciali, non verò tranſcendentali. Præterea diſt. ant. dicitur malum formaliter, nego, conſecutivè, concedo. Ex eo namque, quòd tollitur integritas, tollitur etiam de conſequenti ratio fundandi reſpectum appetibilitatis, cùm talis ratio fundandi ſit cum ipſa perfectione vel eſſentiali, vel integrali identificata. Undè & de conſequenti tollitur bonitas formalis, & habetur malum, quod in ipſa bonitatis privatione conſiſtit, ut infra dicetur.

10. Arg. 2. ex Aureolo, probando bonum ſitum eſſe in convenientia alteri extremo. Poſita ſola convenientia unius rei ad alteram habetur bonitas: ergo &c. Prob ant. Venenum poſita ſola convenientia Serpenti, quem perficit, eſt bonum Serpenti &c. ergo &c.

Conf. 1. ex Suar. inductivè. Bonum honeſtum dicitur quia eſt conveniens rationi; bonum delectabile, quia eſt conveniens parti ſenſitivæ; & bonum utile, quia eſt conveniens ad finis conſecutionem.

Secundò ex Averſa, & Meuriſſe. Nullum extat ens, quod non ſit alteri conveniens, V. G. Forma ſubjecta formis, actus potentiis, potentiæ actibus, cauſæ effectibus, effectus cauſis, &c. ergo cum conveniant omni enti, erit entis paſſio; ſed non alia, niſi bonitas: ergo &c.

Reſp. ad arg. & Conf. primitèr cuncta iſta militare de bono duntaxat ſpecialis generis, ut habes ex dictis num. 4. quia verificantur de quolibet, non ut ens eſt, ſed ut tale ens eſt. Præterea dico, omnia illa verificari in ſenſu duntaxat fundamentali.

Sic ſola poſita convenientia ad alterum habetur bonitas fundamentaliter proximè, quia habetur proximum appetibilitatis fundamentum. Ob idque ſi per impoſſibile extaret convenientia unius rei ad aliud extremum nulla abſque appetibilitate appetitus tum innati, cùm eliciti, extaret bonum, non formaliter, ſed ſolummodo fundamentaliter

proxi-

Digitized by Google

proximè. Item bonum honeſtum fundamentaliter proximè illud dicitur, quod eſt rationi conveniens, at formaliter id, quod eſt appetibile, per voluntatem rectâ ductam ratione: Delectabile bonum fundamentaliter proximè id dicitur, quod eſt conveniens parti ſenſitivæ, at formaliter, quod eſt appetibile appetitu ſenſitivo: Et tandem bonum utile fundamentaliter proximè id, quod eſt conveniens pro finis conſecutione; Utile verò formaliter bonum illud eſt, quod eſt appetibile appetitu vel innato, vel elicito, non propter ſe, ſed propter finem.

Similiter gratis conceſſo, quòd unumquodque ens talem ſortiatur convenientiam ad aliquod aliud extremum, dico quòd omni convenit enti in particulari ut tale, vel tale ens eſt, non verò ut ens eſt abſolutè. Præterea inquantum poteſt concernere bonum ſpecialis generis ad id, quod infertur, diſt. conſequens, erit paſſio entis, & bonitas inchoativè, concedo, formaliter, ac completè, nego. Illa itaque convenientia poteſt dici bonitas, quæ eſt paſſio entis inchoativè, quatenus convenientia illa eſt id, in quo inchoatur, & fundatur appetibilitas ſpecialis generis: ſicut eſſentialis entis integritas, & perfectio, eſt id, in quo fundatur appetibilitas tranſcendentalis. Imò quoad bonitatem ſpecialis generis poteſt etiam dici, quòd eſſentia ejus, ſive eſſentialis integritas, & perfectio, ſit cauſa veluti remota bonitatis; ipſa verò convenientia alteri extremo ſit cauſa proxima bonitatis; & appetibilitas, ſive convenientia appetitui, ſit ratio formalis bonitatis in peculiari linea.

11. Arg. 3 Ex Vaſquez, probando, bonitatem non eſſe ſitam in illo reſpectu ad appetitum. Quælibet res eſt abſolutè, & ſimpliciter bona, eo ipſo, quod à Deo procedit, ut eſt contra Manichæos Fidei dogma; ſed juxta hanc opinionem foret bona duntaxat reſpectivè: ergo &c.

Reſp. primitùs, eſſe contra Manichæum fidei dogma, quòd res quælibet ſit bona ſimpliciter, & abſolutè, non prout ly *abſolutè*, & *ſimpliciter* excludit reſpectum, ſed prout excludit omnem mali rationem. Præterea omiſſa maj. dico, min. fore veram, ſi foret ſita in illa relatione, ut in recto importata. Importat autem illam tantummodo de connotato, ut prægreſſa quæſt. ſcripſimus de veritate.

12. Arg. 4. ad idem ex Aureolo. Ratio boni eſt motiva appetitus; ſed ratio appetibilis, ceu mera relatio, nequit appetitum movere: ergo &c. Prob. min. Si relatio foret ſufficiens motivum ipſius appetitus, tunc ratione relationis res forent formaliter appetibiles, & amabiles; ſed dum amamus aliquod bonum, ac deſideramus, ratio formalis movens appetitum non eſt relatio aliqua, benè verò aliquid, quod intrinſecè dicit, reique perfectio deſideratæ: ergo &c.

Conſ. ex Paſquerio. Ratio appetitus determinatam importat rationem entis, ſive ſumatur pro appetitu innato, ſive elicito, cùm non dicat aliquid, quod habeat eſſe præciſè, benè verò quod tale habeat eſſe; ens autem ut ſic, cujus eſt proprietas bonitas tranſcendentalis, communiſſimam importat rationem entis.

Urg. ex eodem. Bonitas de ſe abſoluta eſt, & ordinata ad ipſam rem, ut eam faciat bonam in ſeipſa, nec ipſius ad conſtitutionem eſt neceſsè, ut concurrat appetitus, & independenter ab ipſo bonitatis rationem obtinet; ad conſtitutionem autem appetibilitatis congreditur etiam appetitus, ſi non ut intrinſecum conſtitutivum, ſaltem ut extrinſecus terminus: oritur enim appetibilitas ex concurſu bonitatis, & appetitus.

Reſp. ad arg. dato ant. diſt. conſequens in recto, concedo, de connotato, nego. Bonitas in recto ipſam dicit entitatem ut fundantem hujuſcemodi relationem. Relatio autem importatur duntaxat de connotato, licèt ut formaliter, & eſſentialiter connotata.

Ad Conſ. diſt. ant. in eſſe entis, & ſubjectivè, concedo, in eſſe appetentis, & terminativè, nego. Poteſt enim appetitus, præſertim indeterminatus, ſe extendere ad appetendum omne, & quodcunque ens indeterminatum. Cùm enim quodlibet ens aliquam ſortiatur bonitatem, aliquam quoque obtinet appetibilitatem.

Accedit, quòd ſi inſpiciatur ens, & bonum indeterminatè deberet comparari ad appetitum indeterminatè. Hoc autem modo appetitus conſequitur ad omne ens; quia in omni ente aliquis adeſt appetitus, ſi non elicitus, ſaltem innatus.

Ad id, quo urgetur, nego ant. Nam id convenit perfectioni, & integritati rei, quam integritatem dicimus, non eſſe bonitatem pro formali.

13. Arg. 5. ad idem Appetibilitas ſupponit bonitatem: ergo &c. Prob. ant. Eatenus aliquid eſt appetibile quatenus eſt bonum: ergo &c.

Conſ. Relatio non dicit perfectionem: ergo nec bonitatem, adeoque &c.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. diſt. ant. ly *eatenus* dicente rationem formalem, concedo, dicente rationem aliquam fundamentalem, nego ant. & conſeq. quæ idcircò non tenet, ſicut nec teneret iſta *Titius eatenus eſt Homo, quatenus eſt animal rationale: ergo Homo ſupponit animal rationale*, cùm per iſtud formaliſſimè conſtituatur Homo.

Ad Conſ. tranſmiſſo ant. & primo conſequenti diſt. ſecundùm conſequens, adeoque in relatione ſita eſſe nequit bonitas quoad id, quod in recto dicit, concedo, quo ad id, quod de connotato dicit, nego conſeq.

Dixi *tranſmiſſo ant.* quia eſto non diceret perfectionem ſpecialem, tamen perfectionem dicit tranſcendentalem. Accedit, quòd non omnis bonitas eſt relatio prædicamentalis, à qua plerique bonitatis rationem excludunt.

14. Arg. 6. Ad idem. Bonum eſt paſſio entis: ergo ſicut extat ens abſolutum, & relativum, ita bonum abſolutum, & relativum: adeoque non omne bonum fundabit reſpectu ad appetitum.

Reſp. quòd nullum extat ens ab omni tranſcendentali abſolutum relatione; & quodcunque ens aliquam dicit relationem, non quidem ſemper prædicamentalem, ſed vel prædicamentalem, ut ſunt aliqua entia particularia, vel ſaltem tranſcendentalem.

15. Arg 7. ad idem. Conſtitutivum bonitatis tranſcendentalis nequit alteri ab ente convenire; ſed appetibilitas convenit alteri ab ente: ergo &c. Prob. min. Etiam non entia ſunt appetibilia, ut novimus de damnatis, appetentibus non eſſe.

Reſp. nego min. Ad prob. dico, quòd damnatus appetit non eſſe per accidens, ideſt per aliud, at non per ſe. Illud enim, quod per ſe deſiderat eſt vitæ tranquillitas. Lege S. Th p. p. q 5. art. 2. Ad 3. cujus eſt ſolutio. Et arg. exagitat etiam adverſæ opinionis vindices, qui tametſi inficientur bonitatem ſitam eſſe in appetibilitate, tamen fatentur, appetibilitatem eſſe quid conſequens ad bonitatem.

Dices. Damnati nequeunt appetere non eſſe, quatenus eſt terminativum pœnæ: ergo ſolutio nulla. Prob. ant. Non eſſe etiam quatenus eſt terminativum pœnæ eſt malum: ergo &c. Prob. ant. Non eſſe etiam ut terminativum pœnæ non eſt bonum: ergo &c. Prob. ant. Bonitas fundatur in entitate; ſed non eſſe non eſt entitas, nec eſſentia: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. Ad prob. diſt ant. non eſt bonum negativè, nego; poſitivè, ideſt bonitate poſitiva, concedo. Et hæc ſola fundatur in entitate Bonitas autem negativa non eſt, niſi carentia majoris mali.

Et licèt privatio nequeat tolli, niſi per formam poſitivam V. G. tenebræ niſi per lucem: attamen in hoc caſu poteſt tolli malum, quod eſt boni privatio tametſi non per bonitatem. Siquidem dictum illud verificatur quando non evertitur fundamentum, in quo habetur privatio. Palam namque eſt, quòd ſi noctis tempore annihilaretur orbis, tollerentur etiam tenebræ, quæ ſunt in aere, & tamen non poneretur lux in aere jam annihilato. In caſu autem quo damnatus haberet non eſſe, quod appetit, foret nihil, & deſtructus.

Oppugnabis. Damnatus nequit appetere non eſſe ſub ratione illius boni, quod conſiſtit in carentia mali: ergo &c. Prob. ant. Angelus malus non potuit appetere ſuum non eſſe etiam ſub ratione majoris boni, puta Domini: ergo à pari &c. Ant. eſt doctrina S. Th. p. p. q. 63. art 3. omniumque illorum, qui ſentiunt. Angelum malum non potuiſſe appetere æqualitatem cum Deo inconciliabilem cum eſſe Angelico; quia ſic ſuum appeteret non eſſe.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia appetitus, quo damnatus ſuum appetit non eſſe, habet potiùs rationem fugæ per nolitionem illius, quod patitur eſſendo, quàm rationem amoris, & volitionis. Aſt appetitus, quo Angelus malus appeteret non eſſe propter Divinam æqualitatem, haberet ra-

Digitized by Google

tionem amoris, & proſecutionis reſpectu ipſius non eſſe.

Inſt. Carentia divinitatis, ſive ipſius eſſe divini, poteſt habere rationem mali reſpectu damnati, non ſecùs, ac carentia divinæ viſionis, & inferni cruciatus obtinent rationem mali reſpectu damnati: ergo potuiſſet Angelus ſuum appetere non eſſe quatenus carentiam habet hujuſcemodi mali, conſiſtentis in carentia ipſius eſſe divini: ſicut damnatus poteſt ſuum appetere non eſſe, ut adjunctam habet carentiam mali conſiſtentis in carentia beatæ viſionis: ergo vel uterque, vel nullius appetitus habet rationem fugæ.

Reſp. nego ant. quò ad p. p. & ratio diſcriminis eſt, quia in Angelo ſicut & in damnato, eſt capacitas ſaltem obedientialis ad beatam viſionem, propter quam fuerunt conditi. Et hinc eſt, quòd carentia illius habet rationem privationis, & mali. At in Angelo nulla eſt capacitas divini eſſe, ſeu divinæ æqualitatis ſecundùm eſſentiam; Idcircò carentia divini eſſe in Angelo nequit habere rationem mali reſpectu illius: quemadmodum non eſt mihi malum, non eſſe Angelum, neque leoni non eſſe hominem.

16. Arg 8. probando, appetibilitatem eſſe meram denominationem, adeoque non poſſe in ea conſiſtere bonitatem intrinſecam.

Reſp. hoc facilè ſolvi per dicta q. præcedenti 10 art. 1. num. 3. ſub finem & ea hic eſſe redintegranda. Vide ibi ut brevitati deferamus.

17. Arg. 9. probando, bonitatem ſitam eſſe in reſpectu ad quemvis ſive creatum, ſive increatum appetitum; eò quòd Ariſt. (ut num. 2. diximus) inquit, *bonum eſſe illud, quod omnia appetunt*.

Reſp. ea hoc non concludi, niſi quòd bonum deſumatur etiam per ordinem ad creatum appetitum, imò ſive innatum, ſive elicitum, non tamen de primariò.

Imò loquendo de bono tranſcendentali tenendum eſt, ſumi de primariò in ordine ad voluntatem divinam, & de ſecundariò relatè ad ſolam voluntatem creatam, nullatenus verò ad alium appetitum, ſive innatum, ſive elicitum ſenſitivum. Ratio eſt, quia appetere bonum ut ſic convenire poteſt duntaxat voluntati, quæ eſt appetitus rationalis conſequens ad cognitionem apprehendentem bonum ut ſic.

18. Arg. 10. probando, bonitatem non eſſe ſitam in convenientia ad voluntatem divinam argumento inſinuato q. prægreſſa 10. art. 1. num. 12. ad 1. Deus eſt bonus, & ſummè bonus; ſed non per convenientiam ad ſuam divinam voluntatem: ergo &c. Prob. min. Deus, cùm non diſtinguatur realiter à ſua voluntate, nequit ad illam dicere convenientiæ relationem, ſecùs idem diceret relationem ad ſeipſum.

Conf. 1. S. Th. q. 21. de ver. art. 1. *primo*, inquit, *& principaliter dicitur bonum ens perfectivum alterius per modum finis*; ſed bonum præcipuè creatum nequit habere rationem finis reſpectu voluntatis divinæ: ergo iſtud &c.

Secundò. Bonum eſt ſpecificativum voluntatis creatæ; ſed ſpecificativum reſpicit priùs illud, quod ſpecificat, quàm quodvis aliud: ergo bonum reſpiciet voluntatem creatam priuſquam divinam.

Reſp. ad arg. nego min. Ad prob. dico primitèr, perſpicuum eſſe per dicta 2. Phyſ. q. 4. art. 2. §. 3. ſub num. 15. ad 3. Conf. 3. atq. non ſemper in relatione tranſcendentali inter relatum, & terminum requiri diſtinctionem realem, licèt iſta ſemper requiratur in relatione prædicamentali. Præterea per dicta ubi ſupra Reſp. bonum divinum dici tale, quia conveniens voluntati divinæ, non per relationem, ſed duntaxat ſummam per identitatem.

Dices. Hoc, quod eſt importare relationem convenientiæ ad voluntatem divinam vel convenit omni enti, vel non. Si primum: ergo convenit omni enti etiam divino. Si ſecundum: ergo non eſt conſtitutivum bonitatis tranſcendentalis, quæ convenit omni enti.

Reſp. quòd hoc, quod eſt importare convenientiam ad voluntatem divinam competit omni bono ut ſic, importare verò convenientiam per relationem, vel per ſummam identitatem convenit bono quà tale bonum, puta creato per relationem, divino per ſummam identitatem.

Ad 1. Conf. Reſp. S. Th. loqui de his, quæ primò, & principaliter conveniunt bono relatè ad voluntatem creatam. Nam hoc eſt, eam perficere per modum finis, ideſt ipſum amari. Et hic eſt primus effectus finis. Sunt autem & alii effectus finis, nimirum etiam illi, qui ſunt effectus cauſæ efficientis, ut ſcripſi 2. Phyſ. quæſt. 3. art. 2. §. 3. in fine.

Ad 2. nego min. loquendo de ſpecificativo extrinſeco. Palam namque eſt, quòd actus ſpecificant potentias, & tamen actus per ſe primò reſpiciunt objecta, à quibus ſpecificantur, & ad quæ tendunt ut ad cauſam formalem extrinſecam, licèt habeant eſſe priùs à potentia in genere cauſæ efficientis; non verò per ſe primo reſpiciunt potentias, quas ſpecificant.

Videnda erunt circa hanc ult. p. concl. cuncta argumenta ſoluta q. præcedenti 10. art. 1. §. 3. per totum.

PERCONTABERIS.

Quotuplex ſit bonum.

19. AD hoc habes ex dictis prægreſſo art. §. 3. num. 10. ad 1. conſ. arg. 3. bonum eſſe triplex, nimirum honeſtum, utile, & delectabile, ſeu blandum, ac jucundum. V. G. ibi Vid. poſtea S. Th p. 2 q 145. art. 1. ubi docet, honeſtum dici quaſi honore dignum; qui honor juxta eundem Angelicum ibi q. 103. art. 1. eſt conteſtatio quædam, ideſt teſtimonium quoddam, quod dicitur de excellentia alicujus; Et ſic Homines, qui gloriam, & honorem aucupantur, ſuæ excellentiæ teſtimonium venantur, inquit Stagyrita 1. Ethic. cap 12.

Videri poteſt Zuchi hic q 8 art. 2. num. 28.

ARTICULUS SECUNDUS
circa malum.

1. SUpponimus cum D Th 2 2. quæſt. 145. art. 1. adverſus Pythagoreos, malum non eſſe aliquam naturam. Eſſet enim, & non eſſet natura. Eſſet ut ſupponebant; & non eſſet, quia ſi foret natura, foret bonum, eò quòd foret ens, cujus eſt paſſio tranſcendentalis bonitas. Eſſe autem bonum eſt non eſſe malum. Eandem propter rationem exploratum eſt contra Manichæos, non eſſe quid poſitivum, cum illud ſit ens.

§. I.

In quo ſitum ſit; num detur in rebus; & quomodo cauſetur malum?

2. VIſo quòd malum non ſit ulla natura reliquum eſt, ſitum eſſe in carentia boni. Solet verò dubitari, num carentia iſta ſit dicenda negatio, an potiùs privatio. Nec hic ſermo eſt de malo morali, de quo agere eſt Theologi p 2. q. 71. & ſeqq. ubi & Noſtrates diſſident dicentibus nonnullis, ſitum eſſe in poſitivo, aliis verò ponentibus in privativo, ſeu negativo.

Quò ad malum verò in naturalibus concordes univerſi ſunt, non eſſe quid poſitivum. Et qui ſentiunt, malum morale ſitum eſſe in poſitivo, curant aſſignare diſparitatem; quia nimirum bonitas entitativa eſt paſſio tranſcendentalis entis, non ſic verò bonitas moralis, ſed iſta eſt potiùs differentia entis moralis ut ſic. Quod colligunt ex D. Th. p. p. q 48 art. 1. ad 2. & 3.

Attamen negari haud poteſt, difficultatem hic emergere non modicam: quoniam non ſolùm ad ens ut ens ſequitur bonitas tranſcendentalis, verùm etiam ad omne ens determinatum phyſicum ſequitur bonitas ſpecialis generis: ergo & ad omne ens talis generis, nempe moralis conſequetur ut determinata paſſio ſpecialis generis bonitas ſpecialis, nimirum bonitas moralis. Ob idque, inquit Maſtrius hic, quòd in omni ente morali aliqua adeſt bonitas moralis quo ad ipſam entitatem, nimirum ipſam delectationem voluntatis, & exercitium ſuæ libertatis, licèt vitioſè, & imprudenter.

Nihilominùs aliquid interim diſcriminis ſuſtineri poteſt. Siquidem bonitas entitativa ſequitur ad ens ex ejus natura, bonitas verò moralis ſequitur ad ens purè voluntariè. Item omne ens naturale habet eſſe à Deo, eſtque divinæ conveniens voluntati, ut primæ ſuæ menſuræ. Non ſic autem omne ens morale, cùm Deus concurrat quidem ad materiale, ideſt ad entitatem phyſicam, at non ad entitatem moralem, ſive malitiam peccati, vel ipſam entitatem moralem, quæ juxta hanc opinionem eſt ipſamet malitia.

Verùm

Digitized by Google

Verùm res iſta non eſt præſentis loci, nec vacat de ea diſſerere, ac difficultates enodare, quæ aliunde pro utraque ſententia emergunt.

Sermo itaque eſt de malo phyſico, quod malum pœnæ compellari conſuevit, non quia ſemper ſit in pœnam, ſed quia cùm ſit contriſtans, aptum eſt quantum eſt de ſe, eſſe malum pœnæ. Nam de cætero in Belvis datur malum aſflictivum, non tamen malum pœnæ, quod infligitur duntaxat propter culpam, cujus Bruta non ſunt capacia, cùm non ſint capacia judicii, & libertatis.

Miſſis quibuſdam quæſitis videndis apud S. Th. tum q de malo, tum p. p. q. 48. & 49.

§. II.

CONCLUSIO.

Non extat malum tranſcendentale in rebus, hocque eſt pura negatio; benè verò extat in rebus malum peculiare, hocque eſt privatio, & non negatio: nec per ſe; ſed duntaxat per accidens cauſatur, ſaltem quantùm eſt ex fine operis. Sumimus autem cauſam per accidens, non prout idem eſt, ac cauſans per aliam, ſed cauſans præter intentionem.

3. QUòad p. p. eſt dubio procul. Quandoquidem cùm malum ſit carentia bonitatis, ſi extaret in rebus tranſcendentale malum foret carentia omnis boni tranſcendentalis; ſicque nullum extaret tranſcendentale bonum. Quod eſſe falſum innoteſcit ex eo, quòd bonitas tranſcendentalis eſt paſſio entis.

Qua ex re ſequitur, malum hoc modo eſſe negationem, & non privationem; quia nullum ens eſt capax talis mali eo ipſo, quod eſt ens. Propterea hoc nequit induci malum, niſi omne deſtruatur ens. Quo in caſu tantò minùs foret privatio, quia iſta petit ſubjectum capax; tunc autem nullum prorſus extaret ſubjectum: Imò nec foret propriè negatio in concreto, cùm nec ſubjectum incapax extaret. Quamobrem foret negatio quædam duntaxat in abſtracto.

Ex his infertur veritas ejus, quod ſcripſimus 1. Phyſ. q. 2. art. 1. num. 5. in fine, nimirum non eſſe dabile ſummum malum; quia hoc foret carentia, & everſio ſummi boni, videlicet Dei.

4. Quòad 2. p. nimirum quòd extet in rebus malum phyſicum ſpecialis generis, patet ex Scripturis, in quibus non infrequenter fit malorum mentio, & Chriſtus docuit Dominica in oratione, petere liberationem à malo.

4. Prob. ex D. Th. p. p. q. 48. art. 2. Corruptio eſt malum, cùm dicat privationem boni, nimirum formæ in materia; ſed corruptio invenitur in rebus: ergo & malum phyſicum ſpeciale invenitur in rebus.

Conſ. Ad perfectum Univerſi ordinem ſpectat rerum graduatio, ita ut ſint aliquæ in tali bonitatis gradu, quòd deficere poſſint, cujuſmodi ſunt cuncta corruptibilia; ſed quod poteſt deficere, interdum deficit: ergo extat corruptio in rebus, adeoque & malum.

Urg. ex his, quæ habet ad 3. Si malum tolleretur de rebus, non pauca bona tollerentur ab Univerſo. Etenim niſi corrumperetur aer, non generaretur ignis, niſi comederetur Ovis, deſtrueretur vita Lupi; niſi eſſet iniquitas, non laudaretur juſtitia. Cum ergo non ſint tollenda iſta bona, eſt aliquod malum admittendum.

Ex his infertur, malum hoc eſſe privationem. Siquidem eſt carentia perfectionis exigitæ, & debitæ, ſed hac in carentia ſtat malum: ergo &c. Maj. eſt certa, certior min. ſecùs ſequeretur, quòd res quælibet mala foret ex hoc, quod non haberet perfectionem alterius. Hoc autem falſum extat, cùm Homo non dicatur malus, quia non habeat velocitatem Cervi, robur Leonis, &c. quæ ſuæ non ſunt debita naturæ: ergo &c.

5. Quò ad 3. p. nimirum quòd malum non cauſetur per ſe Prob. Tum quia nemo intendens ad malum operatur. Tum quia non eſt quid poſitivum, ſed pura privatio, quæ non habet cauſam per ſe. Tum quia nulla cauſa ordinatur per ſe ad tollendum, benè verò ad dandum eſſe. Ignis namque non intendit deſtruere lignum, ſed ſuam introducere formam, ad quam quia ligni ſequitur everſio, idcircò per accidens dicitur, lignum convellere. Et hæc cauſa bona eſt; Undè bonum eſt cauſa mali, non quidem mali, quod ſibi contrariatur, ſed alterius.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. contra p. p. Ubi unum extat contrariorum, extare & aliud debet; ſed extat bonum tranſcendentale: ergo & malum tranſcendentale illi oppoſitum.

Reſp. hoc ſolutum fuiſſe q. antegreſſa 10. art. 3. §. 3. num. 9. ad arg. 2. Illò adeas, & 3. Phyſ. q. 2. art. 1. §. 3. ad ult. arg.

7. Arg. 2. probando, extare in rebus ſummum malum. In rebus ſicut extat bonum, & melius, ita malum, & pejus; ſed illa dicuntur per reſpectum ad unum optimum: ergo & iſta per reſpectum ad unum peſſimum.

Reſp. ex D. Th. p. p. q. 9. art. 3. ad 3. nego paritatem. Diſparitas eſt, quia unumquodque intenditur, & cauſatur ſecundùm ſuam rationem. Ob idque cùm bonum ſit perfectio quædam, debet augeri per acceſſum ad ſuum terminum, nimirum ad ſummum bonum. Malum autem tranſcendentale eſt negatio perfectionis: idcircò debet ſumi non per acceſſum ad aliquem terminum, ſed per receſſum à termino, qui eſt ſummum bonum. Siquidem poſſumus magis, vel minùs recedere in ejus participatione, ſi ens eſt. Nequit autem omninò ejus participationem effugere, hoc ipſo, quod ens eſt. Si verò etiam fundamentum ſit nihil, quod diximus, eſſe tunc negationem abſtractam, tunc non extat in rebus, nimirum non eſt talis negatio in aliquo ſubjecto.

8. Arg. 3. probando contra 2. p. nec malum ſpecialis generis extare in rebus. Quemadmodum malum opponitur bono, ita falſum adverſatur vero; ſed nullum extat in rebus falſum: ergo nec ullum malum ſaltem in rebus naturalibus.

Conſ. Ens rationis non extat formaliter in rebus; ſed malum eſt ens rationis: ergo &c. Prob. min. Omne ens reale eſt bonum tranſcendentale: ergo &c.

Reſp. diſt. min non extat falſum, quòd ſit quid poſitivum, concedo, privativum, vel negativum, nego min. & conſeq. Quando namque negamus, extare falſum in rebus, loquimur de falſo tanquam aliquo poſitivo; quia omne poſitivum reale cùm ſit ens reale, habet conformitatem cum Divinis Ideis. Cæterùm loquendo de aliquo negativo non inficiamur. Nam falſum reapſe eſt in re, aerem tenebroſum eſſe lucidum, &c. Nos autem dicimus, extare malum, quod eſt privatio.

Imò cùm ratio veri majorem quandam ſortiatur amplitudinem, ceu ab omni exiſtentia præſcindens, ſicut & intellectus, cujus eſt objectum majorem amplitudinem obtinet, quàm voluntas, poteſt aliquod extare falſum etiam peculiare, quod eſt negatio; ſicut falſum eſt Hominem eſſe Equum, &c. Cujus ulterior ratio eſſe poteſt, quòd extat appetitus innatus, at non extat cognitio innata; quia iſta, ceu actio perfectiſſima, ſemper petit, eſſe vitalis; & inſuper, ac ſatiùs, quia potentia cognoſcitiva media cognitione trahit ad ſe objectum; potentia verò appetitiva trahitur ab objecto: Idcircò appetitus ſupponi ſemper in objecto aliquid ſibi conveniens, & debitum, quo alliciatur, adeoque malum non erit, niſi privatio boni, ad quod trahitur appetitus vel innatus, vel elicitus; & nunquam poteſt eſſe negatio, loquendo de malo ſpeciali, tametſi aliquod falſum ſpeciale poſſit eſſe negatio, ſicut diximus, negationem eſſe falſitatem illam, qua falſum eſt Hominem eſſe Equum.

Dices. Ereſt objectio contra id, quod diximus, malum non eſſe quid poſitivum. In naturalibus una entitas poſitiva eſt alteri mala, ut dolor, ægritudo, aliaque mala pœnæ: ergo aliquod poteſt extare malum, quod ſit quid poſitivum.

Reſp. ex D. Th. p. p. q. 5. art. 3. ad 2. & q. 1. de malo art. 1. ad 1. diſt. ant. inquantum eſt ens, nego, ratione privationis alicujus perfectionis debitæ vel ſibi, vel alteri, concedo. Et hoc duntaxat modo mala omnia illa in arg. recenſita dicimus, eſſe mala. Ægritudo namque privat animal valetudine ſibi debita; calor privat aquam frigiditate, &c.

Oppugabis ex Averſa t. In tali forma diſconveniente V. G in calore reſpectu aquæ poteſt conſiderari poſitivus ordo, & relatio diſconvenientiæ, ſicut extat relatio diſſimilitudinis, & circa intellectum relatio diſconformitatis, ſive id intelligatur per relationem rationis, ſive per

relationem, aut connotationem, & denominationem realem.

Secundò. Dari poteſt forma perſe diſconveniens ſubjecto, tametſi non aliam adimat formam poſitivam oppoſitam, V.G. dolor eſt malus ſubjecto in animali, tametſi, non aliquam tollat oppoſitam voluptatem, ſed quia perſe malè afficit animal.

Tertiò. Etiam quando hujuſcemodi forma explodit aliam oppoſitam eſt mala, & diſconveniens, non ſolum talem per excluſionem, verùm etiam quia perſe illi repugnat. Nam aqua pejùs ſe habet cum calore, quàm ſi duntaxat careret algore; & voluntas pejus ſe habet cum actu, vel habitu pravo, quàm ſi ſolùm careret bono; & intellectus pejùs cum errore, quàm ſimplici cum neſcientia: ergo non tantùm ratione illius privationis, ſed perſe formaliter poſitivè poteſt eſſe diſconveniens forma, & mala ſubjecto.

Reſp. ad 1. diſt. ant. & aliàs illo in poſitivo ordine ſtat malum, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Licèt enim conſiderari in calore queat poſitivus ordo diſconvenientiæ reſpectu aquæ; tamen formalis ratio mali ſita eſt in privatione, quam involvit, alicujus connaturalis perfectionis aquæ.

Ad 2. nego ant. Ob idque Aug. c.3. de moribus Manichæorum, *nihil*, inquit, *eſt malum alteri, eique diſconveniens, niſi quatenus ei nocet, & damnum affert*. Quod autem bono non privat, non nocet, nullumve damnum affert.

Inſt. Si ergo per poſſibile, vel impoſſibile conſervaretur cum calore algor in aqua, error cum ſcientia, & cum dolore voluptas, non forent mala ſubjectis, quibus nihil adimerent.

Reſp. nego illatum. Saltem enim privarent ſubjecta ſtatu eis connaturali, in quo præfata locum non obtinent.

Ad 3. Dico, quòd deteriùs ſe haberet aqua cum calore, & frigiditate ſimul, quàm ſi utraque careret qualitate; quia cum utraque foret magis incapax algoris à ſeipſa cauſandi, & conſervandi. Sic etiam deteriùs ſe haberet intellectus cum habitu ſcientiæ, & erroris, quàm utroque inops habitu. Siquidem nudus foret minùs impeditus ad veritatem attingendam, & magis à falſitate expeditus. Erroris namque habitus illum inclinaret ad falſitatem. Idem dicas ſenſitivo de appetitu, ſi dolore ſimul, & voluptate afficeretur; & de voluntate ſi imbuta virtutis ſimul, & vitii habitu foret, ut ex Sala perpendit Maſtrius.

Ad Conſ. Reſp. quòd malum licèt ad modum entis poſitivi conceptum ſit ens rationis; tamen ſumptum remotivè eſt in rebus; quia realiter privat bono debito: proindeque veritatem propoſitionis complexam, ut cùm dicitur *cæcitas eſt in oculo* quamquam careat veritate incomplexa, ceu mera privatio.

Ex quibus ſequitur, bonum, & malum phyſicum opponi privativè, at non contrariè, loquendo de bono, & malo in naturalibus, quicquid ſit in moralibus, in quibus S. Th. q. 2. de malo art. 5. ad 3. videtur, quòd velit opponi contrariè, ubi tamen aliter eum interpretantur Salm. ſentientes, malum morale ſitum eſſe, non in aliquo poſitivo, ſed in aliquo privativo, & deordinatione à regula rationis.

8. Arg 3. probando, malum cauſari perſe. Qui alium puta hoſtem, interimit, intendit perſe illius ruinam. Item qui perſe cauſat qualitatem aliquam, cum qua perſe neceſſariò connectitur cœcitas, aut claudicatio, videtur perſe claudicationem, & cœcitatem intendere. Sanè malum pœnæ, quod cauſat Deus, non eſt præter Dei intentionem.

Reſp. primodùm ſita militare duntaxat ex parte finis operantis in liberè operantibus, at non ex fine operis. Siquidem finis operis eſt productio alterius rei, quæ ex Hominis emergeret interitu cùm corruptio unius ſit generatio alterius. Ob idque dicitur in lib. de Gener. & Corrupt. quod corruptio non eſt perſe intenta à natura, ut de igne hic dixi.

Præterea dico, nec in iſtis perſe intendi malum. Quandoquidem homicida ille perſe intendit ſui, vel alterius ſatiſfactionem, licèt illicitam; & quia iſta habetur in malo ejus, quem lædit, vel perimit, Idcircò per accidens velle dicitur malum illud. Sic etiam Deus intendit perſe vel juſtitiæ bonum puniendo, vel bonum aliud, nimirum peccatoris converſionem. Quod exemplo illius illuſtratur, qui pecuniam ab altero fœnore accipit. Iſte namque perſe intendit propriæ ſubvenire miſeriæ, & præter ejus intentionem eſt fœnerationis peccatum, Idcircò nec peccat.

Si autem loquamur de cauſis naturalibus, læſivas influentibus qualitates, dico, iſtas intendere nonnullos alios effectus aliis in rebus, & præter earum finem nunnullæ recipiuntur in viventibus, in quibus ſunt origo debilitatis, vel inhabilitatis principii operativi. Vel demum dicatur, in his omnibus intendi perſe Univerſi venuſtatem, quæ potiſſimè rerum in varietate ſita eſt, quarum nonnullæ imperfectæ deſerviunt, ut aliæ perfectæ magis eniteſcant, juxta illud *oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*.

SCISCITABERIS.

Quotuplex ſit malum.

9. RESp. breviter per contrapoſitionem ad bonum triformiter eſſe dividendum, nimirum in turpe, ſive inhoneſtum, inutile, & contriſtans.

QUÆSTIO DUODECIMA

De Ente individuo.

SAlebroſam valdè, & prolixam de principio individuationis adorimur quæſtionem, in qua ut minori cum caligine incedamus pro variis rebus varios inſtituemus articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam ſit principium radicale intrinſecum phyſicum individuationis in ſubſtantiis materialibus.

§. I.

1. DIxi *radicale*, quia cauſa hæc agitur, non de principio formali, ideſt ratione formali conſtitutivi individui, quam cunctis exploratum eſt, eſſe ipſam formalem individuationem; nec de principio proximo, & metaphyſico, quod certum eſt, eſſe ipſam differentiam individualem, & metaphyſicam conſtituentem illud ſub ſpecie tanquam partem ſubjectivam, illudque diſtinguentem ab omni alio, quod præfatam atomam participat ſpeciem: quemadmodum quælibet ſpecies materialis conſtituitur metaphyſicè per differentiam ſpecificam conſtituentem illam ſub genere, & diſtinguentem ipſam ab omni alia ſpecie, quæ illud participat genus. Veſtigatur igitur de principio radicali, à quo tanquam à primo fonte, ac radice debet materialium ſubſtantiarum haberi individuatio.

Dixi *intrinſecum*, quia certum eſt, principium extrinſecum eſſe cauſam efficientem, & præſertim Deum.

Dixi demum *phyſicum* quia controvertitur, quodnam ſit illud phyſicum, in quo fundatur gradus metaphyſicus individualis, qui certè debet aliquod in phyſicum ultimatè reduci: eum ad modum, quo principium metaphyſicum ſpecificationis, nimirum differentia ſpecifica fundatur in ipſa forma phyſica, & in ipſam tanquam in ultimum radicale ſui principium reducitur.

2. Opi-

2. Opiniones aſcendunt aduſque octo. Prima retur, eſſentiam individuari à ſeipſa. Hanc tenent Aureolus in 2. ſent. diſt. 2. q. 3. art. 3. Adam in 1. diſt. 13. quæſt. 8. art. 1. Ocham ibi diſt. 2. q. 4. & 6. Gabriel q. 6. & 7. cæteris cum Nominalibus, quibus adſtipulatur Durandus in 2. diſt. 3. q. 2. (licèt iſte credatur, nomine eſſentiæ intellexiſſe principaliùs formam, quam in 1. diſt. 44. q. 1. & 2. & diſt. 3. q. 2. dixit, eſſe individuationis principium) nec in totum diſſentit Suarez.

Secunda ſentit, principium individuationis eſſe quid negativum, at non poſitivum. Pro hac ſtat Henricus quodl. 5. q. 8. qui arbitratur, hoc principium eſſe duas negationes. Nam cùm *Unum* duas dicat negationes, nimirum diviſionis in ſe, & identitatis cum alio: Idcircò ſententia iſta concludit, quòd per primam negationem individuum ſit incommunicabile alteri; Et hanc vocat Henricus negationem communicabilitatis ad intra: per ſecundam obtinet, quòd nequeat eſſe idem cum alio; Et hanc vocitat negationem communicabilitatis ad extra.

Tertia autumat, eſſe quidem aliquid poſitivum, ſed tamen extrinſecum, nimirum ipſam agens.

Quarta tenet, hoc poſitivum individuationis principium eſſe totam collectionem cunctorum accidentium illis gregatorum heaametris

Forma, figura, locus, tempus cum nomine Sanguis,
Patria ſunt ſeptem, quæ non habet unus, & alter.

Hanc ſuſtinet Vaſquez tom. 1. in 3. parte diſp. 94. cap. 7. Suarez tom. 2. in 3. parte diſpat. 44. ſect. 6. licèt ſecum ipſe pugnans oppoſitum ſcripſerit hic diſput. 5. Meth. ſect. 6. & lib. 1. de concurſu Dei cap. 7. num. 4. Cui opinioni favere nonnulli videntur SS. PP. ut Boetius de Trin. lib. 1. cap. 5. Damaſc. in ſua dialectica cap. 30. & 42. Baſil. epiſt. de different. natur. Et hypoſt. & Niſſen. lib. de different. eſſentiæ, & hypoſt. Favere quoque videtur Avicenna, & Porphyrius cap. de ſpecie, dum individuum deſcripſit per ordinem ad hujuſcemodi collectionem. Qui tamen interpretari omnes conſueverant, quod loquantur, non de individuo præcisè, ſed de hypoſtaſi, & ſuppoſito, ſumendo tamen individuum, & ſuppoſitum pro concreto ex ſubſtantia, & accidente, ut importat quoddam totum incommunicabile omnino ſubſiſtens; quo pacto bene dicuntur differre individua individualiter per ſua accidentia, ſicut benè dicerentur Petrus albus, & Petrus niger hoc modo differre invicem per albedinem, & nigredinem.

In hanc labitur ex parte Gotfredus quodl. 6. quæſt. 16. & quodl. 7. q. 5. dicens, principium hoc individuationis eſſe quantitatem, ſed non in eo ſenſu, quo nos hic §. 9. & iterum art. 2. quia intendit, ſolam quantitatem, at non materiam unà cum quantitate eſſe individuationis principium.

Quinta aſſeverat, hoc intrinſecum individuationis principium eſſe exiſtentiam, & ſubſiſtentiam. Pro iſta citantur nonnulli à Scoto in 2. ſent. diſt. 3. q. 3.

Sexta eſt Scotiſtarum, qui propagnant, principium individuationis eſſe modum quendam, ſive differentiam individualem, quæ ab eis *hæcceitas* dictitatur. Eſt autem hæcceitas iſta, Scoticè loquendo, quid poſitivum ultimò determinans naturam totius compoſiti, & à natura diſtinctum ſua illa diſtinctione formali ex natura rei. Ad eum enim modum (ſcriptitat Scotiſta) quo ex differentia generica, & ſpecifica tanquam duobus principiis formaliter diſtinctis conſtituitur ſpecies. Sic ex hæcceitate, & conceptu ſpecifico tamquam ex duobus principiis formaliter diſtinctis, & realiter identificatis emergit individuum.

Quæ tamen opinio creditur, non attingere difficultatis punctum. Quandoquidem aliud eſt, loqui de individuatione, aut principio proximo metaphyſico, aliud de prima fonte, & radice individuationis.

Septima intimiùs, & profundiùs iſtam rimans controverſiam, ponit, materiales ſubſtantias fieri individuas per formam ſubſtantialem, ita quòd hæc non tantùm ſit ſeipſa individua, verùm etiam primum, & radicale ipſius compoſiti principium individuationis. Opinionis hujus patroni nonnihil diſſident inter ſe. Siquidem Averoes 3. Phyſ. com. 60 & lib. 4. com 38. & 1. de Anima com. 7. & alibi, Gandovena de ſubſtantia Orbis q. 7 Baccon. in 3. ſent. diſt. 11. q. 2. art. 2 dicant, ſolam formam eſſe per ſe individuationis principium, materiam verò nonniſi per accidens, quatenus eſt ſubjectum formæ, quæ per ſe individuationis cauſa eſt. Alii verò coniungunt formam cum materia, ita ut utraque ſit integrum individuationis principium, materiam tamen eſſe minus principale, formam verò potiſſimum principium, imò materiam ſe habere potiùs ut conditionem *ſine qua non*. Sic Zabatella lib. de conſtitutione individui cap. 5. & 6. & 7. Zimarra theor. 97. Pererius lib. 6. cap. 12. Piccol. lib. 3. de prima rerum materia cap. 17. Niphus 5. Meth. q. 5. Durandus in 2. ſent. diſt 44 quæſt. 1. & 2. & diſt. 3. q. 2. Contaren. quæſt. de princip. ind. c. 10. & ſeqq. quibus ex parte adſtipulati videntur Suarez diſp. 5. Meth. ſect. 4. Avverſa q. 9. Long. ſect. 7. quorum plerique ſentire videntur, formam individuare nedum compoſitum, verùm etiam materiam, quam informat.

Octava tandem, quæ eſt communis Thomiſtarum, cæteris perſpicaciùs hac in re punctum difficultatis ſcrutatur. Conſiderat enim ex una parte, quòd individuum tria habet. Primum, quod ſit incommunicabile. Secundum, quòd ſit ab alio diſtinctum purè numericè, non verò eſſentialiter, nempe ſpecificè. Tertium, quod ſit diſtinctum ab alio ſubſtantialiter, & non purè accidentaliter, quia individua licèt non diſtinguantur eſſentialiter, diſtinguuntur tamen ſubſtantialiter. Non enim omne ſubſtantiale eſt eſſentiale, ut conſpeximus lib. 3. de Anima q. 1. art. 2. §. 3. num. 5. ad 1. arg. Ex alia autem parte reflectens, duo priora munera non poſſe haberi à forma, eò quòd iſta ſeclusa materia eſt communicabilis, & omnis diſtinctio penes formam eſt ſpecifica: Propterea concludit, quòd prima individuationis radix ſit materia prima, ita quod forma non ſit una, niſi quatenus eſt in hac materia.

Quia tamen materia eſt de ſe ad plures indifferens hæcceitates; Idcirco ſupereſt difficultas, à quonam materia habeat, quod ſit hæc. Pro quo expendunt Noſtrates, dupliciter poſſe materiam conſiderari. Primo abſolutè, & ſecundùm ſe, ideſt metaphyſicè, quo pacto eſt entitas quædam, ſive ſubſtantia potens unà cum forma componere totum ſubſtantiale. Secundo phyſicè ut eſt potentia ad eſſe, quatenus nimirum habet eſſe in re mutabili, & per eam res habet generari, & corrumpi; quia eſt primum mutationis ſubjectum, primumque ſubſtans omnibus formis tum ſubſtantialibus, tum accidentalibus; non quidem æquè, & immediatè, ſed ordine quodam; cùm primo dicat habitudinem ad ſubſtantialem formam, deinde iſta mediante ad formas accidentales quas inter primo reſpicit quantitatem.

Hoc itaque adnotato dicit Thomiſta, quòd materia inſpecta, non primo, ſed ſecundo modo eſt radicale individuationis principium. Cumque hoc ſecundo modo ſubſit dimenſionibus quantitativis, ratione quarum dicitur ſignata, ſive ſigillata quantitate, quaſi notata ſigno, quo ab aliis diſcreta, & diviſa eſt (ad hoc enim res ſigno, vel ſigillo notatur, ut à reliquis diviſa, & diſcreta ſit, & dignoſcatur) idcircò ſtatuit, quòd materia ut quantitate ſignata ſit radicale, ac primordiale individuationis principium. Diſcrepant tamen Thomiſtæ circa modum diſplicandi ſignationem iſtam. De quo art. 2. dicetur.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Primum, & radicale principium individuationis in ſubſtantiis materialibus non eſt ipſa eſſentia, nec aliqua negatio, nec ipſum agens extrinſecum; nec accidentium collectio; nec exiſtentia, aut ſubſiſtentia.

3. PRobant plerique quò ad p. p. ex eo, quod, ut in Logica dictum eſt, natura ſecundùm ſe nec eſt una, nec plures.

Aſt in hoc nolo fundamentum facere; Quoniam Aureolus e veſtigio reponit, ſe loqui de natura à parte rei etiam quò ad ſtatum, at non de natura ſecundùm ſe, eo modo, quo illam admittebat Plato, vel de natura in intellectu. Propterea dicit, eſſe potiùs veſtigandum principium univerſalizationis; quia individuationem habet ex ſe, univerſalitatem verò ab alio, nimirum ab intellectu, eam abſtrahente, ac univerſalizante. De quo ſequenti §. 3. n. 8. ad inſt. 2. contra reſp. ad 1. arg.

Prob. 1. ratione, qua Deo dante utar in tract. de Angelis quamque non ſemel ſum robuſtam expertus. Ab eo unitas habetur numerica, ſive individualis, à quo multiplicitas habetur numerica, ſeu, quod idem eſt, individualis; ſed iſta non habetur ab eſſentia: ergo eſſentia non eſt individuationis principium in ſubſtantiis materialibus. Maj.

tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd ſubſtantiæ materiales multiplicantur numero, & illa individualis multiplicatio eſt plures unitates individuales, ſeu numericæ. Min. prob Eſſentia nequit præſtare multiplicationem, niſi ſpecificam: ergo &c. Prob ant. Id, quod dat eſſe ſpecificum, nequit dare multiplicationem, niſi purè ſpecificam; ſed eſſentia dat eſſe ſpecificum, cùm conſtituat in ſpecie: ergo &c Min. eſt dicto ipſo certior. Non enim Homo V. G. conſtituitur in ſpecie Hominis, niſi per animal rationale. Min prob. hac paritate. Id, quod dat eſſe quantitativum nequit dare multiplicationem, niſi purè quantitativam, non verò qualitativam, relativam, &c. ergo pariter &c.

Prob a. quò ad eandem p. & præcipuè quòd principium aliquod ſaltem proximum ratione ratiocinata ab eſſentia diſtinctum aſſignari debeat, quod reſpuit Aureolus. Natura in re licèt ſit determinata ad unum ſingulare; tamen hoc habet, non ex ſe, benè verò ab aliquo alio: ergo ipſa non eſt ſibi ratio ſeipſam individuandi. Prob. ant. Quemadmodum natura quæcunque ſpecifica in re eſt ad aliquod determinata ſingulare, ita natura quæcunque generica eſt ad aliquam determinata ſpeciem; ſed natura generica, non per ſeipſam, benè verò per differentiam ſpecificam habet, quòd ad aliquam determinetur ſpeciem: ergo pariter, &c.

Conf. Quemadmodum natura generica de ſe eſt indifferens ad prædicari de pluribus differentibus ſpecie, ita natura ſpecifica ad prædicari de pluribus differentibus numero; ſed prima determinatur per differentiam ſpecificam: ergo & ſecunda per differentiam individualem.

4. Prob quò ad 2 p Contra Henricum, quòd hoc individuationis principium non ſit quid negativum, ſeu negatio aliqua. Opinio iſta petit principium. Siquidem eſtò verum ſit, quòd duæ in individuo negationes habeantur, quæ deprehenduntur in definitione, qua *Unum* definitur *indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio*; aſſignare tamen ſupereſt radicem, à qua iſtæ oriantur negationes. Si namque dicatur, quòd eſt, eſſe diviſum ab alio, quia habet negationem identitatis cum alio, eſt dicere, *quod eſt diviſum ab alio, quia eſt diviſum ab alio*. Ubi non habetur, niſi petitio principii, imò & nugæ. Neque veſtigamus hic, num individuum ſit in ſe indiviſum, & diviſum à quolibet alio, ſed hoc ſuppoſito quæritatur, undenam habeat, quòd ſibi hoc competat. Sicut licèt unitas formalis dicat negationem diviſionis formalis in ſe, & diviſionem ab aliis; tamen adhuc aſſignamus radicem phyſicam hujuſce unitatis formalis, nimirum formam phyſicam.

Prob. præterea quò ad eandem p. ut nuper. Quemadmodum intra genus una ſpecies differt ab alia, ſic intra eandem ſpeciem unum individuum ab alio differt; ſed una ſpecies differt ab alia poſitivè per ſui differentiam conſtitutivam ſpecificam, non verò per puram negationem: ergo & unum individuum differt ab alio poſitivè per differentiam individualem (cujus phyſica radix infra ſtatuetur) & non meram per negationem.

5. Prob. quò ad 3 p. nimirum quòd non ſufficiat agens extrinſecum. Res quælibet exigit principium individuationis intrinſecum: ergo &c. Prob. ant. Unaquæque res eſt individua non tantùm extrinſecè, verùm etiam intrinſecè: ergo &c.

Prob. præterea quò ad eandem p. Agens quemadmodum ſpeciem, ita & individuum producit; ſed veſtigando principium ſpecificationis confugimus, non tantùm ad agens extrinſecum, verùm & ad differentiam ſpecificam ut ad principium proximum, & ad formam ut ad principium radicale: ergo pariter &c.

6. Prob quò ad 4. p. nimirum quòd tale principium non ſit accidentium agmen. Unitas individualis in ſubſtantia eſt ſubſtantialis, & multiplicatio numerica eſt ſubſtantialis, cùm plura ſubſtantiæ individua non ſint unum ſubſtantialiter, ſecùs extaret univerſale à parte rei; ſed unitas, & multiplicatio ſubſtantialis nequit haberi ab accidentibus, cùm nemo det, quod non habet: ergo &c.

Conf. Subſtantia eſt accidente prior, & accidentia dimanant à ſubſtantia ſingulari: ergo præſupponunt illam, ſaltem in aliquo priori *à quo* ſingularem, & individuam, adeoque &c. Imò è contra accidentia individuantur à ſubſtantia, ut art. 5. conſpiciemus. Præterea ad ſummum poſſent eſſe principium proximum individuationis.

7. Prob. quò ad 5. & ult. p nimirum quòd hoc individuationis principium nequeat eſſe exiſtentia, nec ſubſiſtentia. Exiſtentia vel ponitur indiſtincta omninò etiam per rationem ratiocinatam ab eſſentia. Et tunc prima erit opinio, dicens, eſſentiam individuari à ſeipſa refutata num. 3. Vel ponitur aliquo modo ſaltem ratione ratiocinata, vel formaliter ex natura rei diſtincta. Et tunc vel diſtinguitur prout ſic à ſolo ſpecifico, & non ab individuali gradu. Et tunc erit Scoti placitum de gradu individuali infra refutandum. Imò tunc non tantùm ibi, ſed & hic totus erit pro Scotiſtis labor in refutando opinionem iſtam, cùm ipſi doceant ex una parte, principium individuationis eſſe hæcceitatem, & ex alia pernegent, hoc eſſe exiſtentiam. Vel prout ſic etiam ab individuali ſecernitur gradu: ergo ſupponit gradum individualem, quem exiſtentem reddat, ſicut & reliquos gradus. Utraquamquod jam conſpeximus s. Phyſ. q. 5 art. 1. diſtingui realiter.

Si demum dicatur, diſtingui realiter exiſtentiam ab eſſentia, jam fortiùs urget arg. Siquidem vel diſtinguitur realiter etiam ab ipſo individuali gradu. Et tunc, ut dictum eſt, jam individualem præſupponit gradum, ac per conſequens naturam individuam. Vel eſt ipſemet individualis gradus realiter à ſpecifico diſtinctus gradu. Et hoc eſt impoſſibile. Quod probo. Etenim quemadmodum gradus individualis determinat ſpeciem, ita gradus ſpecificus determinat genus; ſed exploratum eſt, non poſſe ſpecificum gradum realiter à generico diſtingui: ergo nec individualis à ſpecifico.

Conf. Principium individuale eſt de eſſentia individui, exiſtentia autem prædicatur contingenter de illo.

Prob. eadem ratione, non poſſe eſſe ſubſiſtentiam.

Prob præterea de ſubſiſtentia ratione peculiari. Anima ſeparata eſt individua, & ſingularis, & tamen non retinet ſubſiſtentiam, ut oſtendimus 1. Phyſ. q 6 art 3. num. 5. cùm prout ſic ſit communicabilis: ergo. Et licèt de materialibus hic ſermo ſit, tamen opinio hæc idem tenet in omnibus.

Conf Eadem numero, & individua ſubſtantia poteſt modò ab una, modò ab altera terminari ſubſiſtentia; quoniam ſi humanitas aſſumpta dimitteretur à Verbo, foret eadem numero natura, nec tamen eadem foret numero ſubſiſtentia. Accedit, quòd univerſi Theologi aſſeverant, Verbum aſſumpſiſſe naturam ſingularem; & tamen humanam non aſſumpſit ſubſiſtentiam; imò Thomiſticis inſiſtendo principiis, nec exiſtentiam humanam.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

8. ARg. 1. contra p p. probando, eſſe naturam. Eadem ſunt principia unitatis, & individuationis; ſed natura per ſeipſam eſt una: ergo & per ſeipſam eſt individua. Maj. eſt perſpicua, quia quod eſt individuum eſt unum. Min. etiam, quia ex ſe natura eſt ens; ſed unitas eſt paſſio entis: ergo &c.

Reſp. per dicta in Logica Syntag. 3 q. 1 art. 2. num 8. ad 4 arg. diſt. maj. unitatis numeralis, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. unitate entis, concedo, unitate numerali, nego min. cujus ad prob. data maj. diſt. min. unitas tranſcendentalis, quæ ſequitur ad ens, concedo, numeralis, nego min. & conſeq. Plures pluralitate virtuali ſunt unitates in una, eademque natura. Una eſt unitas entis Et iſta habetur ex ipſa ratione entis. Aliæ genericæ. Et iſtæ habentur ex differentiis generum ſubalternorum, quæ ſunt etiam ſpecies ſubalternæ, & non infimæ (ſola enim ſpecies conſtat ex genere, & differentia, propterea ſuprema genera non obtinent differentiam propriè dictam) radicaliter verò à forma ut dante differentias ſuperiores. Alia eſt unitas ſpecifica atoma. Et iſta præſtatur proximè, imò & formaliter ab ipſa differentia ultima ſpecifica, radicaliter verò à forma. Altera individualis. Et hæc præbetur proximè, & formaliter à differentia individuali; aſt à quo radicaliter hæc habeatur diſputatur impræſentiarum.

Contra. Unitas numerica eſt unitas realis; ſed natura ex ſe eſt una unitate reali: ergo eſt ex ſe una unitate etiam numerali.

Reſp. data maj. & min. nego conſeq. Vel claritatis gratia diſt. maj. (& fit palam argomenti inconſequentia) & aliàs omnis unitas realis eſt numeralis, nego, ſecùs, concedo.

Inſt. Natura à parte rei non eſt in aliquo priori non una unitate numerali, & factibilis una numero, ſeu non eſt indifferens, ut fiat ab aliquo una: ergo talis eſt ex ſe.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. diſt. ant. in aliquo priori reali formali, concedo, virtuali, nego ant. & conſeq. Recole quod ſcripſi lib. 2. de Anima, nimirum quòd à forma ordine quodam virtuali præſtantur gradus, V. G. Anima rationalis priùs præbet eſſe corpus, poſtea vivens, deinde ſenſitivum, præterea rationale, & denique individuationem. Itaque ſupponitur priùs prioritate virtuali ad plures gradus. Quæritamus num ultimus poſtea gradus præbeatur radicaliter ab ipſamet forma, nec ne. De quo §. ſequenti.

9. Arg. 2. ad idem ex eodem Aureolo. Gradus iſte individualis vel eſt eſſentialis, vel accidentalis; ſed propugnari neutrum poteſt: ergo non extat. Min. quò ad p. p. ſupponitur, ſecùs ſpecies infima foret diviſibilis per alias differentias eſſentiales. Quò ad 2. etiam, ſecùs individuum foret unum per accidens.

Reſp. per dicta num. 6. nec eſſentialem, nec accidentalem eſſe. Quomodo autem ſtet, aliquid eſſe ſubſtantiale, & non eſſe eſſentiale dictum eſt lib. 3. de Anima q. 5. art. 2. num. 5. ad 1. arg. Illiò adeas, ſicut etiam in Logica Syntag. 3. q. 3. art. 3. num. 8. ad 3. arg. Vide etiam hic n. 13.

10. Nonnullæ objici D. Th. poſſent authoritates, cùm videatur dicere, naturam fieri per ſeipſam individuam. Verùm non aliud intendit Angelicus, niſi quod natura non fiat individua per aliquid, quod ſit penitùs extra ejus eſſentiam, ut ſunt accidentia. Materia autem eſt de eſſentia phyſica rei, licèt non ſit tota eſſentia.

Alia quædam minuſcula Aureoli argumenta lege ſoluta apud Maſtrium hic diſp. 10. q. 1. num. 8. & ſeqq.

Arg. 3. contra 2. p. ex Henrico, probando, quòd individuationis principium ſit negatio. Unitas tranſcendentalis non addit enti, niſi negationem diviſionis in ſe, & identitatis cum alio: ergo pariter numeralis unitas nonniſi has duas addet negationes.

Reſp. per dicta q. 8. diſt. ant. de connotato, concedo, in recto, nego ant. & conſeq. Ob idque retorqueas arg. Sanè etiam ſpecifica unitas duplicem dicit negationem, nimirum diviſionis ſpecificæ in ſe, & identitatis ſpecificæ cum alia ſpecie; & tamen nec Henricus, nec ullus dicet, ſpeciem conſtitui per negationem.

Dices ex eodem. Concepta ipſa natura præciſa ab omni gradu individuali in re habet conceptum realem; ſed omne quod habet conceptum realem eſt ſingulare, cùm nonniſi ſingularia exiſtant: ergo abſque iſto habetur &c.

Reſp. tranſmiſſa maj. (poſſet namque dici, quòd eſtò habeat conceptum realem quò ad prædicata naturæ, at non quò ad ſtatum naturæ) diſt. min. per dicta n. 8. in inſtanti reali formali, concedo, virtuali, nego. Cùm namque gradus illo præbeantur ordine, poteſt in aliquo priori virtuali concipi per conceptum ſuum realem etiam objectivum non importata adhuc pro illo priori ſingularitate.

12. Contra 3. p. nullum militat arg.

13. Arg. 4. contra 5. p. probando, principium individuationis eſſe accidentium phalangem. Individuatio eſt quid accidentale: ergo &c. Prob. ant. Non eſt eſſentialis, ſecùs ſpecies atoma foret per alias diviſibilis eſſentiales differentias, ſicque infima non foret.

Reſp. nego ant. Ad prob. primitùs per dicta num. 9. dato ant. nego cònſeq. Præterea per dicta n. 6. diſt. ant. non eſt eſſentialis ſpeciei, concedo, individuo, nego. Per unitatem namque individualem individuum conſtituitur.

14. Arg. 5. Juxta dicta lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 4. & ultima ideo res ſemel extincta nequit eadem numero naturaliter reproduci, quia nequit naturaliter eadem redire numero actio cum reliquis circumſtantiis: ergo ſignum eſt, quòd iſtis ab accidentibus res individuatur.

Reſp. diſt. conſequens individuatur extrinſecè, & quò ad ea, quæ ad cauſam efficientem attinent, concedo intrinſecè, nego.

15. Arg. 6. Contra ult. p. probando, quòd individuationis principium ſit exiſtentia. Per hoc, quod natura exiſtat in intellectu eſt univerſalis: ergo pariter per hoc, quod à parte rei exiſtat erit ſingularis, adeoque &c.

Reſp. retorquendo arg. Natura in intellectu eſt univerſalis, non præciſè per hoc, quod exiſtat in intellectu; benè verò per hoc, quod à ſingularibus abſtrahitur: ergo pariter natura à parte rei exiſtens erit ſingularis, non præciſè per hoc, quod à parte rei exiſtat, verùm etiam per ſingularitatem.

16. Arg. 7 ad idem. Illud eſt individuationis principium, ad quod productiva terminatur actio; ſed iſta terminatur ad exiſtentiam, & ſubſiſtentiam: ergo &c. Min. eluceſcit per dicta lib. 1. de Gener. q. 2. art. ult. §. 4. ubi propugnavimus, terminum *qui* generationis eſſe ſuppoſitum. Maj. prob. Actio productiva terminatur ad ſingularia, quæ idem ſonant, ac individua.

Conf. Per eſſe exiſtentiæ individua invicem numero diſtinguuntur: ergo &c.

Urg. Ultima unitas, qualis eſt ſingularitas debet ab ultimo haberi actu; ſed exiſtentia eſt ultimus actus: ergo &c.

Reſp. ad arg. per dicta ibidem diſt. maj. Ad quod tanquam ad conditionem terminatur productio, concedo, tanquam ad rationem formalem *quæ*, vel *qua*, nego maj. & diſtinguo min. terminatur ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ut ad rationem formalem *quæ*, ideſt tanquam ad terminum formalem *qui*, concedo, ut ad puram conditionem, nego min. & conſeq. Ad prob. maj. diſt. ant. terminatur ad ſingularia, ſingularitate ſe habente tanquam conditione, ut aliquid perſe primò producatur, concedo, ut ratio formalis *quæ* vel *qua*, nego. Terminus itaque formalis *qui* eſt ſuppoſitum, Terminus formalis *quo* ideſt ratio formalis ſub *qua* eſt forma, ſingularitas verò ſe habet ut conditio.

Ad Conf. nego ant. quod probare arguens debuiſſet.

Ad id, quo urgetur, diſt. maj. ab ultimo actu dante unitatem ipſam, concedo, dante duntaxat eſſe extra ſtatum poſſibilitatis, ut eſt exiſtentia, nego. Hæc enim omnes reddit exiſtentes unitates uſque ad ultimam.

Quò ad ſubſiſtentiam recole, quod perſæpè diximus, quòd nimirum licèt præbeat incommunicabilitatem alteri ut ſuppoſito, non tamen dat incommunicabilitatem alteri ut individuo, ut exploratum eſt in humanitate aſſumpta.

17. Nonnulla alia minuſcula arg. Solvit Maſtrius hic diſp. 10. q. 4. num 45. & 46. Pro quibus ſolvendis

Recole, quæ ſcripſimus 1. Phyſ. q. 5. art. 1. §. 5. n. 12. & 53. ad 8. & 9. arg. nimirum quòd eſſentia ſingularis pro priori ad exiſtentiam, & ſubſiſtentiam & extra nihil inchoativè, in fieri, licèt non in facto eſſe. Et cohæret cum eo, quod ſcripſimus hic num. 8. de ordine illo, quo forma dat gradus illos, &c.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nequit forma ſubſtantialis eſſe radicale individuationis principium in ſubſtantiis materialibus.

18. PRob. 1. robuſta illatatione, qua ſupra n 3. hic robuſtiori. Ab eo unitas habetur numerica, à quo numerica obtinetur multiplicatio; ſed iſta non habetur à forma: ergo &c. Maj. & min. probantur ut ſupra num. 3. Quod namque in aliqua conſtituit ſpecie V. G. humana eſt forma, puta rationalis Anima.

Reponebat ex Societate quidam negando ſuppoſitum, nimirum quod quantitas realiter à ſubſtantia diſtinguatur, quod ipſi pernegant.

Contra inſteti. Nego potiùs ego reſpondentis ſuppoſitum. Hoc ſiquidem ego nec ſuppono, nec non ſuppono: ſed præſcindo. Propterea ſic arguo. Quicquid ſit, num quantitas diſtinguatur realiter à re quanta, necne. Tamen, quantitas dans eſſe quantitativum, nequit dare multiplicationem, niſi quantitativam: ergo à pari forma, quæ dat eſſe ſpecificum, nequit dare multiplicationem, niſi ſpecificam.

Quomodo autem materia ſigillata quantitate poſſit dare multiplicationem numericam ſubſtantialem, dicetur infra.

19. Prob. 2. alia ratiocinatione, quæ ad antegreſſam reducitur. Illud eſt radicale individuationis principium materialibus in ſubſtantiis, quod dat radia unitatis, & diſtinctionis numericæ; ſed forma ſubſtantialis non eſt hujuſmodi: ergo &c. Prob. min. Forma eſt radix unitatis, & diſtinctionis duntaxat formalis; ſed iſta non eſt numerica: ergo &c. Maj. eniteſcit, quia Forma obtinet eſſe formale, ſicut materia eſſe materiale: ergo quemadmodum materia nequit dare niſi materialem unitatem, & diſtinctionem, ita &c. Min. prob. Unitas, & diſtinctio formalis eſt unitas, & diſtinctio ſpecifica, ob idque Homo, & Equus, qui diſtinguuntur ſpecie, diſtinguuntur diſtinctione formali. Ca-

li, Cajus verò, & Sejus non, quia ejuſdem ſunt ſpeciei.

Aliæ ratiocinationes apud alios legantur Scriptores.

§. V.

Solvantur Adverſantium argumentationes.

20. ARg. 1. Omnis actus debet haberi à forma; ſed gradus individualis eſt quidam actus; ergo habetur à forma, adeoque &c. Maj. eſt perſpicua, quia ſola forma eſt actus. Min. prob. Ideo gradus ſpecificus eſt actus, quia determinat genus, ſive gradum genericum; ſed gradus individualis determinat ſpeciem, gradumque ſpecificum: ergo &c.

Reſp. nego min. loquendo de actu ſaltem propriè dicto quicquid ſit de actu impropriè dicto. Ad prob. per dicta in Logica Syntag. 3. q. 3. art 3. num. 8. ad 3. arg. & ibidem num. 5. diſt. maj. quia determinat per modum eſſentialis perfectivi, concedo, præcisè quia determinat, & contrahit, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Ibi namque conſpeximus quomodo differentiæ individuales, ceu differentiæ materiales, determinant, & contrahunt per modùm potiùs imperfectivi.

Contra primò. Actu eſſe primum individuationis principium ſupponit primò eſſe ens actu, cùm ſit eſſentialiter actus, materia verò ex ſe eſt ens ſolùm in potentia, cùm ſit eſſentialiter ens in potentia: ergo ſola forma poterit tale eſſe principium.

Secundò. Hoc ipſo, quod determinat, & contrahit, eſt quidam metaphyſicus gradus; ſed omnis gradus metaphyſicus habetur à forma: ergo &c. Prob. min. Omnes gradus metaphyſici identificantur realiter inter ſe in eadem forma: ergo &c.

Reſp. ad 1. primitèr, quòd materia in aliquo priori virtuali ſupponitur in actu, actuata nimirum à forma quò ad gradus ſuperiores, qui ordine nuper dicto à forma præſtantur: & pro illo priori eſt individua, non ſecundùm ſe, ſed ut radicana quantitatem, ut infra. Præterea cum aliis diſt. maj. ſi ſit principium exercens cauſalitatem formalem, vel activam, concedo, ſi duntaxat materialem, nego maj. & data min. nego conſeq.

Ad 2. primitùs, nego maj. Eſt enim ultima clauſula graduum metaphyſicalium, at non gradus metaphyſicus. Præterea diſt. maj. eſt quidam gradus metaphyſicus materialis, concedo, formalis, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Solutio nitet per dicta, magiſque per dicenda infra §. 8 num. 34.

Dices. Gradus omnes metaphyſicales ejuſdem rei ſive materiales, ſive formales identificantur realiter inter ſe in eadem forma, imò (ut vel nos num 8.) omnes eadem à forma ordine quodam præbentur: ergo omnes à forma originem ducunt.

Reſp. diſt. conſequens proximè, & cum dependentia ab alio ut à radice, concedo, remotè tanquam à radice, nego conſeq. Etiam namque ipſa forma individuatur à materia, idcirco iſta eſt prima radix, ut infra.

21. Arg. Illud eſt primum individuationis principium, quod eſt maximè individuo proprium, eique intrinſecum; ſed forma, non verò materia eſt maximè individuo propria: ergo &c Maj. emicat, quia individuatio maximè propria eſt individuo. Min. prob. Materia poteſt etiam naturaliter ſuccedaneè pluribus ſubeſſe formis, non verò forma in pluribus materiis etiam ſuccedaneè: ergo &c.

Reſp. 1. diſt. maj. quod eſt maximè proprium ut quid materiale, concedo, ut forma, nego maj. & diſtinguo min. non verò materia ſecundùm ſe (quo pacto eſt duntaxat negativè una) concedo, ut tali ſigillata quantitate radicali, nego. Et hoc pacto nec ſuccedaneè poteſt ad plures migrare formas, ſed ſolùm ut alia ſigillata quantitate.

Secundò. Cum aliis diſt. min. Forma ut *hæc* eſt maximè propria individuo, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Eſt autem hæc ratione materiæ, adeoque iſta eſt magis propria, quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis*.

22. Arg. 3. Ideo materia aſſeverant individuationis principium, quia limitat formam; ſed etiam forma limitat materiam: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quia limitat ut potentia, concedo, ut actua, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq.

Contra. Quemadmodum materia limitando ut potentia reddit formam incommunicabilem alteri per modum potentiæ; ita forma limitando ut actus reddit materiam incommunicabilem alteri per modum actus: ergo quemadmodum materia individuat formam, ſic forma individuabit materiam.

Reſp. diſt. maj. & aliàs limitatio, quam materia facit, eſt gradui individuali conformis, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Eatenus namque materia eſt individuationis principium, quatenus limitatio, quam facit potentia eſt conformiter omninò ad individualem gradum; quia quemadmodum individualis gradus reddit gradum ſpecificum alteri individuo incommunicabilem per modum actus nullatenus eum perficiendo eſſentialiter; ſic materia formam, quam recipit reddit incommunicabilem actum. Aſt forma limitat materiam perficiendo illam eſſentialiter ſpecificè.

23. Arg. 4. Illud eſt primum individui conſtitutivum, quod eſt primum principium diſtinctivum unius individui ab alio; ſed forma eſt hujuſmodi: ergo &c. Maj. in ea fundatur maxima, quòd idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum. Min. eſt Stagyritæ, qui tum 7 Meth tex. 9. ſcribit, formam eſſe actum, qui individua in invicem diſtinguit, & ſeparat, tum 2. Phyſ. ubi tex. 91. ubi habet, quòd diſtinctio materiæ eſt propter diſtinctionem formæ. Cujus mentem ſecutus Averoes 3. de Anima ait, cornua, & membra Cervi non differre à cornibus Hirci, & membria Cervi, niſi quia Anima Cervi ab Anima Hirci, & Leonis differt.

Conſ. Illud eſt primordiale principium individuationis compoſiti, ſubſtantialis, quod eſt primordiale principium reſpectu eſſe ipſius, propterea S. Th. q. unica de Anima art. 1. *unumquodque*, inquit, *ſecundùm idem habet eſſe, & individuationem*; ſed ſola forma eſt primordiale eſſendi principium: ergo &c. Min. eſt explorata Thomiſtis, quorum inſiſtendo principiis, materia ex ſe propria non gaudet exiſtentia, & ratione formæ exiſtit.

Reſp. ad arg. ultra ſolutiones Maſtrii diſt. maj. quod eſt principium diſtinctivum purè numericè, concedo, ſpecificè, nego, & eodem modo diſtinguenda eſt min. cujus ad 1. prob. Dico, quòd Philoſophus non dixit, formam eſſe actum, qui ſeparat, & diſtinguit individua, ſed eſſe actum, qui ſeparat, & diſtinguit, nimirum, intellige, ſpecificè. Vel loquitur de individuis diverſæ ſpeciei.

Ad id, quod ſubjicitur, ſic interpretandus venit, quòd diſtinctio materiæ ſit propter diſtinctionem formæ tanquam propter finem. Et tandem ad illud Averois dicas loqui de differentia ſpecifica. Legi poteſt Lerma lib. 1. de Gener. & Corruptione q. 40. num. 19.

Contra. Forma ideo eſt principium diſtinctionis ſpecificæ, quia ultimum tribuit complementum ſpecificum compoſito, & ſupponit materiam indifferentem, & quantùm ex ſe eſt negativè ſe habentem ad hanc, vel illam ſpeciem; ſed etiam dat ultimum complementum individuationis compoſito, ut eſt hoc: ergo etiam &c. Prob min. Philoſophus 2. de Anima docet, formam eſſe, quæ conſtituit hoc aliquid. Et inſuper præſupponit, materiam indifferentem ſe habentem ad hanc, vel illam individuationem.

Reſp. negando id, quod ultimò adjicitur, & debebat poni in min. nimirum quòd ſupponat, materiam indifferenter ſe habentem ad hanc vel illam rationem individualem. Ut namque num. 20. ad inſt. 2. factam contra ſolutionem datam ad 1. arg. diximus, ſupponit materiam connotantem talem quantitatem, taleſque diſpoſitiones antecedentes à quarum connotatione ſigillatur, & una numero poſitivè conſtituitur ut radix individuationis ſuæ formæ, & compoſiti modo infra diſplicando. Videri poteſt Maſtrius.

Ad Conſ. nego ant. per dicta num. 7. & num. 15. ad 6. arg. nec oppoſitum indigitat Angelicus, ſed innuere duntaxat voluit, quod idem ſit ſuſceptivum exiſtentiæ, & individuum, ut ad ſuum ibi intentum oſtenderet, univerſalia non exiſtere, ſed ſingularia. At non intendit, idem eſſe radicem individuationis, & exiſtentiæ.

24. Collige pro alterius objectionis ſolutione, quòd ſi per impoſſibile forma in pluribus poneretur materiis, foret eadem repugnanter, & individuum foret idem repugnanter, id eſt foret, & non foret. Eſſet enim eadem, quia ab una individuaretur materia, in qua primò fuit producta, vel produci petebat: etſi enim actu illi non incubaret, tamen ad il-

Digitized by Google

ad illam ordinem diceret. Et non foret eadem, quia etiam ab alia individuaretur. Item foret, & non foret idem individuum. Eſſet idem, quia forma, quæ eſt ſaltem proximum individuationis principium, foret eadem. Et non idem foret, quia non eadem foret materia, à qua ut à prima radice habetur individuatio.

Colligitur præterea, quòd in reſurrectione omnes Homines eandem obtinebunt materiam; quia potior ſaltem pars in ſingulis erit materiæ illius, quam priùs habuerunt ſub eadem quantitate cum reliquis continuata, ut ſcripſi 1. Phyſ. q. 1. in Præloquio num. 2. & 3.

§. VI.

TERTIA STATUITUR CONCLUSIO.

Non benè per hæcceitatem explicatur principium primum, & radicale individuationis.

25. PRob 1. Si Individuationis principium foret hæcceitas, ſequeretur, quòd hoc principium foret realiter forma; ſed oſtenſum jam eſt, & non diffitetur Scotiſta, non poſſe eſſe formam: ergo nec hæcceitas. Maj. prob. Tum quia gradus individualis, qui hæcceitas compellatur, identificatur realiter cum forma, cùm nonniſi formaliter diſtingui obteſtatur Scotiſta. Tum quia hæcceitates præſtantur à forma.

Nec ſufficit, diſtingui formaliter. Non, inquam, quia nec realiter forma poteſt eſſe individuationis principium; quoniam cùm det realiter ſpeciem, nequit dare etiam realiter multiplicationem, niſi ſpecificam, ſicut quod dat realiter eſſe quantum, nec realiter poteſt dare multiplicationem, niſi quantitativam. Vide dicta n. 18. & iterum dicenda infra magis art. 3. de ſubſtantiis immaterialibus n. 5.

26. Prob 2. per dicta n. 2. ſextam referendo ſententiam. Veſtigamus hic principium primordiale individuationis. Idque ingenuè fatetur Scotus, qui in 2. ſent. diſt. 3. q. 2. non multum longè à principio ſcribit, ſe non inveſtigare, quo formaliter repugnet naturæ, quod communicabilis ſit, quoniam hoc modo habet per repugnantiam communicabilitatis, ſed quo tanquam fundamento hanc habeant repugnantiam. Tum verò ſic. Aſſignari opus eſt fundamentum, à quo habeatur communicabilitatis repugnantia; ſed opinio iſta hoc minimè fundamentum aſſignat; ergo perperam hæcceitatem aſſignat. Prob. min. Licèt iſta extaret hæcceitas formaliter diſtincta, ut Scotiſta retur, ſicut extat gradus virtualiter diſtinctus individualis; tamen eſt formale individui conſtitutivum, adeoque eſt id, quo formaliter repugnat naturæ communicabilitas, non verò fundamentum. Prob. ant. Hæcceitas eſt ipſamet individuatio, nimirum gradus individualis: ergo &c. non ſecùs, ac gradus ſpecificus ſit ſpeciei conſtitutivum.

Legi Maſtrium hic diſp. 10. q. 9. art. 1. n. 532. ubi poſtquam doctrinam iſtam retulit ex Banez 2. de Gener. q. 20. art. 2. & ex Ripa lib. de ente, & eſſentia c. 2. q. 4. art. 2. quaſi ex hoc ovans ipſe evaſerit, ubi terga tam turpiter vertit, difficultatis punctum declinans, fingit ſe exultantem dicens, non potuiſſe ſe non vehementer exhilarari, cùm viderit inter Scotiſtas, & Thomiſtas non remanere quæſtionem, niſi ſolo de nomine, hoc ipſo, quod hæcceitates Thomiſtæ admittant, eò præſertim quia id, quod Thomiſtæ de materia ſignata quantitate propugnant, ſe impugnaſſe dicit.

Aſt interim Maſtrius quæſtionem imperfectam reliquit difficultati ſuccumbens. Quandoquidem pergere ulteriùs debebat, ac probare, quòd hæcceitates ſint fundamentale primodiale individuationis principium; vel quid aliud aſſignare. Qua in re Neotericum judicem amarem. Nec unquam Thomiſtarum ullus gradum eſt execratus individualem, ut Porphyriana fit arbore palam. Hervæus autem, Soncinas, & alii hanc refutant hæcceitatem ut formaliter à natura diſtinctam.

Nec cum eodem in tuto quis erit dicendo, quòd ratio individui conſtituitur per totam naturam individuatam, at non per hæcceitatem; ſicut & ſpecies conſtituitur per totam naturam, ſeu, quod idem eſt, per formam totalem, V. G. Homo per humanitatem: gradus verò ſpecificus eſt radix proxima ſpeciei, & gradus individualis radix proxima individuationis.

Non, inquam, Tum quia conſtituit ſaltem per modum conſtitutivi partialis: ergo nunquam erit radix. Tum quia gradus ſpecificus in tota includitur ſpecie, ſeu totali forma metaphyſica, ſicut & individualis gradus includitur in ipſa natura individuata: ergo ſi gradus individualis foret radix, jam & ipſa natura eſſet radix. Tum quia hæcceitas illa, per quam Scotiſta aſſeverat, naturam reddi hanc, & ſingularem, eſt ſingularitas: ergo dicere, naturam eſſe hanc, & ſingularem hæcceitate, idem perinde eſt, ac dicere, eſſe ſingularem ſua ſingularitate, ac proinde eſſe hanc, & ſingularem, quia eſt hæc, ac ſingularis: quod eſt idem per idem.

Tum quia nomine hæcceitatis lingua Scotica venit vel differentia individualis, quemadmodum rationalitatis nomine differentia ſpecifica. Vel quidpiam, à quo ipſa provenit individualis differentia. Si primum, non eſt evacuata difficultas. Siquidem iterum ſciſcitabor, quænam ſit prima individualis hujus differentiæ radix? Nec temere. Quandoquidem individualis differentia eſt gradus metaphyſicus: ergo aliquod præſupponit radicale principium phyſicum, quemadmodum illud præſupponit differentia ſpecifica, quæ eſt gradus metaphyſicus: Homo enim dicitur rationalis, quia eſt anima rationali præditus. Si verò aliud veniat, aſſignet amabo quid ſit. Illud profectò quodcunque fuerit, cùm non ſit gradus metaphyſicus, quid phyſicum erit.

Tum denique quia tametſi annueremus, eſſe radicem proximam, nihil concluderet. Nam fingas etiam, quòd Maſtrius hic ſolo de proximo diſputet principio: ubinam quæſo de radicali peraget; cùm aliàs ſit peragendum, cum omne proximum ſit radicali poſterius, illudque ſupponat? Hoc itaque radicale principium manebit in tenebris.

Num autem impugnando expugnaverit, quod de materia prima dicimus cernes infra § 8. & 9.

Cuncta hæc luculenter diſplicat quidam in autographo. Quemadmodum hic velitatur utraque in ſchola individuationis principium; ita in tract. de Angelis controvertitur à Theologis principium locationis Angelorum. Et quia notiſſimum extat, Angelos locari formaliter localem per præſentiam, ſeu, quod idem eſt, per formam ubicativam: Idcircò non ſiſtunt ibi in aſſignando principio locationis Angelorum ſola in præſentia locali, vel forma proximè ubicativa, ſed ut illi gravi faciant ſatis quæſtioni, aliud quæritant hujus ubicationis principium, quod dicunt, eſſe Angelorum ſubſtantiam. Sic ad faciendum ſatis gravi huic controverſiæ, aliud veſtigare opus eſt principium, à quo oriatur individuatio, at non ſiſtere ipſa in individuali differentia, nimirum hæcceitate metaphyſica.

§. VII.

Solvuntur Scotiſtarum argumenta.

27. ARg. 1. argumento, quod ſupra ſidera attollit Maſtrius. Illud poni debet principium individuationis numericæ, ad quod unitas conſequitur numerica tanquam propriam ad entitatem; ſed hoc non eſt aliud, quàm differentiam individualis: ergo iſta, nimirum hæcceitas, erit individuationis principium. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd omnis unitas ad ſuam ſequitur entitatem ut paſſio. Min. eadem certitudine pollet, cùm non poſſit ad differentiam ſpecificam ſequi.

Reſp. primitèr, nego min. Ad prob. dico quòd ſequitur ad illam entitatem ad quam ſequitur differentia individualis, nimirum ad entitatem formæ proximè, cùm ſit ipſamet differentia individualis conſtitutiva individui. Vide n. 26. prægreſſo.

Sic etiam unitas ſpecifica eſt ipſamet differentia ſpecifica, at non ad illam ſequitur. Nec tamen iſtæ differentiæ licèt unitates, forent paſſiones eſſentiæ metaphyſicæ, ſed paſſiones ſunt alicujus phyſici, nimirum formæ phyſicæ, quicquid in oppoſitum clamet Maſtrius.

Præterea toto etiam dato, quod Maſtrius affectat, nihil ſequitur contra nos, qui diſputamus de radicali principio, nec vel minimum extat proximo de principio diſſidium.

Quòd ſi ſuam hic Maſtrius redintegret jactantiam, tunc contra ipſum redintegranda erunt, quæ ſcripſi prægreſſo num. 26.

28. Arg. 2. Illud eſt individuationis principium, per quod individua intrinſecè diſtinguuntur, ſed hoc ſunt differentiæ individuales: ergo &c. idem enim eſt conſtitutivum, & diſtinctivum.

Reſp. diſt. maj. per quod diſtinguuntur originativè, concedo, formaliter nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Differentiæ namque individualis eſt diſtinctivum, & non principium originativum diſtinctivi. Præterea ad ſummum erit principium originativum proximum.

Contra. Illud eſt principium individuationis naturæ, quod eam ultimatè determinat, & ponit in gradu ultimo indeterminabili, & communicabili; ſed hoc, etiam juxta ſolutionem datam, præſtat differentia individualis: ergo &c.

Reſp. primitùs nego maj. Quod etenim ſic eam determinat eſt ipſamet individuatio, & determinatio, non principium, à quo iſta oritur. Præterea, ut nuper, dicatur, maj. eſſe veram de principio proximo.

29. Arg 3. Principium individuationis illud eſt, quo individuum excedit naturam; ſed hoc non eſt, niſi differentia individualis, cum hæc aliquo modo ſuperaddatur naturæ: ergo &c.

Reſp. primitèr nego maj. Illud namque, quo individuum naturam excedit, eſt ipſamet individuatio, at non individuationis principium. Præterea dicatur, ut ſupra, maj. eſſe veram de principio proximo.

§. VIII.

QUARTA CONCLUSIO.

Materia prima ut quantitate obſignata eſt primum, & radicale individuationis principium in ſubſtantiis, quæ ex ipſa, & forma conſtituuntur.

30. PRobari poſſet plurimis, & luce meridiana nitidioribus, Ariſtotelis authoritatibus, quas videre eſt apud Blaſ. Guerinois, &c. ubi conſpicere quiſque poterit, exterorum extorſiones. Et quicunque legerit Maſtrium, Pontium, cæteroſve, perſpicuè deprehendent, Adverſarios quaſdam duntaxat per interpretationes penitus arbitrarias, & ab Authoris ſenſu prorſus alienas, vitiare commento textus Philoſophi, qui proinde 12. Meth. cap. 8. tex. 49. loquens de unitate numerica primi principii, quod eſt Deus, ex eo infert, eſſe unum numero, & non plura, quia caret materia De quo vid. Cav. in tract. de Ortu, & Interitu diſp. 1. q. 4. §. 3. ſub finem. Nec dicere juverit, ut Minoritam quendam dicentem audivi, quòd Ariſt. non novit quæ fidei ſunt. Non, inquam, quia primi principii unitas naturali demonſtratur lumine, ut probant Theologi. Et ſanè eam haud penitùs ignoraſſe Ariſt. evincitur, ex eo, quod (ut fert Laertius in ejus vita, & Celius lib. 16. c. 34.) morti proximus primam interpellavit cauſam verbis illis *cauſa cauſarum miſerere mei* ubi non dixit *cauſæ cauſarum miſeremini mei*.

Totidem poſſet D. Thomæ authoritatibus fulciri, præſertim verò 5. Meth. ubi exponens verba Ariſt. ibi tex. 12. nimirum, *alia ſunt unum ſecundùm numerum, quorum materia una* ſubjicit Angelicus ibi lect. 8 *materia enim ſecundùm quod ſtat ſub dimenſionibus ſignatis eſt principium individuationis formæ, & propter hoc habet ſingulare, quod ſit unum numero ab alio diviſum.*

Ubi loquitur de principio non duntaxat cognoſcendi individuum, ut Suarez præoccupetur interpretamentum, ſed de principio phyſico, & individuationis in eſſe rei; Tum quia Philoſ. ibi, & cum eo Angelicus, percenſent unitatem, non ſolùm numericam, verùm etiam ſpecificam, & genericam, & uniuſcuiuſque principia aſſignat, ſed pro aliis aſſignat principia in eſſe rei: ergo &c. Tum quia idem S. D. opuſc. 70. q 8. art. 2. ad 1. diſtinguit explicatè quantitatem à reliquis accidentibus in hoc, quòd cætera ſunt principium cognoſcendi diſtinctionem individuorum, quantitas verò aliter eſt principium individuationis.

31. Prob 1. à ſufficienti diviſione cæteris exploſis opinionibus, uti hactenus factum eſt.

32. Prob. 2. Infima cunctarum unitatum, & diſtinctionum, ſumi debet ab eo, quod eſt in rebus infimum; ſed unitas, & diſtinctio numerica eſt infima omnium, & materia prima eſt rerum omnium infima: ergo unitas, & diſtinctio numerica debet à materia deſumi. Maj eſt concedenda, ut debita ſervetur proportio. Min. quò ad p. p. eſt nitens, propterea, quæ numericè differunt, minùs differunt, quàm alia, quæ ſpecificè, aut genericè differunt. Quò ad 2. quoque, cùm imperfectior omni ſubſtantiali ente, puta forma &c ſit materia.

Quæ ratiocinatio aſſocianda erit alteri infra n. 34.

33. Prob 3. ratione fundamentali petita ex D. Th. Ab eo, ut à principio unitas, & diſtinctio numerica oritur, quod eſt ratio, cur forma aliqua ſit immultiplicabilis numero, ideſt quod ſit incommunicabilis alteri, ſed hoc eſt materia quantitate ſignata: ergo &c. Maj. eſt perſpicua quia individuum, ejuſque forma eſt immultiplicabilis numero, & alteri individuo incommunicabilis. Min. prob. Forma, quæ eſt in materia V. G. Caii ſua obſignata quantitate, vel pro illa condita nequit eſſe in Sejo, Titio, aut Sempronio, ſecùs Sejus poſſet eſſe Cajus, &c. ergo &c.

Dici de materia idem poſſet, quæ eſt primum in eſſe incommunicabilis, cùm obſignata quantitate nequeat eadem cum quantitate ad aliam migrare formam, licèt diverſa cum quantitate queat.

Verùm hoc omitto, quia id pernegant Adverſarii, volentes, quòd in ſubſtantiali corruptione non detur reſolutio uſque ad materiam primam, adeoque quòd de facto, & non tantùm de poſſibili materia cum eadem quantitate ad novam migret formam. Nec expedit modò confugere ad lib. de Gener. ubi id probavimus. Igitur

Reſpondes, quòd forma per materiam redditur incommunicabilis alteri tanquam ſubjecto informationis, quatenus nequit aliam informare materiam, at non tanquam ſubjecto prædicationis, de quo impræſentiarum loquimur. Sed

Contra. Talis forma tali deſtinata materiæ eſt incommunicabilis alteri etiam tanquam ſubjecto prædicationis, cùm nequeat prædicari de Forma Mevii, Sulpitii, &c. imò magis iſta, cum per adverſarios una, eademque forma ſaltem ſuccedaneè poſſit pluribus incubare materiis, ſaltem ſupernaturaliter, ſed incommunicabilitatem alteri ut ſubjecto prædicationis habet à materia: ergo &c. Prob. min. Incommunicabilitas alteri ut ſubjecto prædicationis eſt incommunicabilitas ſuperioris, ideſt univerſalis ad partes ſubjectivas, ſicut è contra communicabilitas prædicationis eſt ſuperioris ad inferiora V. G. Generis de ſpeciebus, & ſpeciei de individuis; ſed iſtam habet à materia: ergo &c. Maj. eniteſcit, quia communicabilitas prædicationis ſita eſt in ipſa ſuperioritate, ideſt univerſalitate. Min. prob. Forma ſtatim atque eſt uni materiæ deſtinata, eſt æqualis duntaxat uni, de quo prædicatur, non verò eſt ampliùs ſuperior, & univerſalis.

Dices, hæc omnia dici poſſe etiam de natura, de exiſtentia, de hæcceitate, &c quia ſtatim ac uni ex his eſt deſtinata, jam non ampliùs eſt univerſalis. Unde

In forma reſpondebis negando min. adaſque ult. ſyllogiſmum, cujus ad prob. dices, verum eſſe, quòd ſtatim atque eſt uni materiæ deſtinata, non eſt ampliùs ſuperior, & univerſalis; tamen hoc habet, non ab ipſa materia, ſed vel à ſeipſa, vel ab hæcceitate. Sed

Contra eſt, Tum quia hæc ſatis prægreſſis in §§. refutata ſunt, Tum quia id verificatur duntaxat proximè, at non primordialiter. Ob idque

Inſto ſic. Priùs prioritate ſaltem *à quo* eſt materia, quàm hæcceitas, imò quàm forma, cùm materia ſit formæ receptiva, ſed per dicta ſtatim ac eſt uni deſtinata materiæ, non eſt ampliùs ſuperior; ergo priùs à materia, quàm ab alio habetur, quòd ſuperior non ſit. Cujus ſignò eſt, quòd nulla eſt poſſibilis forma, quæ non ſit alicui particulari deſtinata materiæ. Propterea forma nulli particulari deſtinata materiæ non eſt, niſi forma ut ſic.

34. Prob. præterea, & meliùs. Unitas, & diſtinctio materialis habetur à materia; ſed unitas, & diſtinctio numerica in rebus materialibus eſt materialis; ergo &c. Maj. negari non poteſt, niſi debita negetur proportio. Min. prob. In rebus materialibus extat unitas, & diſtinctio purè numerica; ſed iſta materialis eſt: ergo &c. Maj. eſt dicto ipſo certior. Plures namque equi non differunt invicem, niſi numericè. Min. prob. Illa diſtinctio, & diverſitas eſt purè materialis, quæ materialem duntaxat importat rationem diverſam; ſed diſtinctio purè numerica materialem ſolummodo rationem importat: ergo &c. Prob min. Illa diſtinctio, & diverſitas importat ſolum diverſam materialem rationem, quæ non importat diverſam rationem formalem; ſed ſic ſe habet diſtinctio purè numerica: ergo Maj. eſt palam. Non enim extat medium, & diverſitas omnis debet eſſe per rationem, ſeu prædicatum vel materiale, vel formale. Min. prob. Illa dicuntur eſſe diverſæ rationis formalis, quæ ſunt diverſæ ſpeciei per diverſum conſtituti-

vum

Digitized by Google

vum ſpecificativum, propterea dicitur, quòd ratio formalis conſtitutiva Hominis V. G. eſt animal rationale, &c. ergo &c. Pro quo vide quæ ſcripſi lib. 2. de Anima q. 6. in exordio.

Dixi *unitas, & diſtinctio purè numerica*, quia adverſæ partis vindices, e veſtigiò objiciunt exemplum de Angelis, qui tametſi omnes ſpecificè diſtinguerentur, ut Thomiſtæ tenent, nihilominùs diſtinguuntur etiam, & à fortiori, numericè. Nam in Angelis vel nulla extat numerica diſtinctio poſitivè, ut dicemus art. 4. §. 2. ſub num. 3. & iterum ibi §. 3. ſub num. 6. ad 1. arg. vel ſaltem ſecundùm alios, non eſt dabilis diſtinctio numerica, quæ non ſit ſimul ſpecifica adæquatè inſpecta, cùm nec poſſibiles ſint plures numero Angeli eandem intra ſpeciem. Undè diſtinctio illa non eſt purè numerica. De quo infra art. 4. §. 2. num. 3.

Dices cum Maſtrio ubi ſupra num. 81. & Scoto in 2. diſt. 3. q. 6. *H.* quòd cùm dicitur, unitatem, & diſtinctionem ſpecificam eſſe formalem, numericam verò eſſe materialem, ſumi formale, & materiale, non phyſicè, ut nempe determinantur à materia, & forma partibus; ſed metaphyſicè ut denominantur à materia, & forma totius; vel logicaliter, quatenus entitas materialis conſtituit rem ſubjicibilem, entitas verò formalis rem prædicabilem.

Aſt mirum eſt adeo, quomodo dicere id potuerit Scotiſta, ut in alio mihi videar eſſe Mundo, cùm Scotiſtæ propugnando, naturam à parte rei, adeoque phyſicè, eſſe unam formaliter, per ly *formaliter* intelligant idem, ac ſpecificè, ut conſpeximus in Logica Syntag. 3. q. 5.

Sed quia dicere id poſſet quiſpiam non Scotiſta. Idcirco

Oſtendo, unitatem purè numericam dici materialem, quia deſumatur à materia. Quandoquidem numerica unitas ſumi ab eo debet, quod in omnibus materialibus ſublunaribus ejuſdem ſit rationis; ſed quod ejuſdem ſit rationis, & convenientiæ ſubſtantiale, non extat, niſi materia: ergo &c. Min. eſt conſpicua. Formæ ſiquidem compluribus in rebus, ut in Equo, Cane, Leone, &c. diverſæ rationis, & ſpeciei ſunt. Maj. prob. Unitas, & diſtinctio purè numerica eſt ejuſdem rationis in omnibus etiam diverſæ ſpeciei: ergo &c. Diſplicatur ant. Numericam per diſtinctionem Leo V. G. eodem modo differt à Cane diverſæ rationis, ac ab alio Leone ejuſdem ſecum rationis: ergo &c. Liquet ant. Siquidem Leonem inter, & Canem eſtò ſpecifica, & non ſolùm numerica verſetur diſtinctio; tamen numericam per differentiam non aliter differt, quàm ab alio Leone. Per differentiam namque numericam nequit à Cane differre, niſi purè numericè (quo pacto etiam ab alio differt Leone) quia ſpecificè differt ſpecificam per differentiam.

Quod verò ſumatur à materia non nudè inſpecta (quo pacto eſt una duntaxat negativè) ſed ut quantitate obſignata, conſpicuum eſt, quia nudè inſpecta poteſt ſuccedaneè pluribus ſubeſſe formis.

§. IX.

Solvuntur Infenſorum argumenta.

35. ARg. 1. Probando, materiam nullo modo, nec ut ſignatam, nec ut non ſignatam, poſſe individuationis principium eſſe. Materia nullatenus poteſt ſpecificam unitatem dare; ſed ſi poſſet numericam unitatem præbere, à fortiori poſſet ſpecificam: ergo nullatenus materia poteſt eſſe principium unitatem præſtans numericam. Prob. min. Quod poteſt id, quod majus eſt, poteſt à fortiori quod minus eſt; ſed unitas numerica eſt major ſpecifica: ergo ſi &c. Prob. min. Illa unitas eſt major, quæ minorem patitur diviſionem; ſed numerica unitas minorem admittit diviſionem: ergo &c. Maj. eſt dicto ipſo certior, quia unitas eſt carentia diviſionis. Min. quoque. Unitas ſiquidem ſpecifica numericam admittit diviſionem, numerica verò nullam penitus patitur diviſionem.

Reſp. arg. hoc eſſe vel ab Adverſariis ipſis ſolvendum. Quandoquidem nec hæcceitas, nec negationes, nec agens extrinſecum, nec exiſtentia, nec ſubſiſtentia poteſt ſpecificam unitatem dare. Item ſpecifica unitas eſt major generica; & tamen forma non poteſt ſpecificam unitatem dare, quin genericam valeat unitatem dare. Igitur

In forma, nego maj. Ad prob. diſt. min. eſt major formaliter, nego, præſuppoſitivè, concedo min. & nego conſeq. Unitas enim numerica ſupponit ſpecificam, at non è contra. Formaliter autem eſt cunctarum infima, ut conſpeximus num. 32.

Vel aliter eandem diſt. min. eſt major quò ad rationem unitatis, ideſt quaſi quantitativè, concedo, quaſi qualitativè, ideſt quò ad perfectionem, nego. Numerica ſiquidem unitas, ut conſpeximus num. 34. eſt unitas materialis, adeoque imperfectiſſima.

Contra. Eſt major etiam formaliter, & quò ad perfectionem, ac quaſi qualitativè: ergo &c. Prob. ant. Deus, quia eſt ſummè unus ſingularis, eſt ſummè perfectus formaliter: ergo &c.

Reſp. nego ant. ſtando præſertim in rebus materialibus. Ad prob. primitùs dico, quòd etiam Trinitas in Divinis ſummam dicit perfectionem. Præterea duplex viget diſparitas. Prima, quia unitas Dei non eſt materialis, ut eſt in rebus materialibus, in quibus eſt materialis, imò purè materialis, ut conſpeximus num. 32. & 34. Secunda, quia in Divinis numerica unitas non eſt alia à ſpecifica, Tum quia Deus non componitur ex his gradibus, nec ex genere, & differentia; Tum quia ſingularitas in Deo eſt eminenter omnes aliæ unitates.

Inſt. Unitas rerum, etiam materialium, eſt participatio Divinæ unitatis, non ſecùs ac veritas, bonitas, &c. ergo ſi in Deo &c. etiam &c.

Reſp. primodùm ut nuper, quòd ſingularitas in Deo eſt ita perfecta, non præcisè ratione ſui, ſed ratione cæterarum unitatum eminenter, tametſi non formaliter. Præterea diſt. ant. eſt participatio quò ad rationem unitatis, concedo, quò ad rationem immaterialitatis, nego ant. & conſeq.

36. Arg. 2. probando, quòd materia nec ut quantitate ſignata ſit &c. Forma eſt individua in materia pro priori ad omnem quantitatem: ergo non individuatur à materia ut ſignata quantitate. Prob. ant. Materia ſubſtantialem recipit formam priuſquam quantitatem, aliaque accidentia; ſed non recipit illam, niſi ut individuam: ergo &c.

Reſp. nego ant. loquendo radicali de quantitate art. ſequenti diſplicanda. Ad prob. dico, maj. eſſe veram de actuali, non de radicali quantitate. De quo iterum n. 39. ad 5. arg.

Contra. Priuſquam etiam radicalem quantitatem: ergo &c. Prob. ant. Formas accidentales non recipit, niſi mediatè, & ſecundariò, nimirum media forma ſubſtantiali: ergo &c.

Reſp. ſolutione, quæ adhiberi immediatè etiam ad arg. poterat, diſt. ant. priùs recipit formam ut dantem gradus ſuperiores, concedo, ut dantem gradum individualem, nego ant. & nego quòd pro illo priori *à quo* recipiat formam ut individuam. Solutio nitet ex dictis num. 8. ſub finem, videlicet quòd forma ordine quodam plures præſtat gradus, nimirum primò eſſe ſubſtantiæ, poſtea corpus, poſtea vivens, poſtea ſenſitivum, deinde rationale, & tandem eſſe hoc rationale, hunc Hominem. Quæ tamen omnia in uno, eodemque inſtanti reali formali præbentur ſola cum prioritate virtuali. Itaque inſpecta forma ut priores præſtat gradus reſpicitur à materia priuſquam quantitas radicalis. At inſpecta ut dat proximè eſſe individuale reſpicitur per poſterius ad radicalem quantitatem. Vide infra num. 39. ad 5. arg.

37. Arg. 3. ad idem. Non ſatis eſt explicabile, quomodo materia hanc habeat potiùs, quàm aliam reſpicere quantitatem: ergo non ſatis eſt explicabile, quomodo tali obſignata quantitate ſit individuationis principium. Prob. ant. Materia de ſe eſt ad omnes indifferens quantitates, ſicut & ad omnes ſubſtantiales formas: ergo &c.

Conf. Eſt imperceptibile, quomodo ſubſtantia, uti eſt materia prima, queat individuari ab accidente, ut eſt quantitas etiam radicalis. Etenim quemadmodum formalis quantitas eſt accidens formaliter, ita radicalis quantitas debet eſſe accidens radicale.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. dico, quòd materia, talem reſpiciens quantitatem, non eſt materia ſecundùm ſe, ſed eſt materia affecta qualitatibus ac diſpoſitionibus præviis, tempore immediatè præcedenti præbitis; ut productis ab hoc, & non ab alio agente; eo, & non alio tempore; in hoc potiùs, quàm in alio compoſito. Quæ ſicut ad determinatam diſponunt formam, ita & determinatam ad quantitatem. De quo iterum art. ſequenti §. 1.

Contra exultabundus exurgit Maſtrius ex Suarez. 1. Quæritur hic, à quo iſtæ individuentur diſpoſitiones, &

qualitates. Cùm enim ſint accidentia, quæ individuantur à ſubjecto, deberent à materia individuari non individuata, vel à toto compoſito, quod tunc nondum eſt, cum ad illud diſponant.

Secundò. Inde ſequitur, talia accidentia, taleſve diſpoſitiones eſſe individuationis principium, cùm & ipſa materia obtineret ab eis, quòd foret individua, quia ab eis haberet, quòd talem reſpiceret quantitatem.

Reſp. ad 1. quòd tales diſpoſitiones individuantur à ſubjecto corrumpendo. In iſto autem ſubjectantur, ut ſcripſimus lib. 1. de Gener. q. 2. art. 1. § 3. num 7. ad 2. arg. & perſeverant virtualiter, ſi non formaliter, in materia in inſtanti, in quo introducitur forma, quæ recenter gignitur, ut conſpeximus ibidem art. 2. §. 3. ad primum arg.

Nec inconveniens eſt (ut ibidem vidimus) quòd qualitates diſponentes ad compoſitum recenter gignendum, ſubjectentur in compoſito corrumpendo. Non inquam. Siquidem cùm unius corruptio ſit alterius generatio, etiam id, quod eſt diſpoſitio ad corruptionem unius, eſt diſpoſitio ad generationem alterius. Idcircò qualitates, quæ ſunt diſpoſitiones, ut materia veterem immittat quantitatem, ſunt diſpoſitiones, ut novam ſuſcipiat; ſicque debent ſubjectari in illo, in quo eſt quantitas corrumpenda, & ab illo individuari. Vid. ibi. In caſu autem, quo ſeſe crearetur, dico, quòd tunc ab iiſdem determinaretur diſpoſitionibus, habitis, ſi non formaliter, ſaltem vel æquivalenter, nimirum ab actione Divina, ut eminenter continente illas diſpoſitiones; vel exigitivè, ut de privatione, quæ intervenit in generatione cineris, vel vermis ex ſpeciebus Sacramentalibus, ſcripſimus 1. Phyſ. q. 1. art. unico §. 14.

Ad 2. Reſp. quòd non illæ diſpoſitiones ſunt principium individuationis, ceu accidens, ſed ſunt mera conditio, ut materia talem recipiat quantitatem. Conditio, inquam, intrinſeca, ſaltem mediatè, nimirum mediante forma corrumpenda. Imò ipſamet forma corrumpenda præcedit tanquam diſpoſitio intrinſeca, ut ſcripſi 1. Phyſ. q. 1. art. unica § 14. citato num. 34. ad 5. arg.

Si ſciſciteris, à quo ad has diſpoſitiones determinetur. Reſp. ex actione agentis eas introducentis.

Ad Conſ. Reſp. quòd materia individuatur per quantitatem, non in recto, & formaliter, ſed tanquam per quid connotatum. Et licèt quantitas radicaliter, inſpecto ly *radicaliter* ex parte quantitatis radicatæ ſit accidens; tamen ſumpto ly *radicaliter* ex parte materiæ radicantis, non eſt accidens, nec etiam radicaliter, ſed eſt in recto entitas materiæ ut radicans, & connotans quantitatem. Adde, quòd accidens, radicaliter nil aliud eſt, quàm ipſa ſubſtantia, nimirum ipſa radix accidentium, ſive ſubſtantia ut radicans; adeoque non eſt ampliùs accidens: non ſecùs, ac riſibilitas radicalis eſt ipſa rationalitas. Quamobrem tametſi concederetur, individuari ab accidente radicaliter inſpecto, non ſequeretur, individuari ab accidente, eſtò quantitas radicalis ſit accidens radicale: eò quòd accidens radicaliter ſumptum nil aliud eſt, quàm ſubſtantia radicans accidens.

38. Arg. 4 ad idem. Si materia fieret poſitivè hæc, & individua per hoc, quod hanc reſpiciat quantitatem, ſequeretur, committi circulum vitioſum: ergo &c. Prob. ant. Etiam quantitas individuaretur à materia, cùm ut art. 5. nos dicemus, accidens individuetur à ſubjecto.

Nec in tuto erimus dicendo, quòd à toto individuatur compoſito. Si quidem materia, cùm, ceu principium individuandi totum compoſitum, ſit individua in aliquo priori, etiam in aliquo priori ad compoſitum debet eſſe quantitas individua, per quam individuatur materia.

Reſp. nego ant. Ad prob. dici ſolet, quòd quantitas ut accidens quidem individuatur à ſubjecto, ut verò diverſum exprimit unius partis ſitum ab alia, individuari à ſeipſa; quia eſt primum faciens diſtinguibilitatem in res diverſæ rationis. De quo Salm. p. p. diſp. 2. Guerinois hic art. 2. §. 7. per totum.

Quæ ſolutio grandem pati mihi videtur difficultatem; eò quòd ponere videtur ſecundùm diverſam rationem duas individuationes in una, eademque quantitate. Hoc autem impoſſibilitate laborat, quia cùm individuum conſtituatur per individuationem, quot ſunt individuationes tot ſunt individua; ſicque in una, eademque quantitate duæ forent individuæ quantitates.

Nihilominùs meliùs diſplicata præfata ſolutio ſuſtineri poſſe videtur, dicendo, quòd quantitas phyſicè inſpecta individuatur à ſubjecto, mathematicè verò inſpecta individuatur à ſeipſa, propter rationem adductam. Sicque erunt duæ individuæ quantitates, ſed una erit individuum mathematicum, altera phyſicum. Quantitas namque mathematica eſtò ſit in ſubjecto, tamen non conſideratur ut in ſubjecto. Vide num. ſequenti 39. ad 5.

Nec incommodum dixeris, ſic materiam fieri hanc phyſicè per quantitatem duntaxat mathematicè, & non phyſicè ſumptam. Non, inquam, quoniam talis quantitas concurrit, non in recto, ſed duntaxat de connotato; quemadmodum in ſuperioribus de unitate diximus, de connotato conſtitui etiam per negationem, quamquam unitas ſit quid poſitivum.

Nec inde ſequitur, quantitatem eſſe melioris conditionis, ac ſubſtantia, eò quòd quantitas per ſeipſam etiam radicaliter individuatur, non verò ſubſtantia. Non, inquam, Tum quia indè ſolùm ſequitur major perfectio ſecundùm quid, non verò ſimpliciter; quia ſubſtantia plura alia obtinet, in quibus quantitatem excedit, putà eſſe per ſe, ens ſimpliciter, &c. Tum quia individuatio, ceu unitas numerica, & materialis, imperfectiſſima, ac infima, tametſi à ſe habeatur nullam majorem arguit perfectionem.

Præterea reſponderi aliter poſſet, non committi circulum vitioſum, quoniam non eſt in eodem genere cauſæ, imò unum eſt in genere cauſæ materialis, quia materia in genere cauſæ materialis individuat, ſaltem remotè, quantitatem; quantitas verò ſolùm ut quid connotatum individuaret materiam. Cùm itaque, ut propugnavi lib. 1. de Gener. & Corrup. q. 2. art. 3 queat in diverſo genere cauſæ, imò & in eodem genere cauſæ ſubalterno (ut de fine *cui*, & de fine *cujus gratia*) licèt non in infimo, exerceri mutua cauſalitas; jam multò magis inter ea, quorum unum eſt in genere cauſæ, & aliud non eſt in genere cauſæ, exerceri mutua poterit dependentia.

Quò ad rectum autem materia à ſua individuatur entitate ut illam connotante quantitatem. Ratio eſt, quia materia eſt primum incommunicabile per modum actus, adeoque incommunicabilis per modum ſpeciei, ut requiritur ad individuum.

Nec vel in minimo terreat ſtrepitus Maſtrii, reclamantis, quòd Materia eſtò non ſit communicabilis per modum actus phyſicè informantis; eſt tamen communicabilis per modum ſpeciei pluribus materiis; quia materia ut ſic prædicatur de qualibet materia, & omnes materiæ ſunt ejuſdem ſpeciei.

Non, inquam, Tum quia nos loquimur de principio individuationis phyſico, nempe radicali, & non tantùm metaphyſico, ac proximo. Tum quia materia prima ut ſic eſtò ſit de omnibus prædicabilis materiis, non tamen per modum ſpeciei, cùm nos 1. Phyſ. q. 2. art. 2. ei actum denegaverimus metaphyſicum, conſtituentem eam in ſpecie: Propterea ibi non infrequenter ſcriptitabamus, quòd materiæ ſublunares ejuſdem ſunt ſpeciei negativè duntaxat, at non poſitivè; & quòd materia ſolummodo per ordinem ad formam ſortitur poſitivam ſpeciem. Quamobrem prædicatur tantummodo ut quid tranſcendens. De quo iterum extenſiùs, ac luculentiùs infra art. 3. ad 1. arg. ſub finem numeri 5.

In ſententia verò probabili, quòd metaphyſico polleat actu, opus erit, ad alias confugere rationes, nimirum quòd materia eſt primum materiale, & infimum omnium rerum: Idcircò poteſt ſeipſa, quò ad rectum ſaltem, eſſe una unitate numerica, quæ materialis, & omnium unitatum infima eſt.

Quare autem forma ex ſe abſque alterius connotatione unitatem dare queat ſpecificam, & nequeat materia ex ſe abſque quantitatis radicatione numericam dare unitatem. Hoc ideo eſt, quia potentia, ut eſt materia, eſt quid magis commune; actus verò, ut eſt forma, eſt ex ſe determinatus in ſpecie.

39. Arg. 5. Vel materia prima eſt radix individuationis ut præhabet quantitatem terminatam, vel interminatam; ſed neutro modo: ergo nullo. Maj. eſt explorata, quia quantitas præhabita eſt vel terminata, vel interminata. Min. prob. Et quidem quò ad terminatam explicatè habetur ex D. Th. opuſc. 70 q. 4. quia ſi per quantitatem terminatam redderetur materia hæc, Petrus dum eſſet puer, & dum eſſet vir, non foret idem numero individuum, quia quantitas palmaris, quæ eſt in Petro puero, in vi-

Digitized by Google

in viro non manet, ſed fit tricubitalis. Quò verò ad interminatam Prob. Materia nequit eſſe principium individuationis, niſi ut eſt ſignata quantitate determinata; ſed per hoc, quod ſit præhabens quantitatem interminatam, non cenſetur ſignari quantitate determinata: ergo &c. Maj. eſt dubio procul. Cùm namque debeat determinari materia, ut ſit individuationis radix, nequit niſi à determinata quantitate determinari, eò quòd nequit ab indeterminato determinatio præſtari. Min. quoque. Etenim quantitas determinata coincidere videtur cum quantitate terminata.

Reſp. nego min. quò ad a. p. Ad prob. nego min. cujus ad prob. nego ant. quod mirum eſt, quomodo adeo certum ſupponere potuerit Maſtrius, & ulteriùs ſupponere (uti verè ſupponendum) quòd ſit idem, eſſe terminatum, & eſſe figuratum, cùm quantitas non terminetur, per figuram, imò figura ſit una ex ſpeciebus qualitatis reſultans ex terminatione quantitatis, ut in Logica conſpeximus, adeoque nequit eſſe gradus individualis quantitatis realiter cum illa identificatus.

Falſum igitur eſt, in idem coincidere quantitatem determinatam, & terminatam. Quandoquidem videt quilibet non cæcus, quòd una, eademque quantitas, videlicet hæc eadem determinata quantitas, varias ſubit terminationes, cùm ſit modò minor, modò major in eodem. Terminationem namque habet ab ultimo indiviſibili realiter diſtincto, determinationem verò mathematicè inſpecta habet à ſeipſa, phyſicè verò ſumpta habet à ſubjecto, ſicut & cætera accidentia, de quibus infra art.4. Solutio alia apud Salm. p.p. diſp.1. dub 3. §.5.

Et licèt re vera omnis quantitas etiam radicalis ſit ſaltem radicaliter terminata; quia eo modo, quo radicatur, poſtea recipitur; recipitur autem ut terminata; & illa eadem, quæ ſit formalis, & actu, eſt illa eadem, quæ erat radicalis, & receptibilis.

Licèt, inquam ita ſit: attamen hoc per accidens ſe habet reſpectu materiæ ut individuandæ, & ut principii individuationis; quia prout ſic per ſe reſpicit quantitatem ut determinatam. Non eſt autem idem; eſſe terminatam, & eſſe determinatam, ut nuperimè oſtendi. Eapropter quod ſit terminata non eſt quia hoc efflagitet materia, ut ſit individuationis principium, ſed quia aliunde omnis quantitas aliquam petit terminationem, licèt eadem quantitas modò unam, modò aliam terminationem ſortiri queat.

40. Arg 6 Si à Petro, & Paulo omnis auferretur quantitas, imò & quodcunque accidens, adhuc remanerent tanquam duo compoſita ex materia, & forma, ac numero diſtincta ſicut priùs: ergo materia non individuatur per quantitatem.

Conf. Etiam nulla intellecta quantitate in materia, adhuc materia recipiens formam, eam limitaret, ac faceret hanc, diſtinctam ab omni alia ſub eadem ſpecie: ergo &c.

Urg. Compoſitum genitum, & corruptum, eandem numero ſortiuntur materiam; & tamen corrupti, & geniti quantitas non eſt numero eadem: ergo &c. Ant. quò ad utramque p. certum extat. Quò ad primam quidem quoniam materia eſt generationis ſubjectum. Quò ad a. etiam per dictam lib.1. de Gener. quæſt.a. art.a. ubi univerſis cum Thomiſtis ſcripſimus, quòd non eadem ſunt corrupti, & geniti accidentia, eò quòd fiat reſolutio uſque ad materiam primam.

Reſp. ad arg. vel quòd ideo diſtinguerentur numero, quia adhuc in eis extaret quantitas exigitivè, ideſt quantitas exigita, vel radicalis. Vel quòd diſtingueretur numero duntaxat negativè, at non poſitivè.

Ad Conf. diſt. ant. faceret hanc, & individuam repugnanter, concedo, non repugnanter, nego. Faceret enim, & non faceret hanc. Faceret, quia omne recipiens in re, & omne receptum debet eſſe ſingulare. Et non faceret, quia materia non foret hæc, cùm non fiat hæc, niſi connotando quantitatem.

Et hoc idem arg. fieri de hæcceitate poteſt, quia ſi exiſteret res nulla intellecta hæcceitate, foret hæc & individua; quia omne exiſtens à parte rei eſt ſingulare.

Itaque nego ſuppoſitum. Supponit namque, quòd materia nulla intellecta quantitate etiam ut præhabita radicaliter in illa, vel ut connotata, queat formam recipere. Quandoquidem nequit materia hanc recipere formam, niſi ſit poſitivè una, & ab alia diviſa; quod habere nequit materia ſecundùm ſe, omni præciſo ordine ad quantitatem, cùm ſecundùm ſe ſit una duntaxat negativè, seu omni carens differentia tum ſpecifica, tum individuali, ut conſpeximus 1. Phyſ. q a. art.2.

Et quando dicitur, quòd materia eſt una per ordinem ad formam; intelligitur de forma, non intranſitivè inſpecta, ſed quatenus eſt principium proximum dimanativum quantitatis radicatæ in materia. De quo videri poteſt Gueſinous hic q.a. art.a §4 ad a. arg.

Ad id, quo urg. Reſp. diſt. ant. poſitivè, nego, negativè, ſubdiſtinguo, eſt eadem in ea ratione, ſecundùm quam eſt individuationis principium, nego, in alia ratione, concedo. Eſt enim principium individuationis ut obſignata quantitate. Ob idque tunc cùm ſit poſitivè diverſa quantitas, idcircò & materia hac in ratione eſt poſitivè alia.

Nec mirum videatur, materiam modò eſſe hanc, modò aliam; & ab ea ſeparari ſingularitatem, quæ realiter cum re ſingulari identificatur. Non, inquam. Sejungatur enim, non quantùm ad id, quod dicit in recto, nimirum quò ad ipſam entitatem, ſed duntaxat quò ad connotatum. Neque novum eſt, recenter advenire, vel ſejungari denominationem aliquam ex deficientia alicujus duntaxat connotati, ut de relatione Patris ad ſecundum filium ſcripſimus in Logica, & de unione materiæ, & formæ diximus 1. Phyſ. q.4.

41. Arg. 7. Materia diſtinguitur realiter à forma, ſeorſim ſaltem inſpecta, & à toto compoſito: ergo dare nequit individuationem realiter identificatam cum re individuata.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens nequit dare, &c. ut principium proximum, concedo, ut remotum, & radicale principium, nego conſeq.

42. Arg. 8. probando, materiam ſecundùm ſe eſſe individuationis principium S. Th. opuſc. de principio individuationis, & alibi aſſeverat, materiam eſſe principium individuationis, nulla facta mentione quantitatis, imò ibidem explicatè docet, ſolam materiam eſſe hujuſcemodi principium. Item p. p. q.29. art.1. aſſeverat, ſubſtantiam individuari per ſeipſam, & accidens per ſubjectum. Non individuaretur autem per ſeipſam, ſi individuaretur per quantitatem.

Reſp. quòd legenti opuſculum illud, haud obſcurè conſtabit, S. Th. ibi ſtatu [?]ſſe materiam, non ſecundùm ſe, ſed ut dimenſionibus obſignatam pro principio individuationis. Quando autem dixit, ſolam materiam eſſe individuationis principium, voluit explodere formam à principio radicali, vel quodcunque aliud à materia realiter diſtinctum, ac proinde etiam quantitatem actualem. Et per hæc ad aliam habes authoritatem. Si namque diceremus, ſubſtantiam individuari per materiam obſignatam quantitate actuali ſequeretur non individuari per ſeipſam.

33 Arg 9. Noſtra hæc opinio fuit quondam à Pariſienſi Academia damnata tres per articulos, quorum primus fuit *ſi quis dixerit, Deum non poſſe multiplicare formam ſine materia, error*. Secundus, *ſi quis dixerit, formam non recipere diviſionem ſine materia, error*. Tertius, *ſi quis dixerit, quòd quia intelligentiæ non habent materiam, Deum non poſſe ejuſdem ſpeciei facere plures, error*. Tum verò ſic. Sed ſententiam celebrem per univerſitatem damnata, ubique eſt damnata, & ut ſuſpecta de hæreſi rejicienda, ut habetur in extravag. *cap. ad abolendam*: ergo talis eſt hæc noſtra &c.

Sic obloquuntur Sycophantæ nonnulli, ſicque garriunt quidam, qui loqui neſciunt, & tacere non poſſunt. Ita effutiunt Trombeta, & Maſtrius, qui cavere potiùs debuiſſent, ne verum ſit, quod eorum de formali diſtinctione in divinis ſcripſerat Vaſquez.

At dimiſſis perperam loquentibus, & pejus ſcribentibus, legat cordatus Lector, quàm benè ſcripſerint Patres Salm p.p tract.7. qui eſt de Angelis diſp.1. dub.7. §.5. n.99. ubi oſtendunt, qualiter non in ſenſu Angelici, ſed in ſenſu duntaxat Averroiſtarum fuerunt improbatæ propoſitiones illæ. Videantur ipſi, & nos opportunè diutiùs cunctemur pro iſta magis refutanda vitiligatione.

Verum itaque ſit, eos fuiſſe articulos damnatos invidioſant propter emulationem quorundam, qui magnum vulgi aucupabantur honorem, & gloriam, ſi poſt mortem tanto Giganti, qualis erat D. Th. claricgarent, ejus condemnando doctrinam. Aſt iniqua illa condemnatio revocata fuit nomine totius illius Academiæ à Stephano Pariſienſi anno 1325. quadam epiſt. quæ incipit *Univerſi*

præſentes litteras inſpecturis inquantùm poterat contra S. Th. extorqueri & tertius verbaliter à noſtro Marletta.

Hic locus eſſet celebrato Auguſtini reſponſo Donatiſtis, Africanorum Præſulum authoritati præſidentibus: *Vos certè nobis objicere ſoletis* Cypriani *litteras, Cypriani ſententiam, Cypriani concilium; Cur Cypriani authoritatem pro ſchiſmate veſtro aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis* lib. 2 de baptiſmo cap 3.

Præterea revocata à gunive ſui ab Urb V. qui in extrav. *Laudabilis Deus*, & ad Toloſanam Academiam ſcribens, præcepit, doctrinam S Th. recipi ut veridicam, & catholicam; imò eodem ab Urb V ut damnatos eſſe habendos univerſos, qui S Th doctrinam ut erroneam damnare auſi fuerint, obſervant Salm loco nuper appellato. Item à Clem VIII. qui multò poſt præfatam condemnationem, diſertè pronunciat in Bulla ad Neapolitanos, doctrinam S Th eſſe ullo prorſus abſque errore conſcriptam.

Dicat Maſtrius, dicat Trombeta, ſi quid ſimile in laudem, & gloriam Gymnaſiarchæ ſui Scoti habent. Sin autem ſileant.

44 Colligi ex dictis poteſt, falſum eſſe, quod Maſtrius inquit, nimirum poſſe ſaltem de potentia abſoluta materiam iiſdem cum diſpoſitionibus ſubeſſe pluribus quantitatibus. Falſum, inquam, ſecùs foret, & non foret eadem. Item falſum eſſe, quòd eadem quantitas pluribus queat incubare materiis, ſecùs eſſent, & non eſſent formaliter plures materiæ Eſſent, ut ſupponitur, & non eſſent, quia eandem obtinerent individuationem. Eò vel maximè quòd accidens individuatur à ſubjecto, ut infra art. 4. conſpicie-ujus.

45. Pro alterius objectionis evacuatione videatur, quod ſcripſi § 5. num. 24. præſertim in ſecundo colligendo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num per formalem, vel per radicalem quantitatem fiat iſta materiæ obſignatio. Et quomodo fiat.

§. I.

1. DUas titulus obtinet partes, & quantùm ad p. p. non deſunt, & quidem eximii, Thomiſtæ, ut Ferrarienſis 1. contra Gentes cap. 27 Nazar. p. p q 3. art. 2. & Soncinas 7 Meth. q. 34. arbitrantes, hujuſcemodi materiæ ſigillationem eſſe faciendam per quantitatem actualem, & formalem actu inhærentem, itaut ſi Titio, & Sempronio actualis adimeretur quantitas, remanerent individua duntaxat quò ad id, quod de primariò dicit individuum, nimirum indiviſionem in ſe ultima diviſione, & incommunicabilitatem alteri ut ſuperioris inferiori; at non quò ad id, quod de ſecundariò dicit individuum, videlicet diviſionem ab alio: adeoque remanerent invicem diviſa, non poſitivè, ſed ſolummodo negativè, aut tranſcendentaliter.

Cæteri verò Thomiſtæ propugnant, fieri per radicalem quantitatem.

Quò ad 2. tituli p Suarez ſentit, materiam eſſe radicale individuationis principium per modum aliquem ſubſtantialem materiæ modaliter ſuperadditum, per quem ad hanc potiùs, quàm ad aliam determinatur quantitatem.

Thomiſtæ hunc reſpuunt modum, ac dicunt, materiam determinari ad hanc potiùs, quàm ad aliam quantitatem per diſpoſitiones prævias modo prædeclarato antegreſſo art. §. 9. num. 37. ad 3. contra eundem Suarez.

§. II.

CONCLUSIO BIMEMBRIS.

Quantitas radicalis, at non formalis, eſt illa, per quam materia ſigillatur, ut ſit individuationis principium: nec ad hoc dandus venit modus ullus ſuperadditus.

2. QUò ad p. p. eam didicimus à D. Th. opuſc. 70 q. 4. art. 2. ad 3. ubi *materiam*, inquit, *eſſe rationem individuationis ratione dimenſionum in ea præintellectarum, ideſt præcontentarum in illa tanquam in radice.* Et ibidem ad 2. *dimenſiones*, inquit, *cùm ſint accidentia, per ſe non poſſunt eſſe principium unitatis individuæ ſubſtantiæ, ſed materia prout talibus dimenſionibus ſubeſt intelligitur eſſe principium talis unitatis, & multitudinis.*

3. Prob. Unitas numerica ſubſtantiæ (ut prægreſſo art. § 2. num 6. conſpeximus) eſt ſubſtantialis, adeoque nequit ab aliquo accidente præſtari; ſed quantitas actualis inhærens eſt accidens: ergo &c.

Conf. Ex oppoſito ſequeretur, individuum ſubſtantiæ materialis non eſſe unum per ſe; quia ejus ad conſtitutionem congrederentur res diverſorum prædicamentorum, nimirum materia, quæ eſt de genere ſubſtantiæ, & quantitas actualis, quæ eſt de genere accidentis.

Dices, nullum ſequi incommodum, quia quantitas actualis concurrit, non ut quid, in recto importatum; ſed duntaxat ut quid connotatum. Sed

Contra. Licèt verum ſit, nullum eſſe incommodum, quòd accidens concurrat de connotato ad quid ſubſtantiale, ut vel nos ſupra ſcripſimus; Tamen ſtante modo dicendi Adverſariorum falſum eſt, quòd quantitas congrederetur ſolùm ut quid connotatum. Obidque

Inſto ſic. Quod concurrit per modum cauſæ formalis concurrit in recto; ſed actualis illa quantitas daret ut cauſa formalis individuationem, ſaltem quò ad diviſionem ab alio: ergo &c. Maj. enteſcit, quia effectus formalis formæ eſt ipſa forma communicata Min eſt Adverſariorum, qui propterea dicunt, non ſufficere radicalem quantitatem, quamvis eſſentia non dicat actum, ſed aptitudinem; quia quando habetur quidpiam ab alio in genere cauſæ formalis, dicit actum, & non tantùm aptitudinem.

Reſpondet Ferrarienſis, quòd eſſe diſtinctum, ſive diviſum ab alio non eſt eſſentia individui, ſed quid per modum proprietatis.

Contra. Idem eſt conſtitutivum, ac diſtinctivum; ſed diſtinctivum unius individui ab alio eſt diſtinctio, ſive diviſio ab alio: ergo illa erit conſtitutivum.

Dices cum Nazar. maj eſſe veram de conſtitutivo formali, & diſtinctivo, non de radicali. Sed

Contra Diſtinctivum formale eſt idem, ac conſtitutivum formale: ergo pariter diſtinctivum radicale erit idem, ac conſtitutivum radicale.

Nec ſufficit, quòd diſtinguat illud ab omni eo, quod non eſt individuum, puta à ſpecie, &c Non, inquam. Etenim ſi loquamur phyſicè, nec à ſpecie, quam contrahit, diſtinguit realiter illud. Si verò loquamur metaphyſicè, debet illud diſtinguere, non ſolùm ab omni eo, quod non eſt individuum, verùm etiam ab alio individuo: quemadmodum conſtitutivum, & diſtinctivum ſpeciei; illam diſtinguit non ſolùm ab omni eo, quod non eſt ſpecies, puta à genere, ac generibus, verùm etiam ab omni alia ſpecie, V. G. rationalitas diſtinguit Hominem, non modo ab animali, verùm ab Equo, Leone, &c.

4. Prob. modo concl quò ad 2 p. Materia prima ſi eſt individuationis principium, eſt hujuſmodi ante quemcunque modum in ſe receptum; ſed ſi aliquis extaret modus phyſicus, in ea reciperetur; ergo non ratione alicujus modi habet eſſe individuationis radix. Min. crediderim certam. Siquidem cùm non foret materiæ identificatus, jam foret in illa per unionem, ſicut in ſubjecto aliquo. Prob. maj, Modus ille reciperetur in materia ſingulari; ergo ſupponeret materiam ſingularem. Prob. ant. Ille modus foret ſingularis: ergo &c.

Si dicas, quòd reciperetur in materia ſingulari, quam ipſe faceret formaliter ſingularem, at non quam ſupponeret ſingularem.

Contra eſt. Inde ſequeretur, talem modum eſſe rationem formalem individui conſtitutivam. Hoc autem manifeſtam redolet falſitatem; quia individuum eſt prima ſubſtantia, quæ dicitur maximè ſubſtantia, adeoque conſtitui nequit per quid adeò exiguum, uti eſt modus.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

5. ARg. 1 contra p p. Quantitas radicalis non ſufficit ad individuationem formalem: ergo &c. Prob. ant. a pari. Radicalis diverſitas non ſufficit ad analogiam formalem, ut ſcripſimus in Logica Syntag. 4. q. 1. art. 2. §. 3. num. 6. ergo pariter &c. Conſeq. eſt exacta, quoniam

niam

niam quemadmodum abſque diverſitate nequit haberi analogia, ita nec ſine quantitate individuatio : ergo ſi &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego conſeq Ad prob. diſt ant. quòd ad 2. p. loquendo de individuatione accidentali, ac ſenſibili, concedo, ſubſtantiali, nego ant. & conſeq. quò ad quantitatem actualem. Per iſtam ſiquidem habetur unitas, & diſtinctio accidentalis, ut in Logica conſpeximus Syntag. 4. q 4. art. item 4. §.3. n.14. ad 3. Idcircò habetur per illam actu inhærentem ſola individuatio accidentalis.

Contra. Etiam ſubſtantialem ad individuationem requiritur quantitas ; ſed non ſufficit radicalis : ergo &c. Prob. min. ut nuper. Ad analogiam formalem non ſufficit diverſitas radicalis : ergo neque &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia quantitas concurrit ad individuationem ut quid duntaxat connotatum.

Inſt Reſtat rationem aſſignare, quare diverſitas importetur in recto, & non quantitas.

Reſp. aſſignari faciliter, quia nimirum non aliud extat, quod poſſit eſſe in recto ratio analogiæ, niſi diverſitas admixta convenientiæ. At invenio aliquid, quod præter quantitatem, eſt in recto principium individuationis, nimirum materiam primam ut connotantem quantitatem.

Dices. In ſententia probabili apud Thomiſtas ſubſtantia pro priori ad actualem quantitatem non obtinet diſtinctionem, nec etiam ſubſtantialem, ut in Logica Syntag 4. q.4. art.4. conſpeximus : ergo pro priori ad illam nequit ſortiri individuationem nec etiam ſubſtantialem.

Reſp. primitèr, quòd non tenemur eas conciliare, eò quod neutra communis eſt. Præterea cum Salm. p.p.diſp.1. dub.3. dici poſſet, quòd ſingularia ſunt partes potiùs ſubjectivæ, quàm integrales relatè ad ſpeciem.

6. Arg.2. ad idem. Individuum habet, non ſolùm eſſe indiviſum in ſe, verùm etiam diviſum à quolibet alio ; ſed licèt ad primum non requiratur quantitas actualis, benè tamen ad ſecundum : ergo &c. Prob. min. Eſſe diviſum ab alio eſt effectus formalis quantitatis ; ſed hic provenire nequit, niſi à quantitate formali, cùm quicunque effectus formalis formæ ſit ipſa forma communicata : ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. per dicta in Logica Syntag.4. q 4. art.4. diſt. maj. eſſe diviſum accidentaliter, nempe quantitativè, concedo, ſubſtantialiter, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq Vid. ibi.

Nec mirum videatur, has duas extare numericas diſtinctiones. Non, inquam, cùm etiam in linea accidentali duæ queant extare, quarum una ſit quantitativa, & altera non, puta qualitativa. Ponamus namque, quòd duas Deus ſeparet albedines duobus à ſubjectis non ſeparatis à ſubjecto quantitatibus, adhuc illæ albedines eſſent duæ dualitate ſpeciali qualitatis, & non ſolùm dualitate entis, nimirum duæ numero qualitates, & non tantùm duo entia ; & tamen cùm non haberent actualia ſubjecta, à quibus quantificarentur, & à quibus individuarentur duæ dualitate illa, quæ eſt effectus formalis quantitatis, ſed duntaxat dualitate qualitatis per exigentiam, & connotationem quantitatis exigitæ.

Contra 1. Individuum eſt diviſum ab alio diviſione, non ſolùm quantitativa, verùm etiam ſubſtantiali ; ſed hanc non habet à quantitate radicali : ergo à formali. Prob. min. Individuum eſt diviſum formaliter ab alio diviſione ſubſtantiali : ergo &c. Prob. conſeq. Quod eſt radicaliter tantùm, & virtualiter tale nequit tribuere eſſe formaliter tale, ſtando ſaltem in genere cauſæ formalis, in quo quantitas habet determinare materiam ad individuationem.

Secundò. Individuum eſt actu diviſum ab alio : ergo petit principium in actu ſuipſius, adeoque quantitas in actu eſt individuationis principium.

Reſp. ad 1. nego min. Ad prob. diſt. ant. ſtando in eodem genere effectus, & formæ, concedo, ſecus, nego ant. Quantitas namque virtualis licèt nequeat tribuere effectum formalem ſtantem in genere quantitatis, nimium diviſionem accidentalem quantitativam, ſed ad iſtam requiratur quantitas formalis ; Tamen poteſt quantitas virtualis, quæ non diſtinguitur ab ipſa, in qua virtualiter præcontinetur materia, tribuere effectum formalem diviſionis ſubſtantialis, quæ ſola eſt de ratione individui ſecundùm ſe inſpecti ; licèt etiam prima requiratur ad rationem individui ſenſibiliter à nobis cognoſcibilis ut ab alio diverſi.

Nec individuatio ſubſtantialis ullam habet cauſam formalem, ſed cùm ſit unitas purè numerica adeoque materialis, habetur à materia in recto ut connotante quantitatem. Ea autem connotatio eſt formalis, & in actu. Hinc

Ad 2. Reſp. Principium in actu eſſe materiam præfata cum actuali connotatione. Eò vel maximè quòd virtuale poteſt formali actuali æquivalere.

7. Arg.3. ad idem. Quantitas ex ſe eſt primò individua, ſaltem in linea diviſionis : ergo materia nequit eſſe individuationis principium, niſi ut actu affecta quantitate. Conſeq. prob. Quod eſt primum in aliqua linea petit, quòd nonniſi id, quod illud formaliter participat ſit formaliter tale : ergo ſi &c. Ant. præníter in linea calidi, in qua quia ignis eſt primus, nihil eſt formaliter calidum, niſi quod de igne in recto participat.

Reſp. ut ſupra diſt. ant. eſt primò individua, &c. individuatione ſui generis, ideſt accidentalis, concedo, cujuſcunque generis, nego ant. & conſeq. Præterea tranſmiſſo ant. nego conſeq. Ad prob. nego aſſumptum. Vivens namque eſt formaliter calidum, & tamen ſolummodo virtualiter de igne participat, ſicut & quodlibet aliud mixtum participat elementa, ut ſcripſimus in lib. de Gener. & Corrupt.

8. Arg. 4. argumento ſoluto prægreſſo art. num.29. ad 5. arg. de quantitate interminata. Illò adeas.

9. Arg. 5. ad idem ex D. Th. qui opuſc citato 70. q.4. art.2. ad 2. ſcribit, nomine materiæ ſignatæ quantitate prout ponitur individuationis principium intelligi materiam ſub certis dimenſionibus, ſeu materiam ſub quantitate ; ſed ſubjectum ſtare ſub forma, in ſermonis proprietate, eſt actu habere illam, V. G. Corpus ſtare ſub albedine eſt actu albedine affici ; ergo &c.

Conſ. 1. Idem S. D. opuſ. de princ. individ. & opuſc. 32. cap.3. inquit, quòd in quo ſolvatur ratio primi, ſeu individui materialis in genere ſubſtantiæ, nequit reperiri ſine quantitate ; ſed niſi quantitas tribueret eſſe individuale ut forma inhærens, non eſſet, cur ſubſtantia individua non poſſet ab illa ſeparari : ergo &c. Accedit, quod idem S. D. quodl.7. art.10 de albedine, aliiſque qualitatibus loquens, ait, eas eſſe inſeparabiles à quantitate, prout ſunt qualitates individuæ.

Secundò. Idem Angelicus 3. p. q.78. art.2. & in 4. ſent. diſt. 12. q.1. ſcribit, individuum duo habere, nimirum incommunicabilitatem, & diſtinctionem ab aliis, & quidem rationem primi provenire à materia tanquam à ſuo principio, rationem verò ſecundi à quantitate : ergo quemadmodum materia non eſt principium incommunicabilitatis, niſi ut actu in individuo inventa, ita &c.

Tertio ex Stagyrita, qui 10. Meth. text 4. conſtituit duplex genus diſtinctionis, unum nempe ſecundùm formam, per quam aliqua diſtinguuntur eſſentialiter ; aliud ſecundùm quantitatem, per quam aliqua diſtinguuntur numericè : ergo quemadmodum eſſentialis diſtinctio habetur à forma informante, ita &c.

Reſp. ad arg. diſt. min. ſi ſtet actu ſub forma, concedo, ſi ſtet tantummodo habitudinaliter ſub forma, nego min. & ſic intendit S. Th.

Videretur, vim fieri textui, ni aliunde palam haberetur, talem eſſe S. Præceptoris mentem, ut re vera habetur ex opuſc. 32. cap.3. ſub finem, ubi docet, materiam affectam formaliter dimenſionibus conſideratis ſecundùm id, quod eſt formale in eis, eſſe principium individuationis ſolum in eſſe cognoſcibili, & quò ad nos ; quia per dimenſiones formales venimus in cognitionem individui ; non tamen eſſe principium individuationis vel ſecundùm ſe ſumptæ. Ad hoc enim ait opuſc. 70. q.4. art.2. ad 3. quòd ſufficit, dictas dimenſiones eſſe præintellectas, ſeu præcontentas in materia.

Ubi animadverte, quòd non dico, ſubeſſe radicali quantitati (ab iſta enim non diſtinguitur realiter) ſed ſubeſſe actuali quantati aptitudinaliter. Dicere ni volueris, quòd ſubeſt virtualiter eo modo diſtinguitur.

Ad 1. Conſ. dico, S. Th. loqui, non de quantitate actu habita, ſed præhabita ut in radice, vel extrinſecè connotata. Et intendit, quòd nequeat ſalvari ſubſtantia individua ſine eo, quòd radicet, aut connotet hanc numero quantitatem.

Ad id, quod additur ibi, dico cum Salm. p.p. diſp.1. dub. 3. n.87. ex Capr. in 2. ſent. diſt.3. q. 1. art.3. quòd S. Th. ibi vult, albedinem ut hanc ſenſibiliter, & quò ad nos require extare ſine quantitate actuali. Non autem velle, quòd albedo ſecundùm ſui individuationem intrinſecam in ſe ſpectatam nequeat ſeparari à quantitate actualiter

Digitized by Google

liter intrinſecè in recto importata, quicquid ſit extrinſecè, ac in obliquo.

Et hanc eſſe S. Doctoris mentem evincunt Salm. loco nuperrimè appellato legendi.

Ad 2. Conſ. dico cum Blaſ. à concept. & Salm. ubi nuper, S. Th. etiam diviſionem ſubſtantialem ab alio tribuere quantitati, at eo loci loqui de quantitate radicali. Videantur Salm. ibi nonnullas hanc contra interpretationem ſolvunt objectiones. Gloſemma aliud apud Zuchi.

Ad ult. Conſ. conceſſo ant. quò ad p.p. diſt. illud quò ad 2. aliud ſecundùm quantitatem radicalem, concedo, formalem, nego ant. & conſeq.

Nec eadem eſt ratio, ac de forma. Nun, inquam, quia non ab alio, quam à forma eſſentialis haberi diſtinctio poteſt, quòd ſit aſſignabile. At numerica diſtinctio habetur etiam à materia.

10. Arg. 6. contra 2. p. concl. Materia prima in ratione primi principii, & cauſæ individuationis non eſt purus actus: ergo ut re ipſa, & in exercitio ſit hujuſmodi, ſuperaddi ei aliquem ſaltem modum eſt opus. Prob. conſeq. Ideo in ſententia probabili apud non paucos ex Thomiſtis materia indiget modo ſuperaddito unionis ut uniatur formæ, & è converſo; Item agens creatum indiget actione, quæ ſit ſaltem modus ad producendum effectum, quia nihil horum eſt actus purus: ergo ſi &c.

Conſ. Nomine materiæ ſignatæ quantitate intelligitur materia, non ut intrinſecè conſtituta per quantitatem, benè verò ut hanc potiùs, quàm aliam petens quantitatem: ergo cùm de ſe non magis hanc, petat, quàm aliam quantitatem, oportet, ut determinetur per modum aliquem ſubſtantialem, per quem eam petat.

Reſp. ad arg. nego conſeq. Ad prob. nego conſeq. Diſparitas in eo ſita eſt, quòd illa in ſententia (quam aliàs 1. Phyſ. refutavimus) cauſatio materiæ reſpectu formæ, & è contra, ſe habent in genere ſuo ut actus ſecundus: Idcircò nec materia, nec forma poteſt actu cauſare ſine aliquo ipſis ſuperaddito modo, ſecùs quantùm eſt ex hoc capite foret actus purus. Cæterùm eſſe reipſa in exercitio primam radicem individuationis ſubſtantiæ materialis non eſt ex genere ſuo, & in recto actus ſecundus, niſi ad ſummum grammaticaliter. Ratio eſt, quia materia eſt principium individuationis, per hoc, quod dicit rationem potentiæ omnino irreceptibilis in alio, ut conſpeximus anteacto art. §. 9. ad 4. arg. num. 28. ſub finem. Et propterea ex hoc, quod ſine modo aliquo ſuperaddito ſit re ipſa in actu exercito prima individuationis radix, non ſequitur, eam eſſe actum purum, ſed potiùs habere rationem puræ potentiæ.

Qua ex re habes ad id, quod de actione abjicitur. Nemini ſiquidem dubium eſſe poteſt, cauſam efficientem eſſe propriè cauſam, ejuſque exercitium eſſe veram cauſalitatem, verumque actum ſecundum.

Ad Conſ. nego conſeq. Sicut namque ut materia reipſa in actu exercito habet appetitum deſiderii, quem poteſt naturaliter habere, non eſt neceſſe, quòd determinetur medio aliquo modo ſupperaddito: Ita ad hoc, ut in exercitio hanc præ alia petat quantitatem, non eſt neceſſe, ut medio aliquo modo ſuperaddito determinetur. Et ratio eſt, quia determinatur à prævìis diſpoſitionibus, uti ſcripſimus art. prægreſſu §. 9. ad 3. arg. ſub n. 37.

ARTICULUS TERTIUS.

Quodnam ſit radicale principium individuationis ſubſtantiæ ſpiritualis incompletæ, nimirum Animæ rationalis.

§. I.

1. QUoniam rationalis Anima eſtò ſit materialis eminenter formaliter & corporea, ceu corporis forma, ad differentiam Angelorum, ut ſcripſimus in lib. de Anima; non tamen eſt tantùm formaliter talis, cùm ſit ſpiritualis, & per ſe exiſtens, ac à materia ſejuncta conſiſtens, ad differentiam aliarum animarum, ac formarum materialium, quæ præciſè formaliter ſunt materiales; Idcircò ſpeciale de ea dubium emergit.

Circa quod eædem extant opiniones, ac art. 2. de aliis formis materialibus. Unde ſit

§. II.

CONCLUSIO.

Animæ rationalis individuatio deſumitur per ordinem ad materiam quantitate obſignatam.

2. DE D. Thomæ ſenſu dubitare minimè licet, cùm adeo palam ſit, ut idcirco univerſos inter Thomiſtas concluſio iſta communiſſima extet. Præcipuè autem eam tradit Tum quæſt. 3. de pot. art. 10. ad 16. Tum p. p. q. 3. art. 2. ubi *formæ*, inquit, *receptibiles in materia individuantur à materia*. Tum in 1. ſent. diſt. 8 quæſt. 5. art. 2. ad 6. cujus verba legi poſſunt apud Cav. in lib. de ortu, & interitu diſp. 2. q. 4. §. 9. Tum q. de ſpir. cre. art. 9. ad 4. ubi de Anima loquens rationali *de ratione*, inquit, *hujus animæ inquantum eſt hæc anima, eſt, quod habeat habitudinem ad corpus*. Tum ubicunque ſcribit, non poſſe eandem intra ſpeciem extare multiplicationem purè numericam in Angelis, quia in eis non extat materia. Quandoquidem dubium nemini dixeris, cunctas rationales Animas ejuſdem eſſe ſpeciei, ſoloque numero multiplicari.

3. Prob. 1. à ſufficienti diviſione ut art. 1. §. 8. Principium individuationis in Anima rationali cùm nequeat eſſe ſua entitas, ſive eſſentia, nec negatio, nec exiſtentia, aut ſubſiſtentia, nec accidentium phalanx, nec Scotica hæcceitas, reliquum eſt, quòd ſit materia; non ſecundùm ſe, ut ibidem conſpeximus: ergo materia ut quantitate obſignata.

4. Prob. 2. iiſdem ratiocinationibus, quibus ſupra art. 1. eodem §. 8. Unitas numerica eſt omnium infima: ergo haberi ab aliquo debet inter omnia infimo, quale eſt materia prima. Item unitas, & diſtinctio purè numerica in Animabus rationalibus eſt purè materialis, quoniam plures Animæ rationales non differunt formaliter in invicem, ſecùs ſpecificè differrent. Denique unitas, & diſtinctio numerica etiam in Animalibus rationalibus debet eſſe ab aliquo, quod ſit ejuſdem rationis in omnibus etiam ſuam extra ſpeciem; quia quantùm ad differre numericè una Anima rationalis non plùs differt ab Anima equi, quàm ab alia Anima rationali, cùm non plùs differat, quàm numericè, licèt plùs differat, quantum ad differre ſpecificè. Hoc autem, quod ſit ita ejuſdem rationis in omnibus non eſt, niſi materia. Vide art. 1 §. 8. & locis ibi appellatis.

Huc facit Concilium Viennenſe ſub Clem. V. & Lateranenſe ſub Leone X. ubi definitum fuit, quòd Anima rationalis eſt vera corporis forma. Cùm ergo ut in ſuperioribus conſpeximus, forma individuetur radicaliter à materia, quæ hoc ipſo, quod eſt principium individuationis compoſiti, eſt quoque principium individuationis formæ, jam &c.

§. III.

Adverſantium argumenta diſſolvuntur.

5. ARg. 1. Individuatio, quæ ſpiritualis, & non materialis eſt, non eſt à materia deſumenda nec etiam radicaliter; ſed talis eſt Animæ rationalis individuatio: ergo &c. Maj. non ſolùm ex dictis num. 5. verùm etiam de ſe conſpicua eſt, cùm nequeat ſpirituale à materia originem trahere. Eò vel maximè quòd ideo materia aſſeveratur radicale individuationis principium in ſubſtantiis materialibus, quia iſtarum individuatio materialis eſt. Min. prob. Entitas Animæ rationalis ſaltem *ut quod*, & formaliter eſt ſpiritualis: ergo & ejus individuatio. Prob. conſeq. Quod identificatur realiter cum ſpirituale eſt ſpirituale; ſed individuatio Animæ rationalis identificatur realiter eadem cum anima rationali: ergo ſi &c. Maj. non eſt dubitationi obnoxia, cùm exploratum ſit, non poſſe ſpirituale, & materiale identificari. Min. prob. Individuatio, ideſt individualis differentia eſt gradus metaphyſicus, vel ultima graduum metaphyſicorum clauſula, ſolam virtualem à ſpecifico gradu diſtinctionem patiens, ut reliquis in rebus palam eſt: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eo modo, quo ſpiritualis eſt, concedo, ſecùs, nego maj. & diſt. min. eſt ſpiritualis entitativè, concedo, terminativè, & ordinativè nego min. & conſeq.

Contra. Entitativè eſt ſpiritualis: ergo nequit entitativè à materia deſumi, adeoque ſumenda aliunde venit.

Reſp.

Reſp. Nego ſuppoſitum, quod & ad arg. negari poterat. ſupponit namque, in ea extare unitatem numericam, ſive individualem entitativè, cùm tamen extet duntaxat ordinativè, & reſpectivè, & nihil aliud ſit, quàm reſpectus, quem forma ſuo cum ſpecifico gradu dicit ad materiam. Ut enim conſpeximus 1. Phyſ. q. 1. art. 2. & magis in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 4. & 5. gradus metaphyſici, eorumque ultima clauſula debent virtualiter excluſivè diſtingui. Non ſic verò dantur in ſubſtantia incompleta, qualis eſt Anima rationalis, ut oſtendimus eodem 1. Phyſ. quæſt. 2. art. 2. num. 8. ad 3. arg.

Et licèt probabilis extet ſententia, quòd & in ea ſpecificus ſic diſtinguatur à generico; non tamen quòd ſic individualis à ſpecifico diſtinguatur, cùm illa ſententia velit, differentiam individualem haberi per ordinem ſolummodo ad materiam. Quomodo autem id ſalvetur, cogitent illius ſententiæ Patroni. Quod dicendum idem venit de reliquis formis, & etiam de materia, ut nitet ex dictis loco appellato ex 1. Phyſ. cùm omnes, & ſingulæ ſint ſubſtantia incompleta. Inde eſt, quòd ſolo toto in compoſito individualis extat differentia virtualiter excluſivè à ſpecifica diſtincta: Reſultant enim in compoſito ex unione formæ cum materia.

Contra 5. Hoc, Thomiſticis hærendo principiis, eſt proprium Angelorum, quod unitas individualis ſit idem entitativè ac ſpecifica: ergo &c.

Secundò. Una ex Animabus rationalibus diſtinguitur numericè entitativè ab alia: ergo extare in ea debet entitativè numerica differentia.

Reſp. ad 5. diſt. ant. eſt proprium Angelorum, quòd nec ordinativè ſit diverſa, concedo (cùm Angelus, ceu ſubſtantia penitùs completa nullatenus ordinetur ad materiam informandam) ſecùs, nego. Imò poteſt dici, quòd in Anima terminativè, nimirum ex parte termini, nempe ex parte materiæ, ad quam ordinatur, realiter diſtinguitur à ſpecifica differentia.

Dices. Ordo iſte ad materiam vel eſt aliquid, vel nihil. Hoc ſecundum propugnari minimè poteſt, ſecùs per nihil conſtitueretur Anima individua. Debet igitur eſſe aliquid, & quidem intrinſecum, eò quòd Ordo ad materiam eſt Animæ intrinſecus, eſtò materia, ad quam eſt ordo, ſit extrinſeca Animæ, ſecùs Anima non foret intrinſecè individua. Tum verò ſic. Illud intrinſecum, per quod Anima conſtituitur intrinſecè hæc, ceu ſpirituale, non habetur à materia: ergo materia non eſt individuationis principium.

Reſp. quòd eſt aliquid quò ad explicitum duntaxat diſtinctum ab Anima, ejuſque ſpecifico gradu. Ad oppugnationem diſt. ant. non habetur à materia entitativè, concedo, terminativè, nego.

Ex hoc admonitus ſis, quòd ordo iſte individuat Animam inſpectus ſecundùm eſſe terminativè, at non ſecundùm eſſe entitativè; quia hoc modo, ut dixi, non eſt conceptus aliquis objectivus perfectè, & quò ad implicitum diſtinctus à gradus ſpecifico. Terminativè, inquam, non terminatione activa, ſeu veluti activa ſe tenente ex parte materiæ terminantis, quia hoc modo eſt quid extrinſecum Animæ, præcipuè ſeparatæ; ſed terminatione veluti paſſiva ſe tenente ex parte ipſius ordinis terminati. Et quia prout ſic ſpecificatur à materia terminante ut ſuo à termino, idcircò dicitur materialis terminativè.

Quòd ſi iterùm ſiſciteris, num iſtud terminativè ſit quid intrinſecum Animæ, nec ne. Reſp. ut ſupra, eſſe quid intrinſecum, non quidem entitativè, & quaſi ſubjectivè, ſed terminativè duntaxat, & ordinativè.

Ad 2. diſt. ant. diſtinguitur numericè entitativè ab alia, ad hunc ſenſum, quòd ejus entitas intrinſeca diſtinguatur numericè, concedo (& hoc modo dicimus, quòd talis entitas diſtinguitur ratione terminationis ſui ordinis, quem dicit ad hanc materiam, ad quam non dicit ordinem alia Anima) ad hunc ſenſum, quòd diſtinguatur entitas per aliquid ſibi conveniens entitativè, nego. Undè aliud eſt, quòd diſtinctio exerceatur in illo entitativo, aliud verò quod habeatur per aliquid entitativum, ſive entitativè contradiſtinctum ab entitativo. Similem doctrinam licèt non ſimili in materia ſcripſi in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 2. §. 4. n. 15. ad 5. arg. & iteratò § 6 num. 15.

Dices demum. Ex his omnibus ſequeretur, materiam ut quid duntaxat connotatum concurrere ad individuationem tanquam quid ab Anima inſpectum: quemadmodum quia materia fit hæc per hoc, quod talem, & non aliam inſpiciat quantitatem, quantitas, ſaltem formalis, dicitur ſe habere ut quid merè connotatum: ergo materia non erit propriè principium individuationis Animæ, ſicut nec quantitas, præſertim formalis, poteſt dici principium individuationis materiæ.

Reſp. nego ſequelam. Ad annexam prob. aſſignatur diſcrimen ſiſtens in hoc, quod quantitas formalis non ſolùm ſe habet ut quid inſpectum à materia, ſed inſuper, ceu accidens quoddam, nonniſi de ſecundariò importatur in individuo, & ſolummodo de ſecundariò inſpicitur à materia juxta dicta art. 1. § 9 ſub num. 38. Et licèt neque materia habeat in ſe eſſe individuale virtualiter excluſivè diſtinctum à gradu ſpecifico; attamen hoc obeſt pro individuatione formali, quæ ſita eſt in ipſa differentia individuali formali; non verò de individuatione radicali, quæ ſita eſt quò ad rectum in ipſa materiæ incommunicabilitate per modum actus juxta ſcripta art. 1. ſub num 38.

Cæterùm materia eſt quid, non quomodocunque, ſed per ſe primò ab Anima inſpectum, eò quòd Anima eſt eſſentialiter actus materiæ, & pars totius compoſiti. Item materia per ſe primariò importatur in individuo: definitur enim quòd ſit *primum ſubjectum, ex quo aliquid fit, cùm inſit per ſe, & non ſecundùm accidens*. Ob idque cùm aliàs Anima rationalis nequeat in recto individuari à ſeipſa, cùm hanc non obtineat incommunicabilitatem per modum actus, ſed potiùs ſit ſuapte natura ſic communicabilis. Idcircò debet in recto individuari per ordinem ad materiam modo nuper diſplicato.

Et licèt neque Anima rationalis ſit prædicabilis per modum ſpeciei de individuis, ſicut nec ulla forma incompleta ut ſic, ut 1. Phyſ. q. 2. art 2. n 8. ad 3. arg. Tamen hoc provenit, non ea ejus phyſica incommunicabilitate per modum ſpeciei, ſed præcisè ex metaphyſica tranſcendentia. At quòd materia non ſit communicabilis pluribus tanquam ſpecies individuis, oritur, non tantùm ex metaphyſica tranſcendentia ſubſtantiæ incompletæ etiam in ultima differentia modo ibi diſplicato, verùm etiam ab ejus phyſica incommunicabilitate per modum actus; quæ incommunicabilitas per modum actus, tametſi non haberetur tranſcendentia, impediret prædicabilitatem per modum ſpeciei, quæ ſpecies ceu eſſentialis perfectio in actu conſiſtens (cùm ſolus ſit de linea perfectionis) dicit communicabilitatem per modum actus metaphyſici, qui in phyſico fundatur. Siquidem prædicari ſequitur ad eſſe; idcircò ſi præpeditur eſſe in alio ut actus in ſubjecto actuationis, præpeditur quoque prædicari, ſeu eſſe in alio ut in ſubjecto prædicationis per modum actus.

Nos autem impræſentiarum cùm loquamur de principio radicali, loquimur de principio phyſico de linea phyſica, in qua fundatur metaphyſica linea.

6. Arg. 2. ex Scoto. Anima rationalis antequam ordinem dicat ad materiam eſt hæc, & individua: ergo individuatur per hæcceitatem. Prob. ant. Antequam dicat ordinem ad materiam terminat creationem; ſed prout terminat creationem eſt hæc, & individua, cùm productio terminet ad rem ſingularem: ergo &c. Prob. maj. Priùs eſt id, quod competit rei in ordine ad ſe, quàm quod ei convenit relatè ad aliud; ſed terminare creationem convenit Animæ relatè ad ſe, ordo verò ad materiam eſt ad aliud extra ſe: ergo &c.

Conf. Subſtantialis individuatio rei eſt ad ſe, ordo verò ad materiam eſt ad aliud: ergo talis individuatio non habetur à materia.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. nego maj. Ad prob. dico maj. eſſe veram in rebus omnino completis nec completivis & undequaque, eò quòd in iſtis talis ordo eſt prædicamentalis relatio, quoniam quicquid competit relatè ad aliud non ſpectat ad ejus naturæ complementum nec ut complebilis, nec ut completivi. Anima autem rationalis ſuapte natura eſtò ſit completa, & non complebilis, eſt tamen totius completiva in materia. Ob idque ſimul, & ſemel, ac creationem terminat, dicit ordinem ad materiam. Eo vel maximè quòd per nos nonniſi in ordine ad hanc numero materiam creatur, adeout nec per abſolutam Dei potentiam poſſit in ordine ad aliam creari.

Accedit, quòd ordo iſte non eſt relatio aliqua prædicamentalis, quæ petat præſupponere aliquo in priori fundamentum (ut quondam contra me arguendo rebatur ex reformatis Minorita quidam) ſed duntaxat tranſcendentalis; non aliter, ac relatio; quam materia dicit ad formam; quam

relationem conſpeximus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 1. n. 10 ad 6 arg. eſſe tranſcendentalem, ſecùs aliquod accidens ſubjectaretur immediatè in materia prima. Lege ibi.

Et licèt in ſententia probabili Flandriæ ſit etiam prædicamentalis; attamen non inficiatur Flandria, extare etiam tranſcendentalem, ſuper quam prædicamentalis fundetur. Et ſic tunc dicendum erit, individuationem haberi per illam relationem tranſcendentalem, quæ nil aliud eſt, quàm entitas ipſa ut connexa cum alio extrinſeco.

Ad Conſ. Reſp. quòd licèt individuatio rei nec complebilis, nec completivæ ſit ad ſe, ſecùs tamen individuatio rei vel complebilis, vel completivæ.

Reſp. prætetea cum aliis ad arg. diſt. aliter maj. illam ſic anteriorıtare cauſæ formalis, & effectivæ, concedo, materialis, nego maj. de hac ſolutione lege Cav. ubi ſupra in lib. de Ortu, & Interitu.

7. Arg. 3. Forma habens eſſe Independens à materia, habet etiam individuationem independenter ab illa; ſed Anima rationalis eſt hujuſmodi: ergo &c. Prob. maj. Tum quia S. Th. q. de Spir. cr. art. 1. ad 2. docet, quòd unumquodque ſecundùm quòd habet eſſe, habet individuationem & 2. contra Gentes cap. 75 ſpecialiter de Anima ſcribit, quòd Animæ intellectivæ ſicut eſſe non cauſatur per ſe à materia, ita nec ejus unitas, aut individuatio. Tum quia forma habens eſſe independens à materia, habet independens ab illa fieri: ergo & individuari. Conſeq. eſt exacta, quia fieri eſt proprium rei ſingularis, & individuæ.

Reſp. communiter, quòd licèt ſit independens ut à ſubjecto *ex quo*, & eductionis, eſt tamen dependens ut à ſubjecto *in quo*, & informationis. Quod reſponſum equidem foret pro hujuſce arg. ſolutione ſufficiens. At quia conſpeximus 1. Phyſ. q. 3. art. 1. num. 12. ad 5. arg. hoc plùs debere concedi Animæ rationali ſupra formas corporum cœleſtium, quòd nec à ſubjecto *in quo* ſit à materia dependens, niſi ad ſummum ex ſuppoſitione, nimirum ex ſuppoſitione, quòd debeat dare eſſe. Idcircò aliter

Reſp. diſt. maj. ſi habeat eſſe independens cum ab exercitio, ideſt actuali communicatione materiæ, tum à poſſibilitate materiæ, ideſt à communicabilitate materiæ, concedo, ſi ſolummodo ab actuali exercitio materiæ ſit independens, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq.

Contra. Eſſe, quod habetur à materia educitur de potentia materiæ, ut inductivè palam eſt; ſed Anima rationalis nec ſecundùm eſſe individuale poteſt educi de potentia materiæ: ergo ab ea individuari.

Conſ. 1. Anima rationalis eſt per ſe ſubſiſtens: ergo per ſe, & non per ordinem ad materiam eſt individua. Prob. conſeq. Quod eſt per ſe ſubſiſtens eſt ultimò incommunicabile; ſed quod eſt ultimò incommunicabile eſt individuum: ergo ſi &c.

Secundò. Quemadmodum Anima rationalis recipitur in materia, ita forma Angelica recipitur in ſuppoſito; ſed hoc non obſtante forma Angelica non individuatur per ordinem ad ſuppoſitum; ergo neque &c. Prob. min. Variato ſuppoſito adhuc non variatur individuatio formæ Angelicæ, ut in caſu, quo natura aliqua Angelica aſſumeretur à divino ſuppoſito.

Reſp. ad inſt. maj. eſſe, quod habetur à materia, ideſt ab actuali exercitio materiæ, concedo, præcisè à communicabilitate, & poſſibilitate materiæ, nego maj. & conceſſa min. nego conſeq. Propterea tametſi nulla extaret materia, perdurare adhuc poſſet Anima rationalis. Si autem ejus impoſſibilis foret materia, non poſſet perſiſtere Anima rationalis, quæ eſſentialiter ut ſui compartem materiam reſpicit.

Si dicas, quod etiam accidens pendet à communicabilitate, & poſſibilitate ſubjecti, & non ab actuali exercitio, cùm poſſit ſejunctum exiſtere.

Reſp. nego ant. Ad annexam prob. diſt. ſupernaturaliter, & miraculosè, concedo, naturaliter, aut præternaturaliter, ut Anima exiſtit à materia ſejugata, nego ant. & conſeq. Quamobrem accidens ſuapte natura pendet etiam ab actuali exercitio ſubjecti.

Alii præfatam ad inſt. reſpondent, maj. eſſe veram de eſſe, quod habetur à materia ut à ſubjecto *ex quo*.

Oppugnabis. Anima etiam rationalis habet eſſe individuale per hoc, quod huic materiæ per modum formæ unitur; ſed Anima unitur huic materiæ, non per creationem, benè verò per generationem: ergo ſi ex hoc, quòd Anima recipitur in hac materia habet eſſe individua, cùm id fiat per generationem, jam verè Animæ rationalis individuatio fieret per generationem, ſicque educeretur ex materia. Dilucidatur min. Deus creat Animam in ſe, & Homo unit eam materiæ per actionem generativam, per quam eſtò non attingat Animam in ſe quòad ſui entitatem; tamen attingit Animam ut in corpore, nimirum unit corpori, ſecùs non generaret Hominem.

Reſp. nego maj. Anima ſiquidem rationalis dum generativam per actionem unitur materiæ jam præſupponitur hæc, & individua, cùm creatio nequeat ad ſolam ſpecificam terminari Animæ rationem, quæ incapax eſt terminare factivam actionem. Ut igitur eſt terminus creationis fit individua per hoc, quod fit ut determinatè unibilis huic materiæ & ipſam jam individuam Homo generans unit materiæ per generationem. Undè ſumit individuationem ex unibilitate, & ordine ad materiam, at non ex actuali unione. Sicque ejus eſſe individuale non educitur de potentia materiæ.

Ad 1. Conſ. primitùs, nego maj. Quandoquidem ſeparata eſt quidem per ſe exiſtens, at non per ſe ſubſiſtens, cùm prout ſic non retineat ſubſiſtentiam ut ſcripſi 1. Phyſ. q. 6. art. 3 § 2. tutando, quòd ſubſiſtentia diſtinguatur realiter ab exiſtentia; ſecùs ſeparata foret ſuppoſitum incommunicabile.

Præterea etiam hoc hypotheticè conceſſo, nego conſeq. Ad prob. diſt. maj. eſt ultimò incommunicabile alteri per modum termini, concedo, per modum ſubjecti, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Subſiſtentia namque conſtituit ſolùm incommunicabile alteri ut termino, ſeu, quod idem eſt, ut ſuppoſitum.

Ad 2. diſcrimen eſt, quia ſubſiſtentia conſtitutiva ſuppoſiti conſequitur ad naturam jam ſingularem, propterea natura humana fuit à Verbo ut ſingularis, & individua terminata, & idem eveniret de Angelica, ſi aſſumeretur natura. At una rationalis Anima non eſt alteri unibilis materiæ.

8. Arg. 4. Ordo Animæ ad hanc materiam ſupponit in aliquo priori Animam ſingularem; ergo &c. Prob. ant. Ordo Animæ ad hanc materiam eſt proprietas hujus Animæ ut ab omni alia diſtinctæ, adeoque ut proprietas ſequitur ad hanc, ut hanc ab omni alia diſtinctam; ergo &c. Prob. ant. Ordo Animæ ad hanc materiam non eſt proprietas communis animarum: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. primitùs dico, militare quoque de hæcceitate, quæ ita eſt propria unius, quòd non alterius. Præterea, nego ant. Talis namque Ordo non eſt proprietas ſingularitatis, ſed eſt conſtitutivum ſingularitatis ſive rei ſingularis, eſtque ipſamet Animæ ſingularitas. Non enim ſola proprietas, verùm etiam, imò & multò magis, ipſum conſtitutivum ita convenit uni, quòd non alteri. Ad prob. dato ant. quòad p. p. nego illud quò ad 2. & nego conſeq. Nullius namque eſt proprietas, ſed eſt conſtitutivum hujus in ratione ſingularis, quòd non alterius in ratione ſingularis, licèt non in ratione ſpeciei.

Dices. Quod convenit uni, & repugnat alteri ejuſdem ſpeciei neceſſariò præexigit, non verò cauſat diſtinctionem ab illo; ſed Ordo ad talem materiam convenit, convenit huic Animæ, & repugnat alteri; ergo &c.

Reſp. primitùs, quòd etiam hæcceitas Animæ V. G. Titii repugnat Animæ Sempronii, &c. Præterea per jam dicta diſt. maj. ſi conveniat conſecutivè, concedo, ſi conveniat conſtitutivè, nego. Sanè etiam rationale ita convenit Homini, quòd non Leoni; & tamen non ſequitur quòd præexigat Hominem, & non conſtituat.

ARTICULUS QUARTUS.

Quodnam ſit radicale individuationis principium in ſubſtantiis creatis immaterialibus completis, nimirum in Angelis.

§. I.

1. CUm exploratum extet, hoc principium in Angelis non poſſe eſſe materiam primam, cujus expertes penitùs extant, dubium eſt prout in titulo. Imo major hic lis videtur inter Noſtrates. Quandoquidem cùm exploratum habeatur, Angeli individuationem eſſe ab ejus forma, quæ aliàs eſt completa, idcircò controverſia emergit, num

Angeli

Angeli ita à ſeipſis individuentur, quòd non ſolùm eadem ab Angelica forma completè immateriali oriatur differentia eorum ſpecifica, & individualis; ſed præterea etiam quòd individualis, & ſpecifica ratio non diſtinguantur in Angelis virtualiter, & ratione ratiocinata adæquatè, ſed duntaxat inadæquatè penes munerum diverſitatem, & ſecundùm rationem ratiocinantem.

Iſta cum controverſia connexionem ſortitur alia, nimirum num eandem intra ſpeciem queant ſolo numero Angeli multiplicari. In qua eſtò quantùm ad factum omnes conſentiant & exteri, non extare, ſi Albertinum demas, & D. Bonav. ſicut & Gregorium de Valentia, qui ſaltem loquendo de Angelis ejuſdem Hierarchiæ aſſeverat ejuſdem eſſe ſpeciei: tamen ſaltem ſupernaturaliter tenent, id eſſe poſſibile. Thomiſtæ autem univerſi, uno dempto Ferrarienſi, abnuunt etiam de abſoluta Dei potentia.

Hanc ſecundam dirimere controverſiam ad Theologos attinet. Nihilominùs quantùm pro expoſitæ controverſiæ reſolutione opus fuerit, reſolvemus, licèt non ex profeſſo.

§. II.

CONCLUSIO.

Radicale individuationis principium in Angelis eſt ipſa forma Angelica completè immaterialis, ut irreceptibilis in materia, irreceptibilitate fundante gradum, non præcisè ſpecificum, verùm etiam individualem.

2. QUòad 1. p. eſtò ſit contra pleroſque Noſtrates, tamen defenſatur à M. Ferre in tract. de Angelis.

3. Quòad 2. p. eluceſcit ex dictis art. 1. Quandoquidem cùm eſſe nequeat agens extrinſecum, nec negatio, nec accidentium agmen, neque exiſtentia, neque ſubſiſtentia; nec materia prima, quæ ab Angelis exul extat; nec hæcceitas, quia iſta eſt principium tantùm proximum; reliquum eſt à ſufficienti diviſione, quòd hoc principium ſit ejus forma.

Quòd verò ſit ejus forma reduplicativè ut irreceptibilis, Prob. Tum quia cùm, ut infra num. 4. dicetur, extat in Angelo unitas individualis virtualiter excluſivè diſtincta à ſpecifica, debet à forma diverſam per rationem præſtari, ac unitas ſpecifica; ſed iſta diverſa ratio non eſt excogitabilis niſi ratio irreceptibilitatis, à qua habetur individuatio, & ratio aliqua ſpecifica intellectio: ergo unitas individualis præſtatur à forma Angelica ut irreceptibili. Tum ab oppoſito. Siquidem, ut in ſuperioribus conſpeximus, formæ receptibiles individuantur per hoc, quod natæ ſunt tali in ſubjecto recipi: ergo formæ irreceptibiles, quales ſunt Angeli, individuantur quatenus non ſunt natæ recipi. Quamobrem S. Th. q. de Spir. cr. art. 8. ad 4. *ſicut forma*, inquit, *quæ eſt in ſubjecto, vel materia, individuatur per hoc, quod eſt eſſe in hoc, ita forma individuatur per hoc, quod non eſt nata in aliquo* eſſe. Idipſum habet opuſc. de natura materiæ cap. 3. & p. p. q. 3. art. 2. ad 3.

Si dicas, quòd ſi ſemel alia eſt virtualiter excluſivè unitas ſpecifica per quam ſpecificè Angeli diſtinguuntur, & alia unitas numerica, per quam numero etiam diſtinguantur, ſupereſt nobis excogitandum, in quo iſta ſita ſit numerica diſtinctio. Dici ſiquidem nequit, quòd Gabriel diſtinguatur numero à Michaele V. G. per hoc, quod Michael non eſt natus recipi in hac materia, & Gabriel non eſt natus recipi in hac alia materia. Non, inquam, Tum quia opus foret, determinare, quænam iſta ſit materia. Tum quia Michael cùm in nulla natus ſit recipi materia, quoque natus eſt, non recipi in illa, in qua natus eſt non recipi Gabriel, & è converſo.

Reſpondeo, quòd illam per numericam unitatem non importatur diſtinctio numerica poſitiva inter Angelos, ſed datur duntaxat ad contrahendum gradum ſpecificum, & determinandum, ac ad tollendum ab eo univerſalitatem in eſſendo.

Undè dico, quòd Angeli diſtinguuntur numero, non poſitivè, ſed duntaxat negativè, quatenus non ſunt unum numero. Quare autem non diſtinguantur numero poſitivè. Hoc ideo eſt, quia cum omnes ſpecie differant, nec ſint poſſibiles Angeli, qui ſpecie invicem non differant: Idcirco nulla deſideratur in eis, imò nec poſſibilis eſt, numerica diſtinctio, eò quòd differentia ſpecifica cum impoſſibilitate convenientiæ ſpecificæ facit plùs, quàm quævis faceret numerica diſtinctio.

Si opponas, quòd idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum, adeoque ſi poſitivum extat conſtitutivum poſitivè unitatis numericæ, debet quoque ejus poſitivum dari diſtinctivum poſitivè, ac per conſequens etiam poſitiva diſtinctio etiam numerica ultra ſpecificam.

Reſp. 1. quòd conſtitutivum eſt quoque diſtinctivum, ubi primarius habetur finis diſtinctivi, qui finis hic non habetur; quia finis primarius diſtinctivi numericè eſt numero diſtinguere ea, quæ intra eandem ſpeciem continentur, ſeu, quod idem eſt, quæ ſunt unum ſpecie.

Reſp. 2. quòd conſtitutivum eſt quoque diſtinctivum ubi, aut quando non aliud adeſt, quod majori modo id præſtet. Iſto autem in caſu adeſt diſtinctivum ſpecificum, quod longè majus eſt.

Si dicas. Etiam Homo, & Leo diſtinguuntur ſpecie; & tamen diſtinguuntur poſitivè etiam numericè, ut vel nos ſcripſimus art. 5. §. 8. num. 34. ergo pariter Angeli tametſi ſpecie &c. adhuc &c.

Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt nuper aſſignatum, quia nimirum in Homine, & Leone habetur finis primarius, qui eſt diſtinguere numero omnes Homines inter ſe; adeoque extat diſtinctivum etiam quò ad finem ſecundarium, qui eſt diſtinguere numero etiam ab illis qui ſpecie ab eo diſtinguuntur. In caſu autem de Angelis non extat finis primarius, proindeque nec ſecundarius, cùm ſecundarius ad primarium ſequatur, eumque ſupponat.

Quomodo autem ſalvare nos valeamus id, quod in ſuperioribus ſcripſimus, nimirum diviſionem non eſſe ſitam in aliquo negativo in recto, ſi modò dicimus, Angelos diſtingui numero ſolummodo negativè. Reſp. quòd ibi ſermo erat de diviſione poſitivè. Undè & in cujuſdam arg. ſolutione dicebamus, quòd ſi per impoſſibile extaret aliquid ſola cum negatione identitatis cum alio ſine illo poſitivo, &c. foret diſtinctum tantummodo negativè.

Si demum dicas, quòd *Unum* definitur *indiviſum, in ſe, & diviſum à quolibet alio*, ſed Angelus per nos eſt unus numericè poſitivè: ergo & diſtinctus numericè poſitivè.

Reſp. diſt. maj. comparativè ad diverſa, concedo, comparativè ad idem nego maj. & data min. nego conſeq. Indiviſio in ſe reſpicit illud idem, quod conſtituit; diviſio verò ab alio reſpicit ea, à quibus diſtinguit. Et quia diſtinctio, ſeu diviſio, licèt quò ad rectum, quod habet in eo, quod diſtinguit, dicat quid poſitivum; tamen quò ad ea, à quibus diſtinguit, non exercet, niſi puram negationem, quæ, ceu tota malignantis naturæ, deſtruit totum, quod poſt ſe invenit, & diſtinguendo ſpecie, diſtinguit quoque majori modo numero. Idcircò non eſt opus alio diſtinctivo numericè tantùm. Non ſic autem unitas, ſeu indiviſio, quæ non niſi rectum, ſui, quod eſt quid poſitivum, exercet reſpectu ejus, quod conſtituit in ratione unius. Nitet hoc ex eo, quod conſpicimus ea, quæ diſtinguuntur ſpecie, diſtingui etiam numero; non tamen quæ ſunt unum ſpecie ſunt numero, ſecùs Titius, & Sempronius, qui ſunt unum ſpecie, forent quoque unum numero.

Ea ex re habes, quòd dum dicitur *quæ diſtinguuntur ſpecie multò magis diſtinguuntur numero*, intelligitur, quod multò magis diſtinguantur numero vel poſitivè, vel negativè. Eò vel maximè quòd diſtinctio negativè eſt major, cum ſola in negatione ſita.

4. Quòad 2. p. nimirum quòd tale individuationis principium ſit forma ut fundans gradum, non ſolùm ſpecificum, verùm etiam individualem Prob. Si principium individuationis Angelorum foret forma Angelica ut irreceptibilis irreceptibilitate fundante gradum ſpecificum, maximè quia non ſuppeditaretur in Angelis fundamentum diſtinguendi adæquatè ſecundùm rationem ratiocinatam gradum ſpecificum ab individuali, ſed hoc falſitatem redolet: ergo principium individuationis Angelorum eſt forma ut irreceptibilis irreceptibilitate non ſolùm fundante gradum ſpecificum, verùm etiam ut fundans gradum individualem. Maj. eſt adverſariorum. Min. fuit probata in Logica Syntag. 3. q. 3. art. 2. §. 2. n. 7. eò vel maximè, quod ut ibidem n. 5. conſpeximus, nequit alia via propugnari univerſalitas logica Angelicæ naturæ. Vid. ibi ſicut & ibidem §. 3. n. 10. ad 1. arg. ubi inſtantiæ complures ſunt ſolutæ.

5. Quò ad aliam controverſiam connexam, nimirum quod exstare multiplicatio nequeat purè numerica in Angelis intra eandem ſpeciem; ut probare valeas vide pro nunc hic ſupra art. 2. §. 14. num. 18. quia videlicet Angelus eſt totus forma dans ſpeciem, adeoque dare nequit multiplicationem, niſi ſpecificam; quemadmodum forma præbens eſſe quantum nequit præbere multiplicationem, niſi quantitativam.

Quòd ſi objicias, inde ſequi, quòd neque numerica unitas, ſed ſola ſpecifica poſſet ab Angelica oriri natura, at non unitas, ſive gradus individualis; quemadmodum à quantitate ſola unitas poteſt oriri quantitativa. Hoc autem eſt contra hactenus à nobis dicta.

Reſp. primodùm juxta ſententiam negantem, gradum individualem in Angelis diſtingui virtualiter à ſpecifico, nego ſuppoſitum, quod nimirum detur in Angelo unitas purè numerica. Præterea dico, quòd ab Angelica natura equidem nequit oriri, niſi unitas ſpecifica, quæ ſit gradus; poteſt tamen oriri clauſula graduum metaphyſicorum: quemadmodum à quantitate ultra unitatem quantitativam oritur unitas, quæ eſt unitas, non formaliter, ſed ſolummodo reductivè quantitativa, nimirum oriuntur indiviſibilia præcipuè terminativa. Unitas autem numerica, ut vel ſupra art. 2. §. 5. num. 20. ad 1. arg. ſcripſi, non eſt propriè gradus, ſed eſt ultima graduum metaphyſicorum clauſula. De quo iterum §. ſequenti 3. num. 7. ad 2. arg.

Ex quo ſolùm ſequitur poſſe eadem à natura oriri clauſulas multiplicationis ſpecificæ, nimirum plures unitates numericas in pluribus ſpecie naturis: at non clauſulas multiplicationis numericæ, ſicut nec oritur clauſula unitatis numericæ, ſed unitatis ſpecificæ clauſula, quæ eſt numerica ipſa unitas. A qualitate autem ſaltem ut à prima radice non oriuntur clauſulæ iſtæ, quia qualitas non eſt primum in genere individuationis, benè verò quantitas, ut conſpeximus art. 1. §. 9. ſub num. 28. ad 4. arg. præſertim loquendo de quantitate mathematicè inſpecta.

§. III.

Adverſantium ſolvuntur argumenta.

6. ARg. 1. Materialis unitas præſtari minimè à forma poteſt ubicunque illa ſit; ſed numerica unitas etiam in Angelis (ſi ſemel in iſtis ea extat virtualiter excluſivè à ſpecifica diſtincta) eſt materialis: ergo nequit haberi à natura, hoc eſt ab Angelica forma. Maj. eſt patens tum ex ſe, tum per dicta à nobis art. 1. §. 8. num. 24. Unitas ſiquidem ideo materialis aſſeveratur, quia eſt numerica; ſed etiam in Angelis, ſi ſemel ita à ſpecifica diſtinguitur, erit purè numerica: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego cauſalem. Non enim quæcunque numerica unitas eſt materialis, ſed ea duntaxat, quæ eſt à materia, ut in rebus materialibus, vel materiam connotantibus.

Contra. Ideo per nos loco nuper appellato, unitas numerica eſt à materia, quia materialis eſt: ergo ſi modò dicimus, eſſe materialem, quia eſt à materia, erit manifeſtus circulus vitioſus.

Reſp. diſt. ant. ly *ideo* dicente cauſam à priori, nego, dicente cauſam à poſt. concedo ant. & diſt. conſequens, ſi diceremus, eſſe materialem, quia eſt à materia, & ly *quia* diceret iterum rationem à poſt. concedo, ſecùs, nego conſeq. Quando itaque dicebamus, unitatem materialem eſſe à materia, quia materialis eſt, probabamus à poſt. ex eo quod conſpicimus, quæ diſtinguuntur ſpecie, diſtingui formaliter, adeoque ab oppoſito, quæ diſtinguuntur ſolo numero, debent materialiter diſtingui. Item quia etiam in iis, quæ ſpecie diſtinguuntur, diſtinctio numerica eſt ejuſdem rationis, adeoque debet eſſe ab aliquo, quod ſecundùm ſe in omnibus ejuſdem ſit rationis. Quod aliud eſſe nequit, niſi materia prima. Quòd autem unitas ſit materialis quia eſt à materia, eſt ratio à priori, petita nimirum à principio talis unitatis, quod eſt materia. Eapropter cùm ſit in diverſo genere cauſæ nullus obviat vitioſus circulus.

Contra. Rationes cunctæ à poſt. quas loco appellato adduximus pro numerica unitate in rebus materialibus militant etiam in Angelis: ergo &c. Prob. ant. Etiam in Angelis argui ſic poſſet: Per diverſas unitates ſpecificas diſtinguuntur formaliter: ergo ab oppoſito per diverſas unitates numericas diſtinguuntur materialiter. Item quod quantum ad diſtinctionem numericam diſtinguuntur ſicut Leo, & Equus, &c. qui ſunt ſpecierum diverſarum; adeoque & in illis numerica diſtinctio ejuſdem eſt rationis. Demum quia & in Angelis numerica unitas eſt cunctarum infima: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad 1. & 2. prob. habes ex dictis ſub n. 3. Angelos non diſtingui poſitivè numero. Ob idque diſt. conſequens, ſi poſitivè numero diſtinguerentur, concedo, ſecùs, nego conſeq. Vid ibi fusè, ubi etiam extat de rebus materialibus, Equo, Leone, &c.

Ad aliam prob. dico, quòd quemadmodum in rebus materialibus numerica unitas, ceu cunctarum infima, petitur ab eo, quod in illis infimum extat, nimirum à materia; ita in Angelis, ceu infima, petitur ab eo, quod in eis infimum reperitur, nimirum a prædicato irreceptibilitatis; ac non à materia, quæ in Angelis locum non obtinet.

7. Arg. 2. ad idem. Proprium eſt formæ dare ſpeciem, non verò individuationem; ſed forma Angelica eſt quædam ſimplex forma: ergo &c.

Reſp. 1. diſt. maj. ſpeciem, & ſpeciei clauſulam, concedo, præciſè ſpeciem, nego.

Contra. Dici hoc modo poſſet, clauſulam ſpeciei, nimirum individuationem in rebus materialibus haberi à forma dante ſpeciem.

Reſp. nego ſequelam, Tum quia, ut dixi, clauſula illa in materialibus rebus eſt materialis. Tum quia debet præſtare multiplicationem numericam in rebus materialibus. Nequit autem à forma oriri clauſula multiplicationis numericæ, ut dilucidè ſub num. 5. in fine conſpeximus.

Reſp. 2. cum aliis diſt. maj. ſi eſt forma incompleta, communicabilis, & receptibilis in alio, concedo, ſi forma eſt completa, & ſuapte natura incommunicabilis, & irreceptibilis, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq.

Dices. Principium individuans eſt limitativum naturæ ſpecificæ; ſed forma quamquam completa, & incommunicabilis, ac irreceptibilis ſit, nequit eſſe limitativa ſpecificæ naturæ, cùm ſit hujus conſtitutiva: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quando tale principium eſt realiter diſtinctum à forma dante ſpeciem, cujuſmodi eſt materia reſpectu Animæ, concedo, quando eſt à forma indiſtinctum, nego maj. Ex ſe namque habet, quòd talem compleat naturam, adeoque incommunicabilem aliis reddat individuis. Idcircò quando forma eſt completa, quia id habet ex ſeipſa, ex ſeipſa quoque eſt individuationis principium.

8. Arg. 3. Rationalis Anima, quia ſuapte natura ad determinatum ordinatur corpus tanquam ad ſubjectum informationis, idcirco non per ſe, benè verò per ordinem ad corpus individuatur, quo indiget ad ſuas connaturaliter exercendas operationes; ſed etiam Angelus ſuapte natura ordinatur ad determinatum corpus tanquam ad ſubjectum, circa quod operatur, ipſum movendo, & cuſtodiendo, & quo indiget ad aliquas exercendas operationes ad extra, puta illas, quæ ſunt immutativæ corporis, circa quod operatur producendo aliquem effectum ex ipſo: ergo & Angelus per ordinem ad corpus, at non per ſeipſum individuabitur.

Hoc arg. continet fundamentum Eſparzæ, qui eo utitur ad probandum, quòd poſſunt naturaliter ſolo numero, multiplicati Angeli eandem intra ſpeciem penitùs ſpecificia in gradibus convenientes. Sicut enim (inquit Eſparza) ſolus ordo, quem dicunt Animæ ad diverſa corpora ſufficit ad illas numero diſtinguendas, ita ordo, quem Angeli ad diverſa dicunt corpora, ſat erit ad eos numero diſtinguendos.

Aſt labaſcens adeo fundamentum hoc eſt, ut ex ſe nemine impellante corruat; & paritas Angelorum, ac Animarum eſt penitùs diſparata. Quandoquidem non ſuapte natura Angeli ordinantur ad movenda, vel cuſtodienda corpora, quemadmodum ſuapte natura ordinatur anima ad illa informanda; ſed ordinantur ex deputatione, & commiſſione, quæ quandam dicit extrinſecam conſignationem, in Angelis ſupponentem omnia intrinſeca tum quò ad ſpeciem, tum quò ad eſſe individuale. Quod cùm intrinſecum ſit debet ab aliquo principio intrinſeco ſumi.

Sanè ſi paritas teneret ſequeretur, quòd non poſſent duo, vel tres Angeli ad ejuſdem Hominis cuſtodiam ordinari; quemadmodum nec plures animæ ad eandem ordinari queunt materiam, ſecùs plures individuarentur in ordine ad idem ſubjectum. Præterea unus Angelus non poſſet, niſi illud

morere

Digitized by Google

movere corpus, ad quod ciendum eſt deputatus; non ſecùs, ac Anima nonniſi unam determinatam poteſt materiam informare.

Accedit, quòd ſubſtantiæ Angelicæ primæ Hierarchiæ ſunt individuæ; nec tamen conſignantur à Deo in motores corporum, vel cuſtodes hominum.

Denium ſi Angelus ſuapte natura ordinaretur ad corpora determinata cienda, vel determinatos cuſtodiandos Homines, jam ſuapte natura forent propter corpora, & propter Homines. Hoc autem adverſatur D. Thom. p. p. q. 50. art. 3 ad 3.

Ea ex re habes quid dicendum ad arg. Min. namque falſitate laborat. Diffusè legi hæc poſſunt in Ferre p. p. de multiplicatione Angelorum.

9. Arg. 4. Immultiplicata forma ſpecifica Angeli poſſunt eadem in ſpecie ſolo numero multiplicari Angeli naturaliter; ergo forma eadem Angelica conſtituens in ſpecie, nequit conſtituere in individuo. Prob. ant. Tunc poſſent ſolo numero multiplicari Angeli immultiplicata forma, quando plures extare poſſent Angeli penitùs ſpecificis in gradibus æquales, qui eandem per ſpeciem æquè univerſalem in repræſentando diverſo intelligerent modo, puta unus alio perfectiùs; ſed hoc eſt poſſibile naturaliter: ergo &c. Maj eſt conſpicua. Etenim quia reapſe conſpicimus, plures Homines omnino convenientes in ſpecificis gradibus, ac per idem principium diverſimodè intelligentes, magis, vel minùs ipſum penetrando principium quò ad plures, vel pauciores inferendas concluſiones, idcircò iſtos colligimus, eſſe individualiter duntaxat diſtinctos. Min. quoque eodem fit exemplo palam. Duo poſſunt intellectus humani ejuſdem; atomæ ſpeciei diverſimodè idem per principium intelligere ergo pariter &c.

Conſ. Duæ Animæ in ſtatu ſeparationis à materia more Angelico per ſpecies infuſas intelligentes, per ſpecies æquales in repræſentando intelligunt; & tamen una perfectiùs alia intelligit: ergo ſimiliter duo poterunt Angeli, &c.

Argumentum hoc, ut fert M. Ferre, continet Nuperi cujuſdam ex noſtris fondamentum Tarentini appellati. Hic namque hoc frivolo fretus motivo non veretur ad aliena ſa conſerre contra, ac annuere, quòd duo extare queant Angeli eandem intra ſpeciem.

Qualiter ſit refutandus videre poteris apud præfatum Ferre. Quandoquidem forma intellectualis niſi in ſeipſa diverſa ſit, nequit in intelligendo diverſitatem ſortiri; ſed forma ſpecifica V. G. Gabrielis nequit in ſeipſa diverſitatem pati, eò quòd quævis diverſitas vel eſt ſpecifica, vel numerica; adeoque cùm non admittat ſpecificam, ut ex adverſario ſupponimus, diverſitatem, neque numericam, ut n. 5. probatum eſt, neque ulla in intelligendo poteſt diverſitate pollere. Quod poteſt adductis comprobari exemplis. Si enim duo Homines, vel duæ Animæ non ſupponerentur habere materialem in ſe diverſitatem, nec idem per principium intelligendo, vel per eandem ſpeciem, ſortirentur diverſitatem.

Verum eſt itaque, quòd ſi duo haberentur Angeli per ſpeciem æquè univerſalem intelligentes, hoc foret ſigno à poſteriori; quòd ſolo numero ſecernerentur minimè tamen foret ratio à priori diſtinctionis eorum numeralis. Non enim poſſunt duo intellectus fieri primò diverſi tantùm numero per hoc, quod æqualem per ſpeciem intelligant; quia quævis intelligendo diverſitas petit ortum ducere à diverſitate in eſſendo vel formalis vel materialis; hancque diverſitatem debet illa ſupponere: quemadmodum diverſitas in intelligendo, quam obtinent Homines, & Animæ ſeparatæ, ſupponit earum materialem in eſſendo diverſitatem. Tenentur igitur Authores iſti probare alio ex principio à priori poſſibilem diverſitatem purè numericam Angelorum, & tunc inferre à poſt. quòd unus aliò præſtantius intelligere queat.

Qua ex re habes ad arg. & Conſ. Eapropter

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. diſt. maj. itaut diverſitas hæc in intelligendo foret duntaxat ſignum à poſt. probativum diſtinctionis purè individualis eorum, concedo, itaut foret ratio à priori, nego maj. & min. Ad prob. nitet diſcrimen. Duo namque intellectus humani jam aliunde præſupponuntur individualiter tantùm diverſi.

Ad Conſ. eodem aſſignatur modo diſparitas.

10. Arg 5. Univerſi Angeli ejuſdem ſunt ſpeciei: ergo ſpecies Angelica naturaliter ſolo numero multiplicatur,

adeoque forma, quæ eſt conſtitutiva Angeli in ſpecie non eſt principium conſtitutivum ejuſdem in individuo. Prob. ant. Quilibet Angelus in via probabiliſſima D. Th. eſt totius naturalis entis comprehenſivus, ſuperiorem quoque comprehendendo Angelum: ergo quilibet ejuſdem eſt atomæ ſpeciei. Prob. conſeq. Omnis cognitio Angelica comprehenſiva omnis entis naturalis eſt ejuſdem atomæ ſpeciei: ergo ſi &c. Ubi namque intellectio varias in ſpecies dividi non valet, principium radicale, & proximum ejuſdem ſub una duntaxat atoma erit ſpecie.

Conſ. Si plures extarent Divini entis comprehenſores, oporteret, omnes ejuſdem eſſe atomæ ſpeciei: ergo ſimiliter &c. Prob. conſeq. Quemadmodum cognitio Divina ſpeciem ſumit ab ente Divino, ita cognitio angelica naturalis ſpeciem ſumit ab ente naturali; ergo ſi &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. tranſmiſſo ant. nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. ſi ſit una, & per unam tantummodo ſpeciem, concedo, ſi non ſit una, & per plures ſit ſpecies, nego ant. & conſeq. Cùm igitur cognitio, qua ſupremus omne Angelus comprehendit ens naturale ſit de facto una, ac unam per ſpeciem, nequit ejuſdem eſſe ſpeciei cum reliquorum Angelorum comprehenſionibus, quæ ſunt neceſſariò plures & per plures ſpecies: Quod enim neceſſariò eſt plures nequit ejuſdem eſſe ſpeciei cum eo, quod eſt duntaxat unum.

Porrò inferiores Angeli comprehendunt ens omne naturale, non tamen unica cognitione neque unicam per ſpeciem, ſed per plures, & pauciores ſpecies, quò ſuperiores ſua extant in ſpecie. Angelus autem ſupremus una tantùm utitur ſpecie, & unam per cognitionem omne attingit ens naturale: Idcircò totius entis naturalis comprehenſio, quæ Angelis conceditur, nequit ejuſdem atomæ eſſe ſpeciei, adeoque nec ſubſtantiæ ipſæ Angelicæ.

Sic dictitari communiùs conſuevit. Aſt ipſe dicerem, Angelum etiam ſupremum non per unicam ſpeciem, & cognitionem cognoſcere, quia inde ſequeretur, non poſſe à Deo alium creari Angelum perfectiorem eo, qui modò ſupremus eſt, quia ille perfectior haud poſſet cognoſcere minùs quàm per unicam ſpeciem, & cognitionem. Dignoſcit igitur per plures licèt pauciores, quàm cæteri Angeli inferiores. Sed de hoc fuſiùs in tract. de Angelis.

Dices. Hoc, quod eſt, virtutem aliquam abſque gratia poſſe omnes dignoſcere naturales veritates collectivè, & aliam ſine gratia diverſivè tantum cognoſcere poſſe, non arguit ſpecificam in virtute diſtinctionem; ergo pariter quòd intellectualis aliqua ſubſtantia una valeat cognitione omne comprehendere ens naturale, alia verò id pluribus tantùm aſſequi valeat, non arguet ſpecificam diſtinctionem, &c. Prob. ant. Intellectus in ſtatu naturæ integræ ejuſdem eſt ſpeciei atomæ in Hominibus cum intellectu in ſtatu naturæ lapſæ; ſed in ſtatu naturæ integræ omne poterat cognoſcere verum naturale collectivè abſque ſupernaturali gratia, quòd diviſivè duntaxat poteſt in ſtatu naturæ lapſæ, ut Theologorum eſt dogma in tract. de Gratia: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſi attingere duntaxat diviſivè competat per ſe virtuti, nego, ſi per accidens ex impedimentis, quibus ſcatet in ſtatu naturæ lapſæ, & quæ non patiebatur in ſtatu naturæ integræ concedo ant. & nego conſeq. At inferiores Angeli ex quo inferiores ſunt, & magis potentiales, magiſque de potentialitate habentes, nequeunt, niſi per eò multiplices cognitiones, & ſpecies totam comprehendere entis naturalis phalangem. Sed de hoc aliter in tract. de Gratia dicam.

Ad Conſ. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia cognitio Dei comprehenſiva, cùm illa, quæ eſt adæquata attingentiæ Dei, non admittit latitudinem penès magis, & minùs, nec ex parte attingentis; quia requirit in illo virtutem ſimpliciter infinitam; neque ex parte rei attactæ; quia ſi Deus comprehenderetur, cognoſceretur ſecundùm omnia, quæ habet cùm formaliter, tum virtualiter: neque ex parte rationis formalis *ſub qua*; quia hæc eſt ratio ſummæ immaterialitatis, & puriſſimi actus: Idcircò illæ Dei comprehenſiones, ſi plures fingantur, eandem deberent intra ſpeciem confingi. At non ita in entis naturalis comprehenſione res ſe habet, quia dato, quòd ex parte rei attactæ non ſuſcipiat magis, & minùs; ex parte tamen rationis formalis *ſub qua*, & ex parte virtutis comprehenſivæ gradualem obtinet latitudinem. Ex parte rationis *ſub qua* quidem, quia ratio formalis *ſub qua* Angelus ſuperior comprehenſi-

vè ens naturale attingit, eſt magis depurata à metaphyſica potentialitate, quàm ratio *ſub qua* Angeli inferioris. Ex parte etiam virtutis comprehenſivæ major actualitas habetur in vi comprehenſiva, qua gaudet Angelus ſuperior, ratione cujus pauciores per ſpecies, paucioreſque per cognitiones totum valet ens comprehendere naturale.

Plura alia arg. ad probandam ſaltem de poſſibili talem numericam multiplicationem ſupernaturaliter, omitto; quia hujus ad concluſionis intentum minimè faciunt.

11. Arg. contra aliam p. Concl. probando directè gradum individualem in Angelis non diſtingui virtualiter excluſivè à ſpecifico, argumento propoſito in Logica Syntag. 3. quod fuit de univerſ. q. 3. quæ fuit de ſpecie art. 1. §. 3. num. 10. ad 1. arg.

Reſp. abundè ſolutum ibi fuiſſe. Illò adeas.

ARTICULUS QUINTUS.

Quodnam ſit radicale individuationis principium accidentium.

§. I.

1. ACcidentium nonnulla corporalia, nonnulla ſpiritualia ſunt. De omnibus quæritatur impræſentiarum. Ubi Scotiſta ſentit, individuari per hæcceitatem; nonnemo cum Suarez per ſui entitatem, nonnemo per negationem; &c. Thomiſta propugnat, individuari à proprio ſubjecto ut illis appropriato.

Dixi *à proprio* ſubjecto *ut illis appropriato* reduplicativè inſpecto, vel (ut alii dicunt) formaliter inſpecto, nimirum ut connotante tale tempus, tale agens, talem actionem, cui ſubjicitur, &c dum forma accidentalis producitur. Quandoquidem ſubjectum ſpecificativè ſecundùm ſe inſpectum, vel (ut alii dicunt) materialiter, poteſt eſſe, & non raro eſt, ſuſceptivum ſuccedaneè plurium numero duntaxat diſtinctorum accidentium, ut pleriſque conſpicuum habetur in rebus, quæ modò album colorem obtinent, poſtea ex verecundia in vultu ruborem, & iterum poſtea albedinem induunt.

§. II.

CONCLUSIO.

Primordiale, ac radicale principium individuationis accidentium univerſim eſt ſubjectum ipſum reduplicativè ut eis appropriatum ſive (ut aliorum utar phraſi) formaliter inſpectum.

2. ID explicatè didicimus à D. Th. tum cum Philoſ. 5. Meth. tex. 2. tum p. p. q. 29. art. 1. & q. 39. art. 3. tum opuſc. 29. quod eſt de princip. Ind. tum 3. p. q. 77. art. 2 cujus verba poſt alios exhibent Zuchi, Guerinois, & Cav.

Prob. iiſdem ratiocinationibus, quibus in ſuperioribus probatum eſt, materiales ſubſtantias individuari à materia. Nequeunt à propria individuari entitate, quia iſta nequit numericam (quam indubitatum eſt, in accidentibus reperiri) multiplicationem dare intra eandem ſpeciem; eòquòd ejus entitas eſt illa, quæ præbet ei ſpeciem, quam aliunde non habet, V. G. albedo nonniſi ſuam per eſſentiam conſtituitur in albedinis ſpecie. Id autem, quod ſpecificum dat eſſe, nequit, niſi ſpecificam dare multiplicationem; quemadmodum quod dat eſſe quantum, nimirum quantitas, nequit, niſi quantitativam dare multiplicationem.

Per quod hæcceitas etiam exploditur; quia iſta conſequitur ad formam; à forma autem oriri nequit, niſi id, quod ſpecificam poteſt multiplicationem præſtare, cùm forma det ſpeciem; quemadmodum nec à quantitate poteſt oriri, niſi id, quod quantitativam dare multiplicitatem valet.

Pro aliis refutandis opinionibus lege dicta art. 1. §. 3. à num. 5.

3. Prob. præterea. Cùm individuum ſit illud, quod de uno duntaxat prædicatur, jam ab eo habebitur individuatio alicujus, à quo habetur, quod nequeat illud de aliis prædicari; ſed quod accidens nequeat de aliis prædicari ab hoc obtinet ſubjecto: ergo &c. Prob. min. Ab eo accidens habet, quod nequeat de aliis prædicari, à quo habet, quod communicari aliis nequeat, hoc eſt eſſe in aliis; ſed id habet ab hoc ſubjecto: ergo &c. Maj. ex eo eluceſcit, quod prædicari ſequitur ad eſſe. Min. prob. Forma accidentalis quantùm eſt de ſe communicabilis eſt: ergo quod communicari nequeat ex eo habet, quod huic ſubjecto ſit communicata, vel communicanda. Dixi vel *communicanda*, quia accidens Euchariſticum eſtò non ſit actu communicatum, eſt tamen communicandum huic ſubjecto, ideſt exigit, huic, & non alteri communicari ſubjecto. Per quod tacita ſolvitur objectio. Et idem dic de Anima rationali, quæ pro ſtatu ſeparationis eſt ſingularis.

Reſpondent adverſæ opinionis vindices, quòd individui incommunicabilitas, & imprædicabilitas non eſt incommunicabilitas alteri; ut ſubjecto inhæſionis, & imprædicabilitas de alio, ut de inhæſionis ſubjecto: ſed eſt incommunicabilitas tanquam alicujus univerſalis alteri individuo. Sed

Contra. Tametſi verum ſit, quòd ſingularis incommunicabilitas ſita ſit, non in præciſa incommunicabilitate alteri ut ſubjecto inhæſionis, benè verò in incommunicabilitate alteri univerſalis ad ſingularia; tamen iſta ad illam conſequitur: ergo à quo habetur prima, oritur conſecutivè ſecunda. Prob. ant. Tum quia ſtatimac forma aliqua eſt alicui communicata ſubjecto, jam exactam per conſequentiam infertur, nec alio de individuali eſſe accidente prædicabilem; quoniam albedo V. G. Titii non eſt de Sempronii albedine prædicabilis. Tum quia incommunicabilitas univerſalis eſt metaphyſica quædam incommunicabilitas; ſed hæc ſuper phyſicam fundatur incommunicabilitatem, quemadmodum omne metaphyſicum ſuper phyſicum fundatur V. G. rationalitas, quæ eſt metaphyſica Hominis differentia, ſumitur à phyſica differentia, nimirum ab Anima rationali: ergo cùm incommunicabilitas alteri ut ſubjecto informationis, ſive inhæſionis ſit phyſica formæ incommunicabilitas, jam ad iſtam, &c. Eò vel maximè, quod prædicari ſequitur ad eſſe.

4. Prob. ulterius per dicta art. 1 § 8 à num. 32. nimirum quia individualis unitas eſt cunctarum infima; quia eſt unitas materialis formæ ſecundæ, hoc eſt accidentalis, adeoque præſtari aliquo ab infimo debet, & à materia ſecunda, nimirum à ſubjecto, quod inſpectum reduplicativè, ut eſt receptivum accidentis, eſt quid infimum, eò quod hac ſub reduplicatione dicit potentialitatem, & ſe habet ſuo modo ſicut materia prima reſpectu formæ primæ, ideſt formæ ſubſtantialis, quæ eſt actus primus.

Quorum omnium ratio à priori fundatiſſima eſt; quia forma jugiter à proprio limitatur, adeoque coarctatur ſubjecto, ideſt à propria potentia ſui receptiva; quia actus imperficitur à potentialitate. Quod palam evincitur. Etenim quemadmodum actus, & actualitas eſt perfectio quædam, ita potentialitas, ſive potentia eſt imperfectio quædam; ſed potentia à ſuo perficitur actu: ergo ab oppoſito forma à ſua imperficitur receptiva potentia.

§. III.

Inſenſorum argumenta diſſolvuntur.

5. ARg. 1. ex Scoto. Accidentis individuativum debet eſſe intra proprium ejuſdem accidentis prædicamentum; ſed cujuslibet accidentis ſubjectum eſt extra accidentis prædicamentum: ergo &c. Maj. eſt conſpicua, quoniam accidens quodlibet ſecundùm etiam individualem gradum eſt proprio in prædicamento. Min. etiam, quia ſubjectum eſt ſubſtantia.

Conf. Principium individuationis rei debet eſſe rei intrinſecum, quemadmodum individuatio eſt rei intrinſeca; ſed ſubjectum non eſt accidenti intrinſecum: ergo &c.

Reſp. ad arg. diſt. maj. ſi ſit individuativum proximum, tranſeat, ſi ſit individuativum duntaxat remotum, nego maj. & data min. diſt. conſequens eodem modo. Utique proximum individuationis principium debet eſſe de rei individuatæ prædicamento, quia realiter cum illa identificatur, at non ſic remotum principium; quia iſtud nil aliud habet, quam formam coarctare, & limitare phyſ. ad unum ſubjectum.

Vel dicas, quod quando dicimus, ſubjectum eſſe principium individuationis accidentium, ſumimus ſubjectum terminativè, prout nimirum eſt terminus ordinis, quem ad illud dicit accidens, quique eſt ejuſdem cum accidente prædicamenti.

Qua

Qua ex re habes ad Conſ. Ordo namque ad ſubjectum eſt accidenti intrinſecus.

Nec inde ſequitur, quòd hoc modo etiam agens poſſit intrinſecè accidentis eſſe individuativum, cùm & ad agens, ſicut omnis effectus ad cauſam, ordinem intrinſecum dicat. Non, inquam. Siquidem eſtò dicat intrinſecè ordinem ad agens, non tamen dicit ordinem ad uniri intrinſecè agenti: Aſt ad ſubjectum non ſolùm dicit intrinſecè ordinem, verùm etiam dicit ordinem ad illi intrinſecè uniri. Ob idque ab agente poteſt duntaxat extrinſecè individuari.

Contra. Id quod præſtat etiam remotè individuationem accidenti debet ejuſdem eſſe prædicamenti entitative, & non modò terminativè, ac in rectò individuare illud debet (ut etiam aliorum tefeilatur reſponſum) ergo &c. Prob. ant. Id, quod dat etiam remotè ſpeciem accidenti debet eſſe ejuſdem prædicamenti entitativè, & intrinſecum, ac in rectò illud ſpecificat: ergo à pari, &c. Conſeq eſt exacta, quia quemadmodum ut ſpecificatum in ſuo eſt prædicamento, ita ut individuatum. Ant. verò eſt conſpicuum. Quandoquidem quod dat remotè ſpeciem accidenti eſt ejus forma phyſica, proximè verò, & formaliter, ejus differentia ſpecifica, & metaphyſica.

Si reſpondeas negando ant. & ad prob. diſcrimen aſſignes, quia nimirum ſpecies eſt unitas formalis, non infima, &c.

Contra eſt. Siquidem hoc eſt aſſignare diſparitatem inter præfatas unitates quò ad perfectionis diverſitatem, non quò ad prædicamentorum diverſitatem. At quod modò petitur eſt, cur ſpecificativum remotum accidentis debeat ejuſdem eſſe prædicamenti, &c. & non illud, quod remotè individuat. Siquidem tam ut individuale, quàm ut ſpecificum ad idem attinet prædicamentum, eſtò unitas ſpecifica ſit formalis, & numerica ſit materialis.

Reſp. benè ibi. Ad oppugnationem Reſp. non exigi ex vi ſpecificandi remotè, quod ad idem ſpectet prædicamentum, ſed aliundè, nimirum quia unitas individualis reducitur ad prædicamentum ſpeciei, cùm ſit terminus, & altima ejus clauſula; terminus autem reducitur ad prædicamentum ejus, cujus eſt terminus, V. G. punctum ad prædicamentum quantitatis.

Et hoc admonitus ſis, quòd unitas etiam numerica eſtò proximè oriatur à forma, vel ſubſtantiali in ſubſtantia, vel accidentali in accidente, tamen forma talem præſtat unitatem, non ratione ſui, ſed ratione vel materiæ, vel ſubjecti, nimirum ut per materiam, vel per ſubjectum coarctata, & limitata.

6. Arg. 2. Duo accidentia ſolo numero diſtincta dicunt habitudinem ad idem ſucceſſivè informandum numero ſubjectum, V. G. duæ albedines ad eundem numero parietem informandum, vel duo colores eandem aquam: ergo ſubjectum non eſt principium &c.

Reſp. diſt. ant. idem ſubjectum ſpecificativè, ſecundùm ſe, vel (ut alii dicunt) materialiter inſpectum, concedo, idem numero inſpectum reduplicativè ut connotat hoc numero agens ſua cum actione, hoc numero tempus, nego ant. & conſeq. Hoc autem ſecundo duntaxat modo inſpectum eſt principium individuationis accidentium.

Contra. 1. Ex hoc ſequitur, quòd actio, aut tempus, at non ſubjectum ſit radix individuationis accidentium: ergo perperam ad hanc numero hujuſce numero agentis confugitur actionem. Prob. ant. Subjectum conſtituitur in ratione ſubjecti reduplicativè formaliter per connotationem hujus numero temporis: ergo potiùs iſta, quàm ſubjectum erunt radia &c. Prob. conſeq. Propter quod unumquodque tale, & illud magis: ergo ſi ſubjectum conſtituitur in ratione talis per prædicta, jam &c.

Secundò. Juxta noſtra principia videtur haud benè reſponderi. Siquidem potiſſimum fundamentum noſtrum, cur accidens à ſubjecto, & forma à materia individuetur eſt, quia ab ipſis in eſſe dependent, & ſuum eſſe ab eis recipiunt; ſed accidentia non accipiunt eſſe à tempore, licèt eſſe accipiant in tempore: ergo perperam ſit ad hoc numero recurſus.

Tertiò. Hic calor, hæc albedo æquè benè hodie poteſt ſicut & cras produci, & calor modò mea in manu productus, poteſt in ea per quadrantem V. G. durare, atque diverſis partibus coexiſtere temporis: ergo inepta penitùs eſt temporis circumſtantia ad effectum aliquem individuandum.

Quartò. Poteſt à Deo formà antea corrupta eodem numero in ſubjecto modò reproduci: ergo ejus identitas à temporis minimè pendet identitate.

Tandem fieri poteſt, quòd duo calores numero diſtincti reſpiciant ſubjectum prout connotat eandem temporis differentiam. Eadem ſiquidem V. G manus poteſt quantùm eſt ex ſe pro tempore præſenti, diſjunctim ſaltem, vel ab iſto, vel ab illo calefieri igne: ergo cùm calor, qui ab iſto procedit igne ſit numero diſtinctus ab illo, qui ab alio procedit, poterunt duo calores numero diſtincti idem reſpicere ſubjectum pro eodem temporis inſtanti.

Reſp. ad 1. nego ſequelam antecedentis. Ad prob. dato ant. nego conſeq. cujus ad prob. dico, maximam illam locum habere, quando id propter quod aliud eſt tale, ſit in rectò ratio, & principium, cur aliud ſit tale, ſecùs verò quando tantummodo in obliquo, & de connotato, ut impræſentiarum contingit. Actio namque, agens, & tempus ſe habent ut purum extrinſecum connotatum, & ipſum ſubjectum ut prima individuationis radix: non ſecùs, ac ſupra diximus, quòd quantitas ſe habet ut extrinſecum connotatum, & materia ut prima radix individuationis. Ex his

Ad 2. nitet ſolutio. Etenim licèt non habeant eſſe à tempore in rectò, habent tamen eſſe ab illa tanquam ab aliquo extrinſeco connotato, à ſubjecto verò in rectò.

Et quidem quòd temporis unitas requiratur, palam eſt in motu, cujus ad numericam unitatem requiritur, non ſolùm termini, & ſubjecti, ſeu mobilis, verùm etiam temporis unitas.

Nec juverit cum Maſtrio dicere, falſum eſſe, quòd ad motus unitatem requiratur temporis unitas, licèt temporis unitas, requiratur ad motus continuitatem, ideſt unitatem continuativam. Vel quando etiam id concederetur de motu, non inde ſequatur de quovis alio accidente; quia motus eſt ens ſucceſſivum, quod tempore menſuratur, nec proinde poteſt diverſis temporis partibus coexiſtere; reliqua autem accidentia ſunt de genere permanentium, & poſſunt diverſis temporis partibus coexiſtere.

Non, inquam, juverit. Quandoquidem primum reſponſum ſeipſum interimit. Temporis ſiquidem unitas, ſive temporis continuitas ſi requiritur ad motus continuitatem, eò quòd motus facti diverſis in temporibus diſcontinuatis non ſunt idem, multò magis ad ejus requiritur unitatem entitativam; quia quæ ſunt diſcontinuata, ſunt à fortiori diviſa, & à fortiori diſtincta, adeoque non ſunt unum, atque idem. Secundum autem minimè eſt ad propoſitum. Idem namque numero accidens quamquam diverſis queat temporis partibus coexiſtere, neutiquam tamen poteſt ita fieri in diverſis partibus temporis, ut quod ſemel factum eſt in uno tempore, queat iterum in alio fieri tempore.

Ad 3. Reſp. non ſufficere temporis diverſitatem ad diverſa accidentia ejuſdem ſpeciei, ſed præterea requiri connotationem diverſæ actionis, diverſique agentis; & una deficiens ex præfatis connotationibus ſufficit in ſubjecto ad accidentia individualiter non diſtinguenda.

Et memento, quòd lib. 2. de Gener. & Corrupt. art. ult. ſcripſimus, ideo poſſe divinitùs, eandem numero rem corruptam reproduci; quia Deus continet eminenter eandem numero creatam actionem.

Et per hæc corruit tertia, & quarta unà cum quinta Inſtantia.

Hæc legit Maſtrius in Blaſio, & cùm extinctam hic penitùs ſuam Scoticam cerneret doctrinam, molitus eſt (haud tamen feliciter) vilem facere Thomiſticam doctrinam uti infirmam, ſequentibus eam oppugnando, ſed non expugnando verbis hic diſp. 10. q. 8. num. 114.

Contra. Ex hac reſponſione patet infirmitas doctrinæ Thomiſtarum de principio individuationis accidentium. Primò enim abſolutè dicunt, individuari per ſubjectum; deinde, quia negare nequeunt, plura accidentia ejuſdem ſpeciei, ſaltem ſucceſſivè recipi in eodem ſubjecto, confugiunt pro individuatione accidentium ad circumſtantias temporum; & tandem quia negare nequeunt, eodem tempore poſſe non minùs unum calorem ab uno igne, quàm alium calorem ab alio igne, produci, ſaltem disjunctim, recorrunt ad diverſitatem agentium, & actionem. Undè tandem infertur, quòd accidens ſecundùm ipſos, non ex ſubjecto individuetur (quod fatentur eſſe de ſe indifferens

ad re-

ad recipiendum hoc, vel illud numero accidens) ſed ex diverſis circumſtantiis, in quibus reperitur, quod jam refutatum eſt ſupra q. 5. art. 1. num. 53. Ille

Reſp hæc eſſe verba ſolius jactantiæ. Siquidem tota iſta ex doctrina quid tandem inſertur, niſi quòd accidens de connotato, & in obliquo individuetur à circumſtantiis? Aſt quid inde? In recto enim individuatur à ſubjecto, non quidem ſecundùm ſe ſpecificativè inſpecto (& hoc tantùm fatetur Thomiſta) ſed ut præfatas connotat circumſtantias.

Ad id, quod ſubjicitur, Reſp. ex probationibus ab eo adductis q. 5. appellata ſolùm evinci, quòd circumſtantiæ nequeunt eſſe in recto individuationis principium.

Clamat Maſtrius, poſſe Euchariſticis ſub accidentibus aliam poni panis ſubſtantiam. Aſt nuſquam id probat, & è contra idipſum nos perenniter inficiamur, loquendo de ſubſtantia, quæ ſe haberet ut ſubjectum, ſecùs forent, & non forent eadem accidentia. Forent, ut ſupponitur, & non forent, quia aliud ſortirentur individuativum, nimirum aliud ſubjectum. Poſſet verò à Deo alia produci panis ſubſtantia tanquam quid præcisè locatum ſub illis.

Ad 4. Reſp. quòd duntaxat tempus præteritum per ſe reſpiceret, licèt non ut præteritum; tempus verò præſens reſpiceret ſolummodo per accidens. Pro quo

Scito ex Salmant p. p. diſp. 2. in dub. 3. §. 4. per totum quod per hoc numero tempus, quod dicimus concurrere ad conſtituendum ſubjectum formaliter in ratione principii individuationis accidentium, non intelligitur tempus reduplicativè præſens, aut futurum. Omnes ſiquidem hujuſcemodi formalitates accidentaliter competunt entitati temporis, cum eadem entitativè temporis pars, quæ fuit futura, immediatè fiat præſens, & præterita ſubſequens. Intelligitur ergo tempus ſpecificativè, nimirum ipſamet entitas hujus numero temporis.

Ad 5. liquet, non eandem eſſe actionem, eſtò idem ſit tempus.

7. Arg. 3. Iiſdem ex Scotiſtis, quòd ordo accidentis ad ſubjectum ſupponit jam accidens ſingulare.

Reſp. hoc jam fuiſſe ſolutum art. 3. num. 8. ad 4. arg. Illò adeas.

8 Arg. 4. Unum numero accidens eſt realiter diviſum ab alio: ergo principium radicale individuationis ipſius debet eſſe realiter diviſum ab alio; ſed unum ſubjectum non ſemper eſt realiter diviſum ab alio: ergo &c. Secunda conſeq. eſt conſpicua. Prima etiam eſt exacta. Principium ſiquidem ut det formæ diviſionem ab alia debet eſſe diviſum, ſicut materia prima eſt diviſa ab alio per ordinem ad quantitatem, ut tribuat formæ ſubſtantiali diviſionem. Min. autem ſubſ. Prob. ſeu potiùs exclaratur. Potentia receptiva motus violenti eſt formaliter diſtincta à potentia receptiva motus naturalis, & potentia obedientialis receptiva formæ ſpiritualis eſt formaliter diſtincta à potentia naturali receptiva formæ naturalis, cum hujuſcemodi potentiæ diverſa connotent agentia, ac tempora, diverſaſque actiones; & tamen non ſunt realiter inter ſe diviſæ: ergo &c.

Reſp. nego primam conſeq. Quandoquidem ſat eſt, ad cauſandam diſtinctionem etiam realem in accidentalibus formis diverſitas virtualis ſubjecti: quemadmodum ſola virtualis objecti diverſitas ad realem cauſandam diſtinctionem in potentiis, uti palam eſt in vero, & bono reſpectu intellectus, & voluntatis. Et ratio eſt, quia cùm forma prout intra ſuam limitatur ſpeciem gaudeat diſtinctione reali ab aliis ſub eadem ſpecie, inde fit, quòd id, quod ſufficit ad limitandam formam, ſufficit quoque ad diſtinguendam illam ab aliis. Cùm autem limitatio fiat penès recipi, & ad hoc, ut diverſæ recipiantur formæ accidentales diverſa detur capacitas in ſubjecto, ſeu diverſitas illius ſecundùm diverſos reſpectus participandi illas; Idcircò ſola virtualis ſubjecti diverſitas ſufficit ad realem accidentalium formarum diverſitatem.

Quòd ſi ad ſubſtantialium non ſufficit formarum diverſitatem, hoc ideo eſt, quia non adeſt eadem in materia capacitas variabilis ſecundùm diverſos conceptus, ut luculenter conſpeximus 1. Phyſ. q. 3. art. 4 §. 3. num. 8. ad 4. arg. At poteſt idem ſubjectum diverſam virtualiter habere capacitatem, ceu quid completum, ad diverſas habendas formas accidentales. Eò vel maximè quòd iſtæ non dant eſſe ſimpliciter.

9 Arg. 5. Primum individuationis principium accidentium materialium conſultiùs explicatur per ipſam materiam primam quantitate obſignatam, quàm per ſubjectum, quod eſt compoſitum ſubſtantiale: ergo &c. Prob. ant. Principium individuationis accidentium ſtatui illud debet, undè primò provenit individuatio illorum; ſed hoc eſt materia prima, non verò compoſitum: ergo &c. Prob. min. Etiam compoſitum eſt individuum ratione materiæ primæ ſignatæ quantitate: ergo &c.

Reſp. concedo totum loquendo de principio remotiſſimo. Eatenus autem dicimus, eſſe ſubjectum, quatenus ſi per impoſſibile ſubjectum poſſet eſſe individuum ſine materia, adhuc poſſet eſſe accidentis individuativum, ſicut eſt ſubſtantia ſpiritualis reſpectu accidentis ſpiritualis; quia adhuc foret ejus receptivum, limitativum, & redderet ipſum incommunicabile alteri. Undè duntaxat præſuppoſitivè ſe habere videtur materia.

10. Arg. 6. Plura extant accidentia, quæ non individuantur à ſubjecto: ergo &c. Prob. ant. Accidentia ſaltem relativa individuantur à terminis, quos reſpiciunt, & non à ſubjectis: ergo &c. Prob. ant. Ideo accidentia abſoluta individuantur à ſubjectis, quia iſta reſpiciunt; ſed relativa accidentia naturaliter reſpiciunt ſuos terminos: ergo &c.

Secundò. Accidentia ſpiritualia, quæ in rebus recipiuntur corporeis, V. G. in aqua baptiſmali virtus ſpiritualis ad cauſandam inſtrumentaliter gratiam, nequit à ſubjecto individuari, ſecùs ens ſpirituale foret individuum materiale, cùm materiale nequeat ſpirituale dare individuationem.

Tertiò. Proprietas recipitur in ſuo ſubjecto naturali, illique intrinſecè unitur; ſed proprietas non individuatur à ſubjecto: ergo &c Prob. min. Principium individuans formam eſt imperfectivum, & limitativum ejuſdem; ſed proprietas non imperficitur, nec limitatur, imò perficitur ex eo, quod in ſuo naturali recipiatur ſubjecto, taliter quòd in nullo tanta eſt perfectionis, & augmenti, quanti in ſuo naturali ſubjecto, ut de calore in igne, de luce in Sole eſt palam: ergo &c

Quartò. Tempus eſt accidens; ſed tempus non individuatur à ſubjecto, imò potiùs individuat ſubjectum: ergo &c. Min. noſtris hæret principiis.

Tandem quantitas eſt accidens; & tamen à ſeipſa individuatur, cùm per ordinem ad ipſam ipſamet individuetur materia: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. diſt. maj. quia illa naturaliter reſpiciunt tanquam ſui cauſam materialem receptivam, concedo, tanquam purè terminum, vel cauſam formalem ſpecificativam, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Lege de hoc dicta in Logica Syntag. 4. q 5. art. 4. tum §. 2. tum §. 3. à num 7. & præſertim num. 10. ad ult. arg Ob idque non multiplicatur numero relatio, niſi varietur ratio fundandi; nec eodem in ſubjecto poteſt relatio extare ad terminos diverſæ ſeriei.

Ad 2. diſt. ant. nequeunt individuari à ſubjecto ſecundùm hujus potentiam naturalem, concedo, ſecundùm potentiam obedientialem, nego ant. & conſeq. Iſta namque ſicut eſt elevativè ſupernaturalis, ita ſpiritualis elevativè eſſe poteſt, ut ſcripſi etiam 2. Phyſ. q. 2. art. 1. num. 11. ad 3. arg.

Sic etiam accidentia violenta individuantur à ſubjecto ſecundùm potentiam quaſi obedientialem; quemadmodum ejus ex potentia quaſi obedientiali ſcripſi 1. Phyſ. q. 3. in fine, educi. Imò cùm Scotus aſſeveret, iſtam eſſe potentiam neutram (quam abjecimus 2. Phyſ. in principio) dici poſſet, individuari à ſubjecto illam per potentiam neutram.

Ad 3. nego min. Ad prob. nego min. Ad annexam prob. diſt. perficitur, ſi comparativè loquaris, concedo, abſolutè, nego. Per hoc ſiquidem, quòd in ſubjecto proprio recipitur, limitatur abſolutè, ne pluribus communicetur. Solùm ergo comparativè ad ſubjecta extranea dicitur perfici à ſubjecto proprio; quatenus extraneis in ſubjectis vel habet contrarii alicujus permixtionem, vel quia ſubjectum tantam non obtinet vim dimanativam. Eapropter ſi aliquod extaret accidens, quod nulli inhæreret ſubjecto, nec ad inhærendum diceret ordinem, ſortiretur infinitudinem quandam negativam.

Ad 4. nego min. Ad prob. diſt. ant. tempore ſe habente ut individuationis principio, nego, ut mera conditione, concedo. Diverſimodè invicem individuantur. Tempus ſiquidem à ſubjecto ut à principio individuatur, & cauſa materiali

Digitized by Google

teriali in ratione recipientis accidentia; ſubjectum verò à temporem ut à meta conditione, adeoque in diverſo genere cauſæ. Lege ſupra att.1. §.9. ſub num.38 ad 4.arg. in 2. reſponſu de materia, quomodo per diſpoſitiones, & quantitatem individuetur.

Ad 7. habes per dicta loco mox appellato.

ARTICULUS SEXTUS, & ULTIMUS.

Num plura accidentia ſolo numero diſtincta queant eodem in ſubjecto contuberuium habere.

§. I.

1. DUbium nemini eſſe poteſt, plura accidentia ſolo numero diſtincta etiam reapſe, & non tantùm de poſſibili, eidem ſucceſſivè incubare ſubjecto; quia tunc ſubjectum eſtò ſit idem ſpecificativè, haud tamen reduplicativè, cùm ſit in ordine ad diverſum tempus. Nec oppoſitum ex Thomiſtis docuit ullus; ut nitet per dicta antegreſſo att. § 3 ad 2. arg. quicquid in oppoſitum ſcribat Maſtrius ex Suarez. Tota igitur lis eſt eorum de ſimultate eodem in ſubjecto.

2. Quantùm ad reapſe, & de poſſibili naturaliter reſoluta extat controverſia contra Scotum per dicta retroacto art. Aſt quia nonnulla ſuperſunt argumenta, quæ huc ſolvenda miſi, ut nimia ibi vitaretur prolixitas: & inſuper quia nonnulli percenſentur etiam Noſtrates, qui non obſtante, quòd nobiſcum annuant, accidens individuari à ſubjecto, nihilominùs circa coexiſtentiam accidentium ſolo numero diſtinctorum in eodem ſubjecto videntur quadam incedere cum limitatione quò ad abſolutam Dei potentiam, ac annuere de accidentibus intentionalibus, nimirum de ſpeciebus intentionalibus, ut loqui videtur Philippus à SS. Trin. quem contra reliqui omnes ſtant Thomiſtæ: idcircò cauſam hanc ſeorſim à præcedenti agere conſtitui.

§. II.

CONCLUSIO.

Nec ſupernaturaliter queunt plura accidentia ſolo numero diſtincta eidem coinctubare ſubjecto.

3. DE ſenſu D. Th eadem jugiter certitudo viget, ac in ſuperioribus; cùm perenniter dilucidè loquatur, non modò in 4 ſent. diſt. 12 q. 1. art. 1. quæſtiuncula 3 ſub finem, ubi contra nonnullos illius tempeſtatis probare volens, accidentia Euchariſtica non ſubjectari in aere proximo, *cùm omnes*, inquit, *dimenſiones ſint ejuſdem ſpeciei in quacunque materia ſint; ſi dimenſiones panis iterum ſint ſicut in ſubjecto in aere; ſequitur, quòd duo accidentia ſpeciei ejuſdem ſunt in eodem ſubjecto: quod eſt contradictoria eſſe ſimul*. Sed etiam 5. Meth. lect 12. ubi ex Stagyrita eodem 5. Meth. tex. t 5. diſtinctionem colligit ſpecificam accidentium ex eo, quod in eodem recipiantur ſubjecto. Præterea 3 p. q. 35. art. 5. aliiſque in locis.

4. Prob. 1. ratione S. D. Quoniam cùm, ut prægreſſo art. conſpeximus, accidens individuetur à ſubjecto, jam ſi plura eodem coexiſterent in ſubjecto, forent, & non forent plura. Forent ut ſupponitur. Et non forent; quia cùm unicum foret ſubjectum individuativum, foret unicum accidentis individuum.

Nec duntaxat diximus, ſed & demonſtrativè probavimus, accidentia individuari à ſubjecto. Quamobrem mendacium Maſtrii eſt, quòd noſtrum hic fundamentum ſit petitio principii.

Quæ ratiocinatio, ut perſpicuum eſt, probat de accidentibus non tantum phyſicis, verùm etiam intentionalibus, cùm univerſa individuentur à ſubjecto, uti palam erit legentibus noſtras probationes antegreſſo art. §. 2. Nihilominùs quomodo hiſce ratiociniis ſit ex Thomiſtis quilibet convincendus legi apud Blaſ. Zuchi, &c. poteſt. Et arg. quoddam, quod contra ea, quæ iſti habent, obiici poſſet, ſolvam, Deo dante, in tract. de Incar. q. 8. art. 6. ad 4. arg. Contra omnes autem

5. Probo ſic. Quod contradictionem involvit nec ſupernaturaliter eſt poſſibile; ſed plura accidentia ſolo numero diſtincta eidem coincubare ſubjecto contradictione laborat: ergo &c. Prob min. Quicquid contra rei eſt eſſentiam, redolet contradictionem; ſed coexiſtentia accidentium ſolo numero diſtinctorum eſt contra ipſorum accidentium eſſentiam: ergo &c. Maj. non eſt in dubium vocanda. Etenim quia eſſe animal irrationale eſt contra Hominis eſſentiam, contradictio foret, quòd Homo animal foret irrationale. Min. prob. Plura accidentia petunt eſſentialiter plura ſubjecta informare, pluribus incubare ſubjectis: ergo &c. Prob. ant. Accidens petit eſſentialiter ſubjectum informare: ergo pariter plura accidentia, &c. Prob. conſeq. Quemadmodum ſe habet abſolutè ad abſolutè, ita multiplex ad multiplex. Præterea quia Homo V. G. ut homo abſolutè eſt animal rationale, plures Homines ſunt eſſentialiter plura animalia rationalia: ergo pariter ſi accidens, quà accidens petit eſſentialiter &c. plura accidentia, &c.

Sic quondam arguebam adverſus unum obverſæ opinionis vindicem ex noſtris, qui primò reſpondit negando, quòd accidens eſſentialiter petat ineſſe ſubjecto, & exemplum dabat de Euchariſtiæ accidentibus.

At ab iſto poſt pauca abſtinuit reſponſo, quia eveſtigiò ipſe dixi, me loqui de inhærentia aptitudinali; idcircò dixi *petit* &c. aliter itaque

Reſpondit, probationem iſtam evincere primitèr, quòd nec ſucceſſivè duo accidentia ſolo diſtincta numero in eodem queant coexiſtere ſubjecto, præterea etiam de accidentibus diverſæ ſpeciei; Si quid convinceret. Sed

Contra inſteti. Inſtantia (bona venia) non ſolvit arg. Eò vel maximè quòd patens eſt diſparitas. Ad 1. quidem, quia ut fusè antegreſſo art. propugnavimus, individuale accidens petit eſſentialiter eſſe in ſubjectu, non qualitercunque, ſed connotando ad ſui productionem tale tempus. Hoc ipſo autem, quod foret ſuccedaneè, foret pro diverſu tempore. Ad 2. etiam quia reſpectu accidentium diverſæ ſpeciei ſubjectum eſtò ſit unum ſpecificativè, ideſt ſecundùm ſe, ſeu, ut alii dicunt, materialiter; eſt tamen diverſum reduplicativè, ſeu, ut alii dicunt, formaliter, ſecundum diverſam rationem ob diverſos effectus formales, quos ab eis acciperet.

Reſpondebat ille, quòd dici idem poteſt de accidentibus numero diſtinctis in ordine ad diverſos numero effectus ſuſcipiendus. Sed

Contra iterum. Inſtantia non ſolvit argumentum. Et

Tum funditùs, atque radicitùs diſparitatem aſſignari, quam iterum §. ſequenti 3. num. 8. ex D. Th. aſſignabimus. Quandoquidem duo accidentia ſolo numero diſtincta nequeunt duos effectus etiam ſolo numero diſtinctos ſubjecto tribuere. Quod ſic oſtendo. Fingas, quòd corpus aliquod cubitale quantitate cubitali affectum alia ſuperinduatur quantitate cubitali abſque novæ partialis ſubſtantiæ additione, ſecùs illa recenter adveniens quantitas erit in alia ſubſtantiæ parte, ſicque alio in partiali ſubjecto. Tunc cubitalis illa quantitas adveniens alteri præexiſtenti cubitali non daret aliud eſſe cubitale, alioquin illa cubitalis ſubſtantia foret, & non foret cubitalis: duo ſiquidem haberet eſſe cubitalia, & idem eſt ac dicere eſſe bicubitale; quemadmodum biduum duos dicit dies, bimembre duo membra, &c. Idem de qualitate dicas. Idcircò dum aqua calefacta ut duo, iterum admota igni fit calida ut tria, ut quatuor &c. non eſt alius, qui in ea recipitur calor, ſed unus, idemque numero calor, qui magis intenditur, fitque intenſivè major, nec præpediri intenſiva poteſt unio, per quam unum fit numero accidens; ſecùs tunc aqua foret, & non foret calida ut quatuor. Foret ut ſupponitur, eò quòd duo alii ſupervenisſent caloris gradus. Et non foret, quia cùm duo caloris gradus recenter advenientes forent calidi duntaxat ut duo, non poſſent dare aquæ eſſe calidum ut quatuor, eò quòd nemo dat, quod non habet. De quo fuſiùs in lib. de Gener. ſcripſi agendo de intenſione.

Quibus poſitis iterum è diverticulo in viam, & ad argumentum redii; ad quod nonniſi verba ſemper audivi.

Expectabam, quòd mihi objiceret, inde ſequi, quòd nec per abſolutam Dei potentiam poſſent duo corpora eodem in loco eſſe; eò quòd idem formari arg. poſſet *corpus petit eſſentialiter eſſe in loco: ergo duo corpora petunt eſſentialiter duobus eſſe in locis*.

At hoc nihil obſtetiſſet. Siquidem corpus eſt in loco ratione quantitatis, quæ eſt extra eſſentiam. Imò quantitas ratione extenſionis localis, quæ ſupernaturaliter eſt ſeparabilis ab extenſione in ordine ad ſe, cujus eſt effectus ſecundarius. Imò extenſio in ordine ad locum eſt in loco

ratione contactus ſecundùm extremitates, qui ut 4. Phyſ. ſcripſi, & realiter ab extenſione locali diſtinctus, ab eaque ut effectus ſubſecutus ſeparabilis. At accidens ratione propriæ entitatis informat ſubjectum, ejuſque primarius effectus formalis eſt ſubjectum actuare. Effectus autem formæ primarius eſt ipſamet forma communicata.

De hoc iterùm §. ſequenti 3. num. 8. ad 3. arg.

§. III.

Adverſantium argumenta ſolvuntur.

6. ARg. 1. Eodem in ſubjecto contubernalia eſſe queunt, imò ſunt plura ſpecie diſtincta accidentia: ergo & plura eſſe poterunt ſolo diſtincta numero. Ant. eſt omni exceptione majus. Eadem ſiquidem in nive conciliantur albedo, & algor, eodem in ſaccharo color, & ſapor, &c. Conſeq. prob. Quæ ſpecie differunt, numero quoque, & à fortiori, differunt, in rebus præſertim ſtando corporei; ſed unitas, & diverſitas individualis eſt ejuſdem jugiter rationis, ſive conjuncta cum ſpecifica, ſive ab illa ſejugata: ergo ſi &c.

Reſp. ad hoc, ad quod jam dictum eſt num. antegreſſo 5. diſt. ant. ſecundùm diverſas virtualiter diſtinctas capacitates, concedo, eandem ſecundùm capacitatem nego ant. & conſeq. Arg. hoc olimjam præviderat Angelicus, qui proinde illud ſolvit q. 8. de ver. art. 14. ſub principium ejuſque verba exſcripſit Guerinois, & talia ſunt. *Si aliquod corpus* (ut ſaccharum) *eſt ſimul album, & dulce, albedo ineſt ei ſecundùm quod participat de natura diaphani, dulcedo autem ſecundum naturam humidi.*

Quibus adde, quæ ſcripſi prægreſſo num. 5.

Contra 1. ſubjectum ſecundùm potentiam, ſive capacitatem receptivam quemadmodum individuat accidentia numero diſtincta, ita & accidentia ſpecie diſtincta: ergo ſicut in eodem ſubjecto diverſæ admittuntur virtualiter diſtinctæ capacitates reſpectu accidentium ſpecie diverſorum, ita &c. reſpectu accidentium ſolo numero diſtinctorum.

Secundò. Tam accidentis ſpecie diſtincti, quàm accidentis ſolo numero diſtincti unitas individualis à ſubjecto petitur, noſtris inſiſtendo principiis; ſed illo non obſtante recipi ſimul queunt duo accidentia ſpecie, & numero diſtincta eodem in ſubjecto: ergo etiam &c.

Reſp. ad 1. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia unum accidens unius ſpeciei dum in ſubjecto recipitur totam complet potentiam, qua pollet ſubjectum ad accidentia hujuſce ſpeciei, at non totam explet potentiam, quam ſubjectum habet ad accidens alterius ſpeciei. Ratio eſt, quia cùm nequeat præterire ſuæ ſpeciei confinia, idcircò dum accidens unius ſpeciei in ſubjecto recipitur, tribuere nequit effectum formalem alterius ſpeciei, nec dare id, quo ſubjectum perficeretur ab accidente diverſæ ſpeciei. At licèt nec tribuat eundem numero effectum, quem aliud tribueret ejuſdem ſpeciei accidens; tamen ſe habet, ac ſi illius tribueret effectum; quia à ſubjecto reſpiciuntur ſub una, eademque ratione formali accidentia omnia ejuſdem ſpeciei, ſeu rationis formalis. Si autem aliquod V. G. album fiat magis album, tunc fiet ejuſdem accidentis intenſio, ut diximus in lib. de Gener. at non duplex adveniret albedo. Redintegra dicta num. 5.

Contra. Accidens non reddit ſubjectum, in quo recipitur, incapax recipiendi ſimul accidens aliud alterius ſpeciei: ergo nec reddet incapax recipiendi aliud ejuſdem ſpeciei. Prob. conſeq. Subjectum de ſe quemadmodum obtinet capacitatem, ut actuetur à formis accidentalibus ſpecie diſtinctis, ita capacitatem habet, ut à pluribus actuetur formis accidentalibus numero duntaxat diſtinctis: ergo ſi &c.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. diſparitas eſt, quia ſubjectum ad accidentia diverſæ ſpeciei plures dicit capacitates, & potentias virtualiter diſtinctas. At ad accidentia ejuſdem ſpeciei unam duntaxat dicit capacitatem, & potentiam, quæ tamen permanet etiam poſt alterius accidentis ruinam. Ratio aſſignata nuper fuit, quia accidentia omnia ejuſdem ſpeciei eadem reſpicit ſub ratione formali; at quæ diverſæ ſpeciei ſub diverſa reſpicit ratione formali. Redintegra dicta ſub num. 5.

Ad 2. conceſſa maj. diſt. min. in eodem ſubjecto reduplicativè, ſeu (ut alii dicunt) formali eandem ſecundùm potentiam receptivam, nego: in eodem ſpecificativè, ideſt ſecundùm ſe inſpecto, ſeu (ut alii dicunt) materiali, formaliter diverſo, & ſecundùm diverſam potentiam, receptivam, concedo min. & nego conſeq. Solutio per dicta eniteſcit.

7. Arg. 2. ex Scoto. Species repræſentantes Duo alba ſolo numero diſtincta diſtinguuntur duntaxat numero; ſed iſtæ eodem recipiuntur in oculo, eadem in Phantaſia, imò & eodem in medio, eodem nimirum in aere: ergo &c. Min. ultraquamquod experimento innoteſcit, eſt D. Thom. p. p. quæſt. 76. art. 2. Accedit, quòd juxta probabilem ſententiam duæ ſpecies in eodem poſſunt intellectu idem repræſentare ſingulare. Siquidem in ſent. Compl. in lib. de Anima diſp. 20. num 99. ſemel cognito ab intellectu uno ſingulari, per ſpeciem à Phantaſmatibus abſtractam producitur in intellectu alia ſpecies intelligibilis idem repræſentans ſingulare.

Conſ. Dum ignis duo ſimul calefacit calefactibilia ſibi admota, duas ſimul elicit actiones, per quas duas inferet paſſiones; & hujuſcemodi actiones in eodem recipiuntur agente, quòd conſtituunt, & conſtituendo denominant agens.

Urg. Si duo apponantur luminoſa, producentur ſimul eodem in ſubjecto, nimirum eodem in aere, plura ſolo numero diſtincta lumina; ergo &c. Prob. ant. Si luminoſis illis, putà duabus candelis accenſis corpus aliquod apponatur opacum, plures emergent umbræ V. G. in pariete; ſed umbra eſt privatio luminis: ergo &c.

Urg. magis. Si duo invicem apponantur ſpecula, longa conſpicietur ſpeculorum ſeries, & multitudo quaſi in profundo uniuſcujuſque ſpeculi, quod ſanè evenire haud aliter poteſt, quàm ob reflexionem ſpecierum intentionalium prodeuntium, quæ in medio, ac in oculo recipientur, ſimulque exiſtent, adeoque ſpecies reflexæ recipientur eodem in ſubjecto, in quo ſpecies directæ receptæ ſunt; cùm ſpecies ipſæ directæ jam totum interiectum occuparent ſpatium.

Reſp. ad arg. per dicta lib 2. de Anima q. 6. art 2. num 7. ad 2. arg (aliorum miſſis reſponſis, quæ ingentia impingunt in offendicula, & videri poſſunt apud Zuchi, Guerinois, Cav. tract. 1. de Or. & Inter. diſp. 2. q 4. §. 13. Et præſertim Blaſ. hic) nego maj. loquendo in eſſe entis. Ad prob. annexam diſt Illa duo albo, ſive illa duo objecta ſunt ejuſdem ſpeciei ſumpta ſpecificativè, ideſt ſecundùm ſe, concedo, in ratione productivi ſpecierum, nego. Siquidem (ut ibi, & iterum ibidem num. 11. ſcripſi) objecta producunt ſpecies ut agentia, non actione corporis, ſed actione formæ, & ut quodammodo elevata virtute corporum cœleſtium, ac intelligentiarum, Cœlos moventium, ut S. Th. ſcribit q. 5. de pot. art. 8. & alibi. Et quia corpora cuncta cœleſtia, cunctæque intelligentiæ ſunt inter ſe ſpeciei diverſæ, ut conſpeximus in lib de Cœlo q 1. in appendice poſt art. 3. Idcircò eorum etiam virtutes ſunt ſpeciei diverſæ, proindeque ſpecies illæ ſaltem in eſſe quidditatis ſunt ſpeciei diverſæ, eliò in eſſe repræſentativo ejuſdem ſint ſpeciei.

Nec obſtat, quòd etiam Homo unà cum corpore Cœleſti producat Hominem, Leo Leonem, & tamen Homines ejuſdem ſint ſpeciei.

Non, inquam. Etenim licèt Cœlum, & Homo producant Hominem; tamen non virtute Cœli Homo alium producit Hominem, ſed Cœlum, & Homo ſe habent ut duo agentia diverſos producentia gradus, ut ſcripſi 7 Phyſ. q. 2. art. 1. §. 3. ad 1. arg.

Per quod tandem evaneſcit id, quod Maſtrius ſubjicit, nimirum non poſſe diſtingui ſpecie, eò quòd non dicunt ordinem ad aliqua ſpecie diſtincta. Evaneſcit, inquam, quoniam ordinem dicunt ad virtutes illas corporum Cœleſtium ſpecie diſtinctas.

Dices. Species ſpecificatur ab objecto, ad quod repræſentandum eſſentialiter ordinatur; ſed illa objecta non diſtinguuntur ſpecificè: ergo &c.

Addes, quòd tunc intellectus duas ſimul elicit intellectiones, cùm intelligat mediis duabus ſpeciebus: ergo tunc duæ intellectiones, quæ ſunt duo accidentia in eodem erunt ſubjecto.

Reſp. diſt. maj. ſpecificatur ab objecto ſpecificativè, hoc eſt ſecundùm ſe inſpecto, nego, ut elevato per virtutes corporum Cœleſtium, concedo. Hoc autem modo illa objecta ſunt ſpeciei diverſa, ſicut Cœleſtium corporum virtutes.

Et

Digitized by Google

Et licèt ſpecies non repræſentet *ut quod* talem elevationem, ſicut *ut quod* repræſentat objectum; tamen repræſentat illam *ut quo* quatenus eſt id, quo objectum modo elevato unitur cum potentia. Ad id, quòd additur, nego ant. Illæ namque ſpecies ſe habent per modum unius in eſſe repræſentativo.

Ad id, quod ſubjicitur in argumento. Reſp. vel quòd dum ſecunda producitur, prior deſtruitur: vel quòd illæ tunc ſpecies ſunt diverſæ ſpeciei; eò quòd licèt idem repræſentent ſingulare, diverſimodè tamen, ut iidem ibi tradunt Compl. Species autem ſpecificatur ab objecto ut ſtat ſub illo modo, puta magis, vel minùs abſtracto, quo objectum repræſentat; ſecùs ſpecies illæ non ſolùm ſpecificè, verùm & numericè forent una, quia objectum illud, quod repræſentant, nimirum illud ſingulare eſt unum, atque idem etiam numero. Dicendum igitur, quòd quemadmodum numero, ita & ſpecie duplex eſt, non quidem ſecundùm ſe ſpecificativè inſpectum, ſed in eſſe repræſentat ut ſub illis ſtat modis ſpecie diverſis.

Ad Conſ. primodùm juxta ſententiam, quam 3. Phyſ. propugnavi, quòd actio ſubjectetur in paſſo, objectio nihil concludit, cùm duplex ſit paſſum.

Præterea dicatur, quòd una duntaxat tunc foret actio duas inferens paſſiones. Cùm namque non tanta requiratur in principiis diſtinctio quanta in principiatis; idcircò ſicut ab una eademque cauſa plures prodire poſſunt effectus etiam ſimul, ita eadem ab actione plures paſſiones ſimul, eſtò non ſuccedaneè, eò quòd actio eſt de genere tranſeuntis, & non de linea permanentis. Vel dicatur, quòd una tantùm etiam paſſio infertur, quæ poſtea, ceu accidens corporeum, & quantum, adeoque diviſibile, in duas partitur, ut de calore num. ſequenti 8. ad 3. arg dicetur.

Ad id, quo urg. Reſp 1. cum nonnullis, quos ad 4. arg. in 2. reſponſo ſequitur Guerinois, negando, quòd tunc diverſa producerentur lumina. Siquidem cùm omnia illa luminoſa ſe haberent per modum partialium cauſarum unam conflantium totalem, ut 2. Phyſ. q. 4. art. unico §. 3. ſcripſimus, idcircò per modum unius totalis cauſæ, unum duntaxat totale lumen producentis ſe haberent. Ad prob. annexam, nego conſeq. Eatenus namque lumen illud, toto diffuſum aere, poteſt una, vel pluribus obtenebrari umbris, ſi unum, vel plura interjaceant corpora opaca; quatenus cùm ſit diviſibile lumen illud, & in ſubjecto extenſo, atque diviſibili, exiſtat, poteſt plures privationes, ſive umbras veluti partiales in pluribus ſubire aeris partibus. De quo nonnihil indigitavi lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 7. ſub num. 9. ad 5. arg.

Reſp. 2. cum aliis, quibus adſtipulatur Zuchi, diſt. ant. plura producentur lumina eodem in ſubjecto ſecundùm diverſam partem, concedo, ſecundùm eandem partem, negoant. & conſeq. Illa ſiquidem luminoſa nequeunt eidem admoveri medio eadem cum diſtantia, ſecùs penetrari naturaliter poſſent: Eapropter diverſum producerent lumen diverſis illius in partibus, adeoque diverſo in ſubjecto.

Si inſtes, quòd penetrari ſaltem ſupernaturaliter queunt: ergo ſaltem ſupernaturaliter, &c.

Reſp. negando conſeq. In tali namque caſu unum tantummodo producent lumen. Nec plures poſſent tali in caſu reſultare umbræ, tametſi plura interjacentia forent corpora opaca. Vel tunc ex vi ejuſdem miraculi præpediretur unum ex præfatis luminoſis, ne in actu ſecundo illuminaret.

Ad id, quo magis Urg. Reſp. primitèr, quod ſpecies illæ in eſſe quidditatis, licèt non in eſſe repræſentativi, forent diverſæ ſpeciei propter rationem nuper adductam. Præterea (omiſſo reſponſo Guerinois quod mutatis verbis videtur concedere, quòd obverſæ opinionis Vindices volunt) Reſp. tunc non eſſe plurium ſpecierum reflexiones, ſed duntaxat apparenter plures. Ratio eſt, quia tunc cùm inſpiciantur objecta illa ſpiraliter, hoc eſt quaſdam per ſpiras, & quoſdam per anfractus immittantur ſpecies illæ, fit inde, ut ſecundùm varias ſpiras, quas oculus format, dum inſenſibiliter cietur, multiplices appareant.

8. Arg. 3. Stante cauſæ efficientis numerica unitate plures ab illa poſſunt ſimul prodire numero effectus: ergo pariter ſtante ſubjecti numerica unitate poterunt plura in eo accidentia numero recipi. Conſeq. exacta videtur, Tum quia non minùs ſe habet extrinſecè agens ad ſuos effectus, quàm ſubjectum ad accidentia. Tum quia de cauſa efficienti formari illud poteſt arg. quod ſupra num. 5. *Effectus petit eſſentiali producì à ſua cauſa efficienti; ergo plures numero effectus à pluribus numero cauſis*. Ant. autem prob. tum in igne, qui in plura ſimul agens ligna, plures ſimul efficit calores: Tum in Chriſto, qui actum habuit Charitatis liberum, quo Deum ut viator diligebat, & ſimul Charitatis actum neceſſarium, quo ut Comprehenſor Deo fruebatur; qui actus probabiliori in ſententia ſolo numero diſtinguebantur, cùm ab eodem Charitatis habitu in ſpecie prodirent.

Conſ. Voluntas creata Chriſti erat, non ſolùm principium efficiens, verùm etiam ſubjectum horum duorum actuum: ergo cùm in tali ſententia admittente, Charitatem viæ, & Patriæ eſſe ejuſdem ſpeciei, etiam illi actus ejuſdem ſint ſpeciei, jam plura accidentia, &c.

Reſp. primitèr tranſmiſſo ant. nego conſeq. Ad 1. prob. nego ant. cujus falſitas patet per dicta prægreſſo art. ad 1. arg. nimirum quòd ſubjectum eſt individuativum intrinſecum accidentis. Vide ibi.

Quare autem immultiplicato individuativo extrinſeco poſſit multiplicari individuatum, & immultiplicato individuativo intrinſeco nequeat multiplicari individuatum. Ratio primitùs eſt, quia (ut feſtinè ad 2. prob) illud eſt virtualiter multiplex; præterea quia individuativum intrinſecum cùm ſe habeat ut potentia, & ut receptivum formæ individuatæ, eam limitat, quia eam imperficit: quemadmodum enim potentia à ſuo perficitur actu, ita actus à ſua imperficitur potentia. At cauſa efficiens perficit, & non imperficit effectum.

Ad 2. nego, quòd illud idem fieri queat arg. Ad prob. annexam dato ant. diſt. conſequens à pluribus numero cauſis pluralitate vel formali, vel virtuali, concedo, ſemper formali, nego. Cùm enim cauſa efficiens contineat virtualiter effectum; & virtuale æquivalere formali, imò & reali queat, ut perſæpè de diſtinctione dictitavimus: Idcircò ut efficiens cauſa plures queat effectus realiter diſtinctos producere, ſat eſt, quod ſit tantummodo virtualiter multiplex.

Quare non ſufficiat, ſubjectum eſſe virtualiter multiplex, ut plura ſolo numero diſtincta ſuſcipiat accidentia; Dico, falſum eſſe ſuppoſitum, nempe quòd iſta extet virtualis multiplicitas in ſubjecto ad plura numero accidentia. Quare autem extet in cauſa efficienti, & non in ſubjecto; Pateſcit ratio per dicta ſub num. 5. Quandoquidem ſubjectum recipiendo informationem accidentis, ideſt ſuſcipiendo communicationem accidentis, recipit ejus effectum formalem, cùm effectus formalis formæ ſit ipſa forma communicata. Eapropter ſi iſta extaret multiplicitas, deberet eſſe in ordine ad diverſos numero effectus ſuſcipiendos ſimul; iſti autem poſſibiles non ſunt, ut ſatis ibi tum de quantitate, tum de qualitate conſpeximus; adeoque nec multiplex eſt poſſibilis potentia, cùm hæc ſpecificetur in ordine ad effectum formalem formæ. Hoc autem minimè valet de cauſa efficienti, quæ non recipit effectum formalem à ſuo effectu.

Adde, quòd inter ſubjectum, & accidens, mutua extat cauſalitas in diverſo genere Cauſæ, nimirum materialis, & formalis. Non ſic autem inter cauſam efficientem, & ejus effectum.

Dixi *tranſmiſſo ant*. Poteſt namque abſolutè negari. Ad prob. dici, quòd dum ignis agit in plura ligna per ſeipſum non emittit plures numero calores, ſed unum duntaxat numero calorem, qui per diviſionem, & multiplicationem ſubjectorum, in quibus recipitur, dividitur, & multiplicatur. Ad 2. exemplum patebit feſtinè per dicenda ad Conſ. falſum eſſe, quod actus illi ſolo forent numero diſtincti.

Ad Conſ. nego, quod actus illi ejuſdem forent ſpeciei. Ad prob annexam diſt. erant ab habitu ejuſdem ſpeciei ut directo per idem lumen, nego, ut directo per diverſum lumen, concedo. Actus neceſſarius regebatur ſcientia beata, liber verò ſcientia infuſa. Præterea etiam hypotheticè daro, quòd ab habitu ejuſdem ſpeciei prodirent, ſolummodo ſequitur, non diſtingui ſpecie completa. Poſſunt ſiquidem eodem ab habitu prodire actus ſpecie incompleta, & inadæquata diſtincti, ut ab eodem habitu virtutis Religionis devotio, oratio, adoratio, votum, &c.

Nec aliud intendit ſententia illa. Vult enim, non eſſe diverſæ ſpeciei completæ. Cum quo ſtat, eſſe diverſæ ſpeciei incompletæ, ſicut partes heterogeneæ in animali.

9. Arg. 4. Corpus Chriſti in Euchariſtia plures ſimul ob-

Digitized by Google

tinet præſentias Sacramentales in pluribus hoſtiis ; ſed iſtæ ſunt diſtinctæ duntaxat numero : ergo &c. Maj. eſt extra dubium. Min prob. Plures hoſtiæ, quæ ſunt termini illarum præſentiarum diſtinguuntur ſolo numero ; ergo &c.

Conf. Juxta ſententiam ſatis apud Thomiſtas probabilem, per quamlibet conſecrativam actionem producitur in Chriſti corpore modus quidam, quo Chriſti Corpus dicitur produci, non abſolutè, benè verò ſub novo modo exiſtendi in Hoſtia ; ergo jam in Chriſti Corpore plures erunt modi, pluribus correſpondentes conſecrativis actionibus ; ſed iſti ſolo numero diſtinguuntur : ergo &c.

Reſp. Ad arg. ex D. Th. in 4. ſent. diſt 2. quæſt 1. art. 3, quæſtiuncula 1. ad 3. diſt. maj. itaut relationes iſtæ præſentiarum ſe teneant ex parte Corporis Chriſti, & in eo ſubjectentur, nego, ex parte ſpecierum, ideſt accidentium Sacramentalium, concedo maj. cum min. & nego conſeq. Iſtæ ſiquidem præſentiæ licèt ex parte ſpecierum Sacramentalium reales ſint ; tamen ex parte Corporis Chriſti ſunt rationis duntaxat. Quemadmodum namque Deus denominatur realiter Dominus à relationibus ſervitutis exiſtentibus in creaturis, & deſinit eſſe Dominus ex eo tantùm, quod deſinit realis relatio ſervitutis creaturæ ad ipſum : ita Corpus Chriſti denominatur realiter præſens pluribus Hoſtiis, ſive ſpeciebus Sacramentalibus per præſentiæ relationem, ipſis inhærentes ſpeciebus ; & cùm deſinit ex parte ſpecierum relatio realis præſentiæ ad ipſum Chriſti Corpus, ſola rationis relatio adimitur Chriſti Corpori.

Adde etiam aptius exemplum. Deus dicitur verè, & realiter præſens ſubſtantialiter omnibus rebus, ſicut Chriſti Corpus dicitur verè, & realiter præſens Sacramentaliter omnibus Hoſtiis ; ergo ſicut eſſe præſens ſubſtantialiter omnibus rebus non ponit relationem realem præſentiæ ex parte Dei, ſed ex parte duntaxat creaturarum, ita &c.

Sic reſponderi communiter conſuevit. At non hic mea quieſcit mens. Quandoquidem ideo ex parte Dei extat relatio duntaxat rationis, quia Deus eſt incapax relationis ad aliquid creatum. At non ſic Chriſti Corpus, ceu non infinitum, non actus purus, &c.

Nihilominùs præfatum tutando reſponſum dico primitèr, nullam adeſſe ex parte Corporis Chriſti relationem realem; quia altò ſit illius capax ; tamen nullam ibi mutationem intrinſecam ſubit. Præterea reſponderi poteſt, quòd ex parte Corporis Chriſti extat quidem realis relatio, ſed tamen una tantùm, quæ terminat relationem omnium Hoſtiarum, quibus fit præſens, licèt ex parte Hoſtiarum, ſive ſpecierum, ſint plures juxta Hoſtiarum pluralitatem. Ratio eſt, quia cunctas illas reſpicit ut plures terminos materiales per modum unius termini formalis ; non ſecùs, ac in Logica dictum eſt, quòd idem Pater unica relatione terminat plurium filiorum relationes, & ad eos unica correfertur relatione. Ibi videndum.

Ad conf. dico primitùs, ſententiam illam plauſibilem non eſſe. Eadem ſiquidem S. Th. ratio explodens à Chriſti Corpore præſentiæ relationem, nimirum quia Chriſti Corpus immutatum manet, adeoque non aliter nunc ſe habens recentem aliquam ſuſcipiendo relationem, ac priùs; explodit quoque talem modum recenter in Chriſti Corpore productum.

Nec obeſt, quòd actio conſecrativa dicatur, Chriſti Corpus aliqualiter producere ſub novo in Hoſtia eſſendi modo. Non, inquam, quia non eſt neceſſum (ut inquit Mariatta) quòd modus ille ſit Chriſti Corpori intrinſecus, ſed ſat eſt, ſpeciebus conſecratis intrinſecum eſſe, ſive iſte modus ſit ſola relatio præſentiæ, ſive quid aliud, vel etiam immutatio poſitiva ſubſtantiæ panis, & vini, quæ ſubſtantiæ ex pane & vino tranſubſtantiantur in Chriſti Corpus.

Præterea Reſp. quòd illa in ſententia talis, qui producitur modus, eſt ſubſtantialis, & non accidens aliquod.

Dici demum poteſt, quòd tametſi unam per conſecrativam actionem talis producatur in Chriſti Corpore modus ; per alias tamen actiones ſequentes non alius producitur modus, ſed duntaxat extenditur primus novam ad Hoſtiam : Non abſimili modo, ac eitò prima generativa actio producat in generante relationem, reliquæ tamen ſequentes actiones non novam relationem producunt, ſed priùs productam ad novum extendunt terminum. De quo lege, quæ ſcripſi in Logica Syntag. 4. quæſt 5. art. 4. Et quando contingit, quòd plures fiunt conſecrationes, ſicut idem iſtæ producunt Corpus, ita quoque eundem producere poſſunt modum ut plures cauſæ in actu ſecundo partiales, & per modum unius totalis.

QUÆSTIO TERTIADECIMA

De Ente à materia privativè ſejugato, ideſt De Anima ſeparata.

POſtremò hic locò caliginoſa, imò & tenebroſa ſe exhibet quæſtio.

Ens à materia ſejunctum duplex extat. Unum eſt ſeparatum negativè, nimirum cum incapacitate ad uniri materiæ. Hujuſcemodi eſt Angelus, & multò magis Deus. De iſto etiam ente hic nonnemo agit. At quia tum de Deo, ejuſque exiſtentia, ac attributis, tum de Angelis diffusè Theologus pertractat p. p. idcircò omitto. Aliud eſt ſeparatum privativè, hoc eſt cum capacitate ad uniri ut forma alicui materiæ. Et hoc eſt rationalis Anima à corpore ſeparata, de qua impræſentiarum. Et licèt conſideratio Animæ pro ſtatu conjunctionis ad corpus ſpectet ad Philoſophiam, eò quòd prout ſic habet concernere materiam ſenſibilem, cùm ſit principium operationum conjuncti, cujus complures ſunt ſenſationes ; & intelligat per converſionem ad phantaſmata ; tamen conſideratio ejuſdem Animæ ut à corpore ſegregatæ eſt Metaphyſicæ ; quoniam prout ſic, ceu ab omni abſtrahens materia, eſt pars ſubjectiva objecti metaphyſici, cadens ſub ratione formali ejuſdem metaphyſicæ, quæ ratio eſt abſtractio ab omni materia.

ARTICULUS PRIMUS.

Num ſtatus ſeparationis ſit naturalis, vel præternaturalis Animæ rationali.

§. I.

1. QUòd rationalis Anima ſit corpori ſuperſtes oſtenſum eſt lib 3 de Anima, & videri poteſt noſter Melchior Canu de locis Theologicis lib. 12. cap. 15. ſub finem. Dubitatio modò emergit, ſit ne talis ſtatus Animæ rationali naturalis, vel præternaturalis, vel ſupernaturalis, vel violentus. Circa quod opiniones percenſentur quatuor.

2. Prima jam exſoleta non tantùm aſſeverabat, ſtatum ſeparationis eſſe Animæ rationali naturalem, ſed & ita addebat, eſſe connaturalem, ut ſolus ille ſtatus ei connaturalis foret ; ſtatus verò unionis ad corpus eſſet ipſi violentus ac pœnalis. Hanc poſt Platonem, & alios tenuit Origenes, contra quos ſtat S. Th. p. p. q. 118. art. 3. & 4. Contra Gentes cap. 79. & q. unica de Anima art. 7. & 8. oſtendens, erroneum eſſe, quod ipſi ſenſerunt, Animas fuiſſe in ſtatu ſeparationis prius conditas, & in ſupplicium propriorum reatuum corporibus copulatas. Hanc eandem tenuit Avicen-

na 9.

na 9. Meth. 1. & Seneca Epiſt. 102. ad Luciliam, ſed alio ex motivo; quia nimirum dictitabant, in ſtatu ſeparationis clariùs veritatem agnoſcere.

Secunda retur, utrumque ſtatum eſſe Animæ rationali connaturalem, licèt ſtatum conjunctionis eſſe magis connaturalem. Hanc amplexantur Suarez lib 2. de Anima cap 9. Rovius tract. de Anima ſeparata dub. 6. & citatur pro ea Scotus in 4. ſent. diſt. 49. q. 2. licèt ſuum in ſenſum eum trahere nitatur Maſtrius in lib. de Anima diſp. 8. q. 1. n. 6. ubi ſcribit idem Maſtrius, unionem ad corpus mortale eſſe Animæ rationali naturalem; ſtatum verò ſeparationis eſſe magis ei connaturalem; & tandem ſtatum unionis ad corpus immortale eſſe ei connaturaliſſimum.

Tertia arbitratur, ſtatum ſeparationis eſſe Animæ rationali violentum. Hanc elegit Ferrarienſis 4. contra Gentes cap. 88. & 94. Quæ ſententia & mihi probabilis ſemper viſa eſt, ſaltem de innato appetitu loquendo.

Quarta propugnat, ſeparationis ſtatum eſſe Animæ rationali præternaturalem. Hanc tutantur Cajet. p. p. q. 89. art. 1. Banez ibidem dub 2. concl. 3. quos refert, & ſequitur Zuchi hic, & Lerma in 3. de Anima, ex quo Zuchi, licèt Lermam non citet.

§. II.

CONCLUSIO.

Status ſeparationis, non abſolutè, ſed duntaxat ex ſuppoſitione eſt Animæ rationali connaturalis; ſtatus verò unionis ad corpus eſt illi naturalis abſolutè; & demum ſtatus reunionis ad corpus ſive mortale, ſive immortale, eſt eidem ſupernaturalis, ſaltem quò ad modum.

3. PRob. 1. quò ad p. p. Anima phyſicè inſpecta eſt ſuapte natura pars corporis, & nonnihil incompleta, carens quadantenus aliquo complemento modo dicto antegreſſa quæſt. art. 3. num. 6. ad 2. arg. ſed res aliqua carens complemento, ex quo fiat totum, non eſt in ſtatu naturali; ergo cùm iſto careat Anima ſeparata non erit prout ſic in ſtatu naturali abſolutè.

Nec proderit fugam arripere dicendo, quòd Anima eſt completa *ut quod*, licèt non *ut quo*. Non, inquam, proderit, Tum quia ſaltem *ut quo* aliquo caret complemento. Tum quia etiam *ut quod* licèt non ſit ſimpliciter incompleta, eò quòd eſt per ſe exiſtens; tamen eſt nonnihil etiam *ut quod* incompleta, quia caret ſubſiſtentia formali, ſolumque radicalem poſſidet ſubſiſtentiam, ut conſpeximus 1. Phyſ. q. 6. art. 3. §. 2. ſecùs ſeparata foret ſuppoſitum, & perſona, ac incommunicabilis eſſentialiter alteri, non ſolùm ut ſuppoſito, verùm etiam ut ſubjecto informationis; quia incommunicabilitas alteri ut ſuppoſito cùm ſit ultima præſupponit omnes alias incommunicabilitates, ut ibidem conſpeximus.

Nec iterum juverit præfugere cum Maſtrio, diſtinguendo de unione ad corpus mortale, vel ad immortale. Non, inquam, quia modo loquimur de Anima ab omni ſeparata corpore.

De quo iterum §. ſequenti 3. num. 7. ad 1. arg.

4. Prob. præterea quò ad eandem p. evertendo Maſtrii fundamentum. Ideo ſeparationis ſtatus aſſeveratur à Maſtrio connaturalis Animæ rationali, imò & magis connaturalis, quia Anima ſeparata majorem ſortitur perfectionem perfectiùs intelligendo ſine converſione ad phantaſmata, magis durando, quàm duraret in corpore mortali &c. ſed ratio iſta nulla eſt; ergo &c. Prob. min. biſormiter. Primò. Perfectio Animæ rationalis eſt perfectio perfectiva, cùm ſit eſſentialiter forma corporis; ſed perfectio formæ perfectivæ, ut ſit in ſtatu connaturali, debet eſſe in ſuo perfectibili: ergo perfectio Animæ rationalis ut ſit in ſtatu abſolutè connaturali debet eſſe in corpore. Prob min. Perfectio perfectiva ut talis connaturaliter petit perficere, ſicut perfectibile petit perfici. 2. Major illa perfectio eſt perfectio duntaxat accidentalis, nimirum quò ad operationem, durationem, &c. quæ accidunt rei; ſed perfectio accidentalis non inducit connaturalitatem ſubſtantialem: ergo &c. Quamobrem abſolutè loquendo eſt violentus.

Quòd verò talis ſtatus ſit connaturalis ex ſuppoſitione Prob. Semel ſuppoſito, quòd Anima fuerit ſeparata, eſt ei connaturale, ſic ſeparata exiſtere, quia ceu à materia independens, petit eſſe corpori ſuperſtes; & aliàs nullum habet naturalem appetitum, ſaltem innatum (quicquid ſit de elicito) ad reunionem cum corpore, cùm ſit naturaliter impoſſibilis, & ad naturaliter impoſſibile non extet naturalis innatus appetitus, quia foret fruſtraneus, ut conſpeximus 1. Phyſ. q. 2. art. 6. tutando, quòd materia non appetat formas amiſſas, nec etiam inefficaci appetitu: ergo tali facta hypotheſi erit ei connaturalis.

Nec mirum cuiquam ſit, id quod non eſt connaturale abſolutè, fieri connaturale ex aliqua ſuppoſitione. Non, inquam, ſicut nec mirum eſt, id, quod non eſt neceſſarium abſolutè fieri neceſſarium aliqua ex hypotheſi, V. G. voluntas eſt libera ad præpediendam, vel non præpediendam viſionem; & tamen ex ſuppoſitione apertionis oculorum neceſſitatur ad non impediendam viſionem medio illuminato. Item electio mediorum non eſt abſolutè neceſſaria; & tamen ſuppoſita efficaci volitione finis eſt neceſſaria. Similiter Intellectus non neceſſitatur abſolutè ad aſſentiendum concluſioni, & tamen ſuppoſito præmiſſarum aſſenſu neceſſitatur quò ad exercitium ad aſſentiendum concluſioni.

Non autem placet ſententia Cajet. & aliorum, dicentium, ſtatum ſeparationis eſſe Animæ rationali præternaturalem. Non, inquam. Quandoquidem inde ſequeretur, etiam ſtatum unionis ad corpus eſſe præternaturalem; ſed hoc &c. ergo &c. Prob. ſequela maj. Per ly *præternaturale* idem intenduot, ac *indifferenter*; eum ad modum, quo ignis in Lunæ cavitate indifferenter ſe habet ad moveri circulariter, & idcircò talis motus eſt ei præternaturalis; quia naturaliter ſurſum fertur; ſicut etiam aer indifferenter ſe habet ad tenebras, & propterea tenebræ ſunt ei præternaturales; ſed Anima ſeparata per ipſos eſt etiam indifferens ad corpori uniri; ergo &c.

Adde quòd Anima ſeparata non dicit indifferentiam ad corpori reuniri dimittendo ſeparationis ſtatum, ſed poſitivam ineptitudinem, ceu ad id, quod eſt naturaliter impoſſibile; ſicut quod eſt ſupernaturaliter impoſſibile, eſt quoque ſupernaturaliter ineptum.

5. Prob. quò ad 2. p. per nuper dicta, quia nimirum Anima eſt perfectio perfectiva corporis, &c. abſolutè: ergo eſt ei abſolutè connaturale uniri materiæ ad eam perficiendam.

Idipſum apparet ſumma ex violentia, quam patitur Anima dum morbo, vel alia via à corpore ſejugatur, ſecùs ipſa nunquam corpus dimitteret; & per accidens in corpore non perdurat ex deficientia diſpoſitionum neceſſariarum. Intellige tamen de violentia, quam patitur, non quidem ſecundùm appetitum elicitum (reſpectu cujus poteſt eſſe vel propter dubium, timoremque æternæ ſalutis, vel ob omiſſionem bonorum, amicorum &c.) ſed ſecundùm appetitum innatum, quam patiuntur præſertim extremo in agone vel ipſi mente capti.

Et per hoc ſponte ſuo, nemineque impellente, ruit Maſtrii fundamentum. Quandoquidem eſtò unita immortali corpori Anima ſeparata majorem obtineat perfectionem; tamen iſta perfectio eſt ſupernaturalis, & ſupernaturaliter habita.

Accedit, quòd major perfectio iſta eſt accidentalis, at non ſubſtantialis, qualis eſt illa, quam petit abſolutè, ut quid incompletum, & pars phyſicè.

§. III.

Adverſariorum argumentationes diſſolvuntur.

7. ARg. 1. probando, ſtatum ſeparationis eſſe Animæ rationali violentum etiam ex ſuppoſitione. Tunc aliquid eſt in ſtatu violento, quando eſt in ſtatu in quo ſuum non obtinet eſſe completum; ſed Anima in ſtatu ſeparationis, ceu pars à toto ſegregata, non habet ſuum eſſe completum etiam tali in hypotheſi, ut vel nos num. 3. ſcripſimus: ergo Anima in ſtatu ſeparationis eſt in ſtatu violento. Maj. liquet; contra enim entis complebilis eſt, non compleri.

Conſ. Anima etiam ex ſuppoſitione ſtatus ſeparationis eſt ſuapte natura perfectio phyſicè perfectiva: ergo contra naturam ejus eſt, non perficere materiam.

Reſp. diſt. maj. ſi pro illo ſtatu ſit & poſſibile, iterum tale naturale complementum, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. & aliàs ſemel ſuppoſito ſtatu ſeparationis eſt

impoſſibile, quòd naturaliter tale acquirat complementum, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Quoties namque perfectio aliqua eſt alicui impoſſibilis, tunc ejus carentia non eſt violenta. Sic V. G. non eſt violentum Homini non volare, non eſſe Angelum, &c. quia id eſt ei impoſſibile. Sed

Contra. Propterea dicit arguens, talem ſtatum violentum eſſe, quia eſt impoſſibile naturaliter complementum, adeoque ſolutio laborat petitione principii. Quamobrem inſtatur ſic. Quod eſt in ſtatu, quo ſuo caret complemento eſt in ſtatu violento: ergo multò magis, quod nec habere illud poteſt, erit in ſtatu violento.

Reſp. utique id dici ab opponente poſſe, haud tamen benè. Quandoquidem per hoc, quod aliquis caret re ſibi non debita, non eſt in ſtatu violento, ſecùs foret in ſtatu violento Humo volare non potens. Quicquid autem eſt naturaliter impoſſibile, eſt non debitum; quia latiùs patet poſſibile, quàm debitum, cùm plura ſint poſſibilia etiam naturaliter, quæ debita non ſunt, V. G. poſſibile eſt, objicientem eſſe Regem, Papam, &c. non tamen eſt ei debitum. At omne debitum debet eſſe poſſibile, cùm nemo jus habeat ad impoſſibile.

Ad inſt. diſt. ant. Si ei debitum ſit tale complementum, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Sicut non eſt in ſtatu violento Beatus minori fruens gloria in Patria, ac alius, quia non eſt ei debita. Hoc ipſo autem, quod eſt naturaliter impoſſibile tale recuperare complementum eſt quoque ei indebitum.

Contra. Licèt carere eo, quod nuſquam fuit debitum, & eſſe impoſſibile id, quod nuſquam fuit naturaliter poſſibile, non ſit violentum; benè tamen carere aliquo, quod fuit aliquando debitum, & poſſibile; ſed tale complementum fuit aliquando Animæ poſſibile, & debitum: ergo ſi poſtea fiat ei impoſſibile, & indebitum erit violentia. Prob. maj. Etiam cæco eſt naturaliter impoſſibilis recuperatio viſus; & tamen quis finget, eum non pati violentiam carendo viſu, quondam ei poſſibili, & debito, ſi legerit Tobiæ lamentationem *quale gaudium erit mihi qui in tenebris ambulo, & lumen Cœli non video?*

Reſp. nego ant. Carere namque aliquo, quod abſolutè, ideſt nuſquam poſſibile fuit, aut debitum, eſt naturale, non tantùm aliqua ex ſuppoſitione, verùm etiam abſolutè: ergo pariter carere aliquo, quod non eſt poſſibile, proindeque nec debitum ex aliqua hypotheſi, erit naturale; non quidem abſolutè, ſed ex tali hypotheſi.

Ad prob. ant. dici primodùm poteſt, quòd patitur violentiam ſecundùm appetitum elicitum, qui cùm dirigatur cognitione elicientis, poteſt fruſtrari; at non ſecundùm appetitum innatum, qui non eſt ad aliquid naturaliter impoſſibile, ſecùs foret fruſtraneus. Fruſtrari autem nequit innatus appetitus, cùm ſit à natura, quæ nihil operatur fruſtra, ideſt à Deo, authore naturæ, ut conſpeximus 1. Phyſ. q. 3. art. 6. Ob idque ſolùm ſequitur, quòd poſſet anima ſeparata pati violentiam ſecundùm appetitum elicitum, niſi aliquas majores obtineret perfectiones, quibus allici elicitus ſolet appetitus: Imò & fortaſſis pateretur, niſi gloria in Paradiſo tali violentiæ remedium afferret, cùm ſciat, eſſe ſibi ſupernaturaliter poſſibile, imò, & futurum reuniri.

Præterea Reſp. eſſe diſparitatem, quia naturalis impoſſibilitas viſus provenit, non ab intrinſecis, cùm adhuc viſivam retineat potentiam, ſed ab extrinſeco ex aliqua indiſpoſitione organum afficiente.

Dices. Impoſſibilitas reunionis ad corpus non ab intrinſeco, benè verò ab extrinſeco eſt, quatenus ſic Deus decrevit, quòd non fiat regreſſus naturaliter: ergo quantùm eſt ex ſuis intrinſecis ſemper fertur, ac inclinat ad corpus, adeoque ſi præpediatur, patietur violentiam. Prob. ant. Anima adhuc ſeparata retinet capacitatem ad reuniri cum corpore: ergo &c.

Reſp. nego ant. ſecùs nullatenus ſupernaturalis foret mortuorum reſurrectio. Ad prob. diſt. ant. retinet capacitatem obedientialem, concedo, naturalem, nego ant. & conſeq. Solutio latè conſtat per dicta 1. Phyſ. q 3. art 6. §. tum 1. tum 2. talem nimirum impoſſibilitatem eſſe ab intrinſecis, quia nempe ſic bonum univerſi petit in rerum viciſſitudine; res autem ſuis ex intrinſecis inclinatur in univerſi bonum: & reliquas propter rationes ibi videndas. Poſt diem autem judicii, quando Anima corpori reunietur, non ampliùs erunt rerum viciſſitudines; & inſuper talis reunio ſupernaturaliter, & non naturaliter fiet. Item non petit univerſi bonum, quod quis cæcus exiſtat.

Et ſanè quamvis non ita foret, quòd ſic decreviſſet Deus, ſcire ab opponente amabo, quomodo poſſet naturale agens naturali virtute mortuorum quempiam à mortuis revocare.

Dices. Tale complementum ut recuperandum eſt ſupernaturale duntaxat quò ad modum, non verò quò ad ſubſtantiam, cùm corpus, & Anima ſint naturales ſubſtantiæ: ergo erit impoſſibile ſolummodo quò ad modum, at non quò ad ſubſtantiam, adeoque quò ad ſubſtantiam Anima in illud inclinabitur.

Reſp. conceſſo ant. diſt. conſequens, quò ad modum reddentem de conſequenti impoſſibilem ipſam ſubſtantiam, concedo, ſecùs, nego conſeq. Cùm etenim abſque tali ſupernaturali modo nequeat talis acquiri ſubſtantia, ſit de conſequenti impoſſibilis etiam ipſa ſubſtantia, adeoque nec in illam inclinabit.

Hinc perperam Zuchi hic q. 16. art. 2. docet in Anima ſeparata remanere inclinationem quò ad ſubſtantiam, licet non quò ad modum.

Dices denique. Ad hoc, ut talis appetitus & inclinatio non ſit fruſtraneus, ſat eſt, quòd aliquando fuerit ad actum reductus. Sicut ut intellectus agens non fruſtra remaneat in Anima ſeparata, ſat eſt quòd aliquando fuerit redactus ad actum.

Reſp. primitùs nego ſuppoſitum, quòd ſcilicet fuerit aliquando redactus ad actum relatè ad corpus ut reuniendum. Fuit enim redactus ad actum relatè ad corpus ut uniendum, nuſquam verò in ordine ad illud ut reuniendum.

Præterea dicatur, quod intellectus agens in Anima ſeparata deſervit ſaltem ejus ad ornatum. Ille autem appetitus, ſi extaret in Anima, non deſerviret, niſi ad violentiam Animæ. Imò Zuchi hic art. 4. vult, quòd intellectus agens etiam in ſtatu ſeparationis aliquid agat, nimirum quòd ſit id, medio quo intellectus poſſibilis juvatur ad intelligendum, licèt non explicet quomodo. Poteſt tamen explicari ex Lerma lib. 3. de Anima quæſt. 30. num. 10. quòd nimirum intellectus agens ibi confortat ſpecies hic acquiſitas, ut ex D. Th. 3. contra Gentes cap. 45. in fine & q. de Anima art. 15. habent Cajet. 3. p. q. 13. art. 9. Banez p. p. q. 70. art. 3. & Ferrarienſis 3. Contra Gentes cap. 4. Quæ poſtea ſpecies determinant ſpecies infuſas, ut dicemus art. 3. num. 6.

Ex his habes, quòd licèt unio Animæ cum corpore ſit naturalis, non tamen reunio: & quòd corpus, ſive materia ut unibilis ſit naturalis Animæ, non tamen ut reunibilis, ſed hoc modo eſt ſupernaturalis.

Nihilominùs uti §. 2. has propter objectiones, nuper ſolutas, negari haud poteſt, ſententiam Ferrarienſis valdè probabilem eſſe.

Aliud arg. ab auth. D. Th. contra hanc eandem p. vide ſolutum 1. Phyſ. q. 3. art. 6 §. 3. n. 8. ad ult. arg.

Et per hæc habes ad Conſ. Siquidem diſt. ant. Phyſ. perfectiva perfectione eodem modo communicabili, nego, diverſo modo communicabili, concedo ant. & nego conſeq. Non enim tunc eſt communicabilis, & reunibilis, niſi ſupernaturaliter.

Solutio quædam, quam habent Conimbr. & Vaſquez, qui videntur controverſiam hanc adduxiſſe ad litem de nomine, quid nimirum veniat nomine violenti; volentes, violentum illud dici, quod eſt contra rei efficientiam, refellitur ab Arriaga. Quandoquidem in ſententia etiam illorum, qui docent, materiam poſſe ſupernaturaliter exiſtere ſine forma, exploratum eſt, quod ſi materiæ omnis forma denegetur, foret in ſtatu violento, neque ſine injuria ejus fieri id poſſe, & tamen nemini dubium eſt, formam non effici à materia. Item advertit contra eoſdem Conimbr. & Vaſquez poſſe aliquid perficere ſubjectum aliquod, tametſi ab illo non exigatur, ſicut lux perficit aerem, & tamen ab iſto non poſitivè exigitur, ſecùs aer ſine luce foret in ſtatu violento. Verum eſt tamen, quod iſto in caſu forma dicitur præternaturalis, ut lux aeri, &c. Idcirco concludendum venit, violentum eſſe omne illud, quod eſt contra poſitivam inclinationem, & exigentiam. Et de eo ſatis egimus 2. Phyſ. ferè ab exordio poſt naturæ definitionem diſpicatam.

8. Arg. 2. probando, ſtatum ſeparationis eſſe Animæ rationali naturalem etiam abſolutè. Rationalis Anima ſepa-

ſeparata perfectiorem obtinet intelligendi modum, puta ſine converſione ad phantaſmata; item diutiùs ſic durat, quàm in corpore, ſaltem mortali: ergo talis ſtatus eſt ei connaturalis, magis, quàm ſtatus unionis ad corpus ſaltem mortale; adeoque ſi iſte eſt illi connaturalis, abſolutè, multò magis ille.

Ad hoc reſponſum jam fuit num. tum 4. tum etiam 5. Eapropter per ibi dicta diſt. ant. & aliàs hujuſcemodi perfectiones ſunt accidentales, concedo, ſubſtantiales phyſicæ, nego ant. & conſeq. Præterea aliam diſtinguo antecedentis partem, & aliàs per accidens eſt, nimirum ex diſpoſitionum deficientia, quòd adeo parùm mortali duret in corpore, concedo, de per ſe, nego ant. & conſeq. Per ſe namque, & quantùm eſt de ſe optaret appetitu ſaltem innato, in ævum in eo perdurare, & nunquam vellet diſpoſitiones deficere. Quod deprehenditur ex horrore, quo afficitur, mortis.

9. Arg. 3. ex Maſtrio. Anima unita immortali corpori habet perfectiſſimum eſſe: ergo talis ſtatus erit ei connaturaliſſimus, ſaltem per ſe loquendo, quicquid ſit de per accidens, ut in damnatis, ceu illis, qui & in Anima torquendi erunt, & in corpore.

Reſp. per dicta num 6. diſt. ant. habet naturaliter tale perfectiſſimum eſſe, nego, ſupetnaturalitet, concedo ant. & nego cnoſeq. Vid. ibi, ſicut & num. 7. ad 5. arg. ſub finem, ubi ſcripſi, quòd corpus licèt ut unitum, vel uniendum ſit Animæ naturale, non tamen ut reuniendum, ſecùs naturalis foret mortuorum reſurrectio. Sic lib. 2. de Gener. & Corrupt. diximus, quòd res eſt naturalis ut producibilis, non tamen ut reproducibilis; Idcircò res ſemel corrupta nequit naturaliter reproduci.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid retineat Anima ſeparata.

§. I.

1. NEmine inficias eunte, Anima ſeparata inorganicas retinet potentias, quales ſunt voluntas, & intellectus, tum poſſibilis, tum agens; quia iſtæ cùm non ſubjectentur in corpore, & ſint à corpore independentes in ſuo eſſe, quemadmodum ſunt in operari, quod ſequitur ad eſſe, ut 3. de Anima conſpeximus, probando, poſſe Animæ rationalis immortalitatem naturali demonſtrari ratione, Idcircò non pereunt corpore pereunte.

Dubium autem emergere ſolet quòad plura alia. Et primò num organicas retineat potentias, ideſt ſenſitivas, ut annuunt Nominales, & ferè omnes PP. Societatis cum illis omnibus, qui tenent, has potentias realiter cum Anima identificari, contra quos nos lib. 2. de Anima dimicavimus, abnuunt verò Thomiſtæ; imò & Scotiſtæ cum Scoto in 4. diſt. 44. q. 2. §. *ad quæſtionem*, quamquam Scotiſtæ grandes impingat in ſcittes, cùm ex una parte etiam ipſi doceant, has potentias eſſe realiter idem cum Anima, & duntaxat formaliter ex natura rei, non verò realiter ab illa diſtingui; & ex alia parte nullum majus ſit realis diſtinctionis ſignum, quàm realis ſeparatio. Et licèt Maſtrius diſp. 8. de Anima q. 2. art. 1. num. 13. eas totis viribus declinare nitatur, haud tamen feliciter, ut cuique legenti perſpicuum fiet.

Secundò. Dubitatur, num eadem in Anima ſeparata remaneant operationes ſenſitivæ. Circa quod contra omnium ſenſum veluti paradoxum aſſeverare non dubitavit Jo: Bapt. du Hamel hic tom. 3. qui eſt de Meth. tract. 3. q. 2. Inficiantur verò reliqui, etiam illi, qui cenſent, eam retinere potentias ſenſitivas; quia (dicunt) eſtò remaneant potentiæ illæ operativæ; non tamen talium operationum ſubjectum, quod eſt corpus, cùm operationes ſint corporeæ; & præterea quia non remanent inſtrumenta, mediis quibus ab Anima exerceantur, nimirum organa, ut videre eſt apud Arriagam, & alios.

Dubitatur 3. num retineat ſpecies, & habitus hic acquiſitos. Quod probabiliter negat Ocham, in 4. diſt. 1. q. 1. quibuſdam cum aliis paucis Nominalibus; aſſeverant verò reliqui.

§. II.

CONCLUSIO.

Anima ſeparata non retinet, niſi radicaliter potentias organicas, & multò minùs earum operationes, nimirum ſenſationes; benè verò retinet ſpecies, & habitus hic acquiſitos.

2. QUò ad p. p. fit certa per dicta lib. 2. de Anima q. 3. art. 3. ubi probavimus, organicas potentias ſubjectari ut in ſubjecto *quod* in ipſo corpore; pereunte autem ſubjecto perit forma, quæ in illo ſubjectatur, naturaliter loquendo.

Hinc minimè percipio quomodo hanc concl. congruè probare queat Scotiſta, qui (ut loco nuperrimè appellato conſpeximus) negat, tales potentias in corpore ſubjectari. Propterea mirum, quòd hac ratione utatur ubi ſupra Maſtrius num. 12.

Ea ex re inferas contra Du. Hamel, multo minùs ſenſitivas remanere operationes. Vide dicta ante greſſo §.

3. Quòad 2. probant nonnulli ex illo Lucæ 16. *Recordare fili, quia recepiſti bona in vita tua.* Verùm quia dicere de facili quis poſſet, quòd dives in inferno recordabatur per ſpecies, quas illi majorem ejus ad triſtitiam infuderat Deus in actu ſeparationis Animæ à corpore. Ideo aliter

Prob. Eadem de ſpeciebus, & habitibus in intellectu reſidentibus, videtur ratio, ac de Intellectu, & voluntate; quia nimirum ceu ſpirituales non ſubjectantur in corpore, adeoque iſto pereunte non pereunt.

Conf. Quicquid corrumpitur, vel corrumpitur per ſe, nimirum ſuo à contrario, vel per accidens ad ſubjecti ſui corruptionem; ſed nullo ex his modis corrumpuntur ſpecies, & habitus hic acquiſiti: ergo perdurant iſti in Anima ſeparata. Prob. min. 1. quòad p. p. Eorum contrarium eſt vel opinio, vel error, vel vitium, &c. In actu autem ſeparationis non tales acquirit habitus, aut ſpecies, cùm nec infundantur à Deo, à quo habitus inclinantes ad falſum non prodeunt; nec ab objectis, de quibus in talibus anguſtiis cogitare vix poteſt. 2. quòad 2. Subjectum eſt Intellectus, qui perfectò non corrumpitur.

4. Probo præterea. Anima, quæ hinc abſcedit vitioſa cum habitibus, eos in inferno retinet, cùm damnati ſuis ſint cum vitiis, mediis quibus incunctanter ad malum inclinantur, licèt ceu illi, qui ſunt in termino, non ampliùs demereantur. Quamobrem cùm iſtos exploratum ſit, non poſſe à Deo infundi, fatendum venit, eſſe habitus illos vitioſos, quos hic acquiſiere: ergo pariter & virtuoſos retinebit habitus. Et quòd de Voluntatis habitibus dicitur omnimoda eſt cum paritate de Intellectus habitibus, & ſpeciebus dicendum. Hinc Hierony. in prologo Bibliæ & in Epiſtola ad Paulinum *diſcamus*, inquit, *in terris, quorum ſcientia perſeverat nobiſcum in Cælo.*

§. III.

Obverſæ partis argumenta ſolvuntur.

5. ARg. 1. contra p. p. Potentiæ organicæ identificantur realiter cum Anima rationali, & cum potentiis inorganicis; ſed illæ remanent: ergo & iſtæ. Maj. prob. omnibus argumentis allatis lib. 2. de Anima q. 3. art. 2.

Reſp. nego maj. ad cunctas illas prob. habes per ibi dicta. Nec fas eſt hic, talem agere cauſam, quæ diverſa eſt ab iſta, licèt cum iſta connexa.

6. Arg. 2. contra eandem p. probando, remanere ſenſationes, ex illo citato loco Lucæ 16 *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*: ergo Anima ſeparata ſenſibilibus afficitur objectis, adeoque ſentit.

Conf. ex Du Hamel. Anima unita corporis ſentit: ergo & ſeparata. Prob. conſeq. Principium ſentiendi eſt Anima. Triſtatur, & lætatur Animus, non corporis moles.

Reſp. ad arg. inſtando. Siquidem eſtò ibi nominetur lingua, & digitus non ſequitur, quòd Anima Epulonis, linguam, & Anima Lazari digitos habeat; ergo pariter eſtò ſenſibilium objectorum affectiones nominentur, non ſequitur, eas extare. Quamobrem dicendum eſt quondam per corpo-

corporales effectus ad noſtrum intelligendi modum repræſentari, quantùm ſit amabilis, vel minima beatitudinis portio.

Contra. Damnatos fert pœnam, non tantùm damni, verùm etiam ſenſus, nri fidei eſt dogma; ſed niſi in Anima extarent hujuſcemodi ſenſibilium objectorum affectiones, nullam ſubiret ſenſus pœnam; ergo &c. Min. evidens extat. Cùm namque nec ſenſus, nec ſenſationes haberet, jam nihil nec pœnam, nec delectationem ſentire poſſet.

Reſp. hoc idem arg. de Angelis damnatis valere, utramque ſubeuntibus pœnam; & tamen exploratum eſt, in Angelo nec ſenſum, nec ſenſationem habere locum, adeoque nec per abſolutam Dei potentiam ſentire poſſe; ſicut nec per abſolutam Dei potentiam intelligere valeret, qui intellectus expers foret.

In forma itaque, nego min. Ad prob. dicas, quòd nomine pœnæ ſenſus venit pœna quælibet illata ab objectis extrinſecis, quæ nata ſint affligere corpus, ut ignis, &c Et in hoc Univerſi conſentiunt, ut videre eſt apud Jo: à S. Th. in tract. de Angelis q. 54. diſp. 24. art. 3. eſtque doctrina D. Th. p. p. q. 64. art. 4. ad 1. & 10 2. ſent. diſt. 6. art. 3. ad 6. & in 4. diſt. 1. q. 3. & diſt. 44. q. 3. art. 3 q. 3. in corp. & q. & diſt. 45. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 3 & q. 26. de ver. art. 1. in corp. & quodl. 2. art. 15. in corp. & quodl 3. art. 23. & alibi paſſim. Et concordat Scotiſta cum Scoto in 4 diſt. 44. q. 2. *§. ad quæſtionem*, uti videre eſt apud Maſtrium diſp. 8. de Anima q. 2. art. 1. num. 14. Cruciantur igitur, non per alterationem, ſed per animi triſtitiam de duplici alligatione, quam ibi patiuntur, quarum una eſt ad inferni ignem tanquam ad carcerem, altera, per quam ita corporali alligantur igne, ut exire ſuas in operationes nequeant, ſicut ſi foret quis funibus, & catenis vinctus. Quæ alligatio eſt ſpiritui pœna acerbior, quam ſi corporales ferret adustiones. Quibus additur afflictio ſumma, quia ſciunt, futuram eſſe unionem corporis comburendi. Vid. Jo: à S. Th. loco nuper appellato, & fuſiùs Salm. p. 2. in tract de vitiis, & peccatis q 87. diſp. 18 num. 31. & num. 44 & 45. & 46. ubi etiam actionem præviam propriam ignis aſſignant.

Inſt. Niſi Ignis combuſtiones paterentur, jam ignis nihil in eas ageret; ſed commune dogma eſt, ignem torquere Animas ut Divinæ Juſtitiæ inſtrumentum: ergo &c. Prob. min. Operationes ignis ſunt calefacere, cremare, &c. ergo &c.

Reſp. iterum, hoc idem de Dæmonibus urgere. Præterea Reſp. eſſe inſtrumentum impropriè, ideſt id, medio quo Divina eos Juſtitia torquet per dictas alligationes, quatenus ignis eſt id, ad quod eos alligat. Vel dicatur per ſcripta 2. Phyſ. q. 2. art. 2. ſub num. 7 ad 2. arg. quòd nullam ignis habet actionem propriam ex parte rei; ſed duntaxat ex parte modi operandi, modo ibidem diſplicato ſub num. 6: ad 1. arg. Ex parte verò rei operatæ agit ſupernaturaliter per virtutem ſibi à Deo collatam, qua ſpiritus illos coercet, ne in ſuas valeant operationes exire. Imò Salmant. loco nuper appellato volunt, quòd ignis modum quendam producat in Anima, & in Dæmonibus, & proinde; quòd ſit inſtrumentum propriè influens, habenſque verum influxum. Præterea ibi folio 848 num. 202. docent, quomodo Animæ puerorum degant in Limbo tanquam in loco, eſtò nihil patiantur triſte. Nam dicunt, tales Anima ibi pati alligationem; nec tamen talem alligationem, ſive ad locum, ſive ad impedimentum eliciendi ſuas operationes (quod eſt qualitas quædam illo à loco Divina virtute producta) eſſe eis pœnam. Non, inquiunt, quia ſua Deus providentia facit, quòd id non apprehendant ut ſibi diſconveniens. Nihilominùs ex dicendis infra ſub finem hujuſce quæſtionis quæſito 3 dici poteſt, eſſe in Limbo, non tanquam in loco propriè dicto, ſed tanquam res extra Univerſum, ſi ibi nihil agunt, aut patiuntur.

Vide etiam Godoy in tract. de Beat. q. 5. diſp. 14. §. 3. num. 16. & ſeqq.

Ad Conſ. Reſp. verum eſſe loquendo de principio *quo*, at non de principio *quod*.

7. Arg. 3. contra 2. p. Si ſpecies acquiſitæ in hac vita remanerent in Anima ſeparata, ſequeretur, quòd duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem forent ſubjecto; ſed hoc quiſque Thomiſtarum reſpuit: ergo &c. Prob maj. Animæ in ſtatu ſeparationis infunduntur à Deo ſpecies cunctarum rerum; ſed tales ſpecies ejuſdem forent ſpeciei cum aliis hac in vita acquiſitis: ergo &c. Prob. min. Tales ſpecies eadem repræſentaret objecta, judice D. Th. p. p. q. 89. art. 4. & q 9 de Anima art. 20. quorum complura ejuſdem ſunt ſpeciei; ſed ſpecies ſpecificantur ab objectis, ad quæ repræſentanda per ſe ordinantur: ergo &c.

Reſp. nego ſequelam maj. Ad prob. nego min. cujus ad prob. primitèr dico, quòd licèt eadem repræſentent objecta, non tamen eodem modo. Species enim infuſæ repræſentant objecta modo magis amplo, magiſque immateriali. Specificantur autem ab objecto ſecundùm modum, ſecundùm quem iſtud habet eſſe in ſpecie.

Præterea diſt. maj. eadem objecta ſolùm, nego, & ſimul etiam alia, concedo maj. cum min. & nego conſeq. Species namque infuſa, ceu univerſalior, & ſpeciei altioris, repræſentabit ſimul & alia ſpeciei diverſæ objecta, quæ eſtò non per modum unius, ſed diſparatè ſe habeant reſpectu ſpecierum in hac vita acquiſitarum; tamen poſſunt altiori, & eminentiori modo repræſentata ſe habere per modum unius reſpectu ſpeciei infuſæ, ceu magis immaterialis, magis perfectæ, magiſque univerſalis.

Solutio alia videatur apud Zuchi.

8. Arg. 4. ad idem. Eccleſiaſtes 9. dicitur: *mortui nihil noverant ampliùs*, & poſt pauca, *nec opus, nec ratio apud inferos*.

Conſ. ex illo Corinth. 13. *poſt hanc vitam ſcientia deſtruetur*.

Reſp. ad arg primitèr cum Lyrano, ſermonem ibi fieri de damnatis, nihil ampliùs cognoſcentibus, quod eis prodeſſe ad ſalutem queat. Ob idque S. Th. docet, quòd damnatus non ampliùs cognoſcit Deum, niſi ut punitorem. Præterea cum Hier. quòd Sapiens loquitur in perſona impiorum.

Ad Conſ. Reſp. cum communi, Apoſt. ibi loqui, non de naturalibus ſcientiis, & naturaliter acquiſitis, ſed ſpecialiter de uno ex donis Spiritus Sancti, quod Scientia compellatur, & comitatur Fidem, quodque cum ipſa deſtruetur Fide ratione obſcuritatis, ut ipſo ex contextu perſpicuum eſt.

9. Arg. 5. Si Anima ſeparata retineret habitus ſcientiarum acquiſitarum, poſſet quoque earum exercere actus; ſed conſequens falſitatem redolet: ergo &c. Maj. ex eo elucescit, quòd ubi eſt impoſſibilis actus eſt quoque impoſſibilis habitus, imò & potentia maximè cùm non dependenter ab organo corporeo exerceantur. Min. prob. Actus ſcientiarum acquiſitarum fiunt per converſionem ad phantaſmata, & cum dependentia ab illis; ſed hoc nequit fieri in ſtatu ſeparationis: ergo &c. Prob. maj. Tales actus debent eſſe conſimiles actibus elicitis in præſenti vita, cùm ſint ab eodem habitu; ſed in præſenti vita fiunt cum dependentia à phantaſmatibus: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob nego maj. loquendo pro ſtatu ſeparationis. Ad prob dico, eſſe ſimiles quò ad ſubſtantiam, ideſt eſſentiam, at non quò ad modum.

10. Arg. 6. ad idem. Morbo nonnunquam Scientia amittitur: ergo per mortem ſemper deperditur. Prob. conſeq. Nulla eſt infirmitas, quæ tantam inferat mutationem, quantam mors ipſa: ergo ſi &c.

Reſp. diſt ant. amittitur quantùm ad ejus eſſe, nego, quantùm ad exercitium, & uſum ſubdiſt. pro hoc ſtatu, tranſeat, abſolutè, nego. Morbi vi non deſtruitur ſcientia, ſed duntaxat præpeditur pro hoc ſtatu ejus uſus; quia cùm intellectus pro hoc ſtatu ſit ſenſui conjunctus, & cum eo connexus, ſicuti & Anima eſt corpori copulata; Idcircò ſpecies, & habitus non obtinent ſuos actus, niſi phantaſmatum adminiculo, adeoque propter organi læſionem, & ſenſibilium ſpecierum amiſſionem præpeditur exercitium ſpecierum, & habituum intellectualium hocce pro ſtatu.

Dixi *tranſeat*, quoniam Goudin vult, ſolummodo ad tempus aliquod præpediri exercitium. Pulchrum apud eundem lege eventum.

11. Arg. poſtremò. Si plures remanerent in intellectu ſpecies pro ſtatu ſeparationis, ad nullam unquam determinaretur in particulari cognitionem, nec major foret ratio, cur ab una potiùs, quàm ab alia determinaretur ſpecie. Non enim poteſt recurri ad ſenſus, qui habent ſenſibilia particularia concipere, nec ad phantaſmata efficaciùs, vel minùs efficaciter moventia.

Reſp. nego ſequelam. Ad annexam prob. dico, quòd vel loquimur de cognitione intuitiva. Et tunc dicimus, determinari à ſpecie objecti ratione ſpecialis cujuſdam connotationis

tionis

tionis ad illud. Quòd ſi plura ſint objecta præſentia, vel ſimul, movebitur ad omnia per modum unius; vel priùs ab eo, cujus ſpecies eſt perfectior, ſi diſparatè ſe habeant. Vel loquimur de cognitione abſtractiva. Et tunc dicimus, moveri occaſionaliter à ſpeciebus objectorum, quæ ſunt, vel fuerunt præſentia; formaliter poſtea à ſpecie tertia, quam ex præconceptis ſpeciebus format intellectus, ſi ſit de re univerſali; ſi verò ſit de re particulari abſente movetur ab ejus ſpecie, ſi aliquando fuit præſens; vel à ſpecie alterius objecti ſimilis, ſi nuſquam præſens fuit.

Si autem ſciſcireris, undè proveniat iſta objecti præſentis connotatio in ſpecie. Dicerem, reſultare ex ipſamet ſpecie in virtute actionis illius agentis, à quo primo producta ſpecies fuit, concurrente præſentia objecti ut mera conditione, ut ſpecies ad illud referatur ut ad præſens; quemadmodum in omni relatione reſpectu ſui termini contingit; licèt pro ſpecie, ceu illa, quæ eſt quid intentionale determinativum vitalis potentiæ peculiaris, deſideretur præſentia, & non ſufficiat exiſtentia termini, quæ ad relationem ſufficit tametſi abſentis.

Vel cum Jo: à S. Th q. 10. de Anima art. 4. dicatur, quòd determinatur ex reflexione ad phantaſmata. Siquidem eſtò tunc non habeat converti ad phantaſmata; tamen conſervat reflexionem illius converſionis, quam quondam habuit. Vel demum dicatur, quòd determinatur ex Divina ordinatione, ut indigitare videtur D. Th. p. p. q. 89. art. 4. & q. 19. de ver. art. 2.

Leve aliud arg. vide ſolutum apud Zuchi.

ARTICULUS TERTIUS.

Per quas ſpecies intelligat Anima ſeparata.

§. I.

1. ANimam ſeparatam intelligere ex profeſſo propugnat Zuchi hic art. 5. ſed ſupponenda res eſt, imò ut dogma Fidei, qua novimus, Beatos in Patria conſpicere Deum, eumque amare; & damnatos in inferno intelligere, ut dives Lazarum deprehendebat in ſinu Abrahæ. Nihilominùs lege Zuchi. Hoc ſuppoſito dubium emergit prout in titulo. Et

2. Prima opinio cenſet, quòd Anima ſeparata cognoſcat per ſpecies hic acquiſitas, & illuc exportet ea omnia, quæ hic noverat; pro dignoſcendis verò aliis accipiat ſpecies ab ipſis objectis ope intellectus agentis, licèt non ampliùs media phantaſia, quam non retinet, vel ſaltem ejus non retinet actum. Hanc propugnat Scotiſta cum Scoto in 4. diſt 45. q 2.

Secunda autumat, quòd Anima ſejugata intelligat omnia per ſpecies à ſua natura veluti paſſiones ab eſſentia dimanantes in eo ſeparationis ſtato. Pro iſta citatur Funſeca 2. Meth. q 2. ſect. 7.

Tertia tetur, quòd pro dignoſcendis, quæ in ſtatu conjunctionis noverat, ſufficiant ſpecies hic comparatæ, quas ibi retinet; pro aliis verò infundantur ei ſpecies à Deo. Stant pro iſta Ruvius, Moriſanus diſp. de Anima, & probabilem dicunt Conimb.

Quarta arbitratur; Animam ſeparatam, ſicut & Angelos pro dignoſcendis rebus ſpiritualibus accipere ſpecies ab objectis; pro materialibus verò dignoſcendis opus eſſe, ut ſpecies à Deo ei infundantur. Sic Averſa quæſt. 59. ſect. ult.

Quinta denique tutatur, quòd pro quibuſcunque dignoſcendis infundantur Animæ ſeparatæ à Deo ſpecies. Hæc communis eſt apud Thomiſtas cum D. Th. p. p. quæſt. 89. art. 4. & q. 9. de Anima art. 20.

§. II.

CONCLUSIO.

Anima ſeparata nec per ſpecies à ſui natura dimanantes, nec per ſpecies hic comparatas; nec per ſpecies ab objectis deſumptas; benè verò per ſpecies ſibi à Deo infuſas, intelligit.

3. QUò ad omnes partes eſt D. Th. p. p. q. 89. art. 4. & in Diſputatis q. 9. de Anima art. 20.

4. Quò ad p. p. probant plerique, eò quòd ſi species dimanarent ab Animæ natura ſequeretur, quòd omnium etiam poſſibilium rerum cognitionem haberet; quia omnium ſpecies ab ea dimanarent. Verùm quia dicere Funſeca poſſet; quòd objecti exiſtentia ſit conditio requiſita, & quid neceſſario connotatum, eo quodam modo, quo ſcripſi præcedenti art. in fine. Idcircò ut alio modo hæc ratio fiat efficax videndi ſunt Salm p p tract 7. qui eſt de Angelis diſp. 5. dub. 4. ubi veſtigant, *num ſpecies intelligibiles productæ à Deo in intellectu Angelico habeant rationem naturalis proprietatis* §. 1. Hoc ſiquidem hic prolixum nimis foret. Eapropter aliter

Prob. alia communi ratiocinatione. Si pro ſtatu ſeparationis ab Animæ natura ſpecies emanarent, etiam pro ſtatu conjunctionis ab eadem dimanarent; ſed hoc falſitate laborat: ergo &c. Maj. videtur nota, Tum quia corpus non impediret talium ſpecierum dimanationem, ſicut nec aliarum proprietatum emanationem impedit. Tum quia pro conjunctionis ſtatu deberent ſaltem dimanare ſpecies ſenſibiles, quæ in ſenſibus recipiuntur; quia quemadmodum pro ſtatu ſeparationis recipit ſpecies duntaxat intelligibiles, ita pro ſtatu conjunctionis etiam ſenſibiles. Maj. videtur notior, quoniam in hoc conjunctionis ſtatu experimento didicimus, ſpecies emitti ab objecto, ut palam eſt in ſpeculo, ni dixeris, à ſpeculi natura profluere quod ridiculum foret, Tum quia quæ à natura dimanant ſunt naturales perfectiones rei in ſe, at non ad perficiendum alia; nullam autem affert ſpecies utilitatem ſpeculo; Tum quia ſecùs etiam ſpeculum foret intellectivum, vel ſaltem ſenſitivum; cùm ideo ſpecies in hac ſententia dimanent ab Animæ natura, quia ſunt naturales perfectiones ſuæ cognoſcitivæ naturæ.

5. Quò ad 2. p. nimirum quòd non per ſpecies hic comparatas intelligat Prob. cum communi. Species hic comparatæ nequeunt operari, niſi cum dependentia à phantaſmatibus; ſed Anima ſeparata non per converſionem ad phantaſmata intelligit: ergo nec per ſpecies hic comparatas. Maj. quam adverſæ opinionis vindices negant, Prob. Tales ſpecies, ſaltem originativè habent eſſe cum dependentia à phantaſmatibus: ergo etiam &c. Prob conſeq. non ſolùm quia operari ſequitur ad eſſe, verùm etiam quia ſpecies, quæ habent eſſe cum dependentia à phantaſmatibus, jam aliquam naturalem cum phantaſmatibus connexionem habent; ſed niſi operarentur cum dependentia à phantaſmatibus nullam cum iſtis connexionem haberent: ergo &c. Min. eſt conſpicua. Siquidem forent à phantaſmatibus independentes, non minùs, ac illæ, quæ independenter à phantaſmatibus ortum habuerunt. Maj. verò prob Quod habet eſſe aliquo modo originativè ab aliquo, non penitùs diſparatè ſe habet ad illud, quia quæ diſparatè ſe habent ita ſe habent, quòd unum nullo modo infert aliud; ſed ſi nullam cum phantaſmate connexionem haberent, diſparatè ad illud ſe haberent: ergo &c.

Nec præfugere cum Maſtrio juverit dicendo, quòd diſcurſus hic valeret, ſi talem à phantaſmate dependentiam ſpecies habuiſſent ex ſui natura. Non ſic autem eſt. Talem namque dependentiam habent pro hoc ſtatu ex connexione potentiæ intellectivæ cum ſenſitiva, adeoque purè accidentaliter.

Non, inquam, non ſolùm quia (ut num. 7. videbimus) ſic ſuapte natura fieri petunt, eò quòd cujuſque rei natura petit, non pertranſire de extremo ad extremum, niſi tranſeundo per medium. Verùm etiam quia ſunt ſuapte natura ſpecies potentiæ, quæ ſuapte natura petit vel habere, vel habuiſſe connexionem cum ſenſitivis potentiis, ratione cujus connexionis convenit ei intelligere per converſionem ad phantaſmata: ergo ſuapte natura petunt fieri dependenter à phantaſmatibus, cùm ſuapte natura petant fieri modo proportionato illi potentiæ, cujus ſunt ſpecies. Ant. prob. Suapte natura ſunt ſpecies potentiæ talis formæ, nimirum Animæ, quæ ſuapte natura petit habere, vel ſaltem habuiſſe conjunctionem cum corpore, eò quòd ſuapte natura eſt corporis forma.

Hanc prævidit moleſtiam Scotus in 1. ſent. diſt 2. q. 3. & diſt 45. q. 3. Ob idque cùm dicere cum Origene non ſit auſus, Animas fuiſſe in pœnam corpori incluſas, dixit, ſaltem quod cognoſcere per converſionem ad phantaſmata conveniat in pœnam originalis reatus. Quod & Maſtrius habet diſp. 8. de Anima q. 2. art. 2. num. 18. quod & diſp. 6. q. 1. dixerat. Sed

Contra ipſum ineluctabiliter jam inſurrexit Cajet. p. p.

Digitized by Google

q.84. art.7. eò quòd Adam etiam in ſtatu innocentiæ intelligebat per converſionem ad phantaſmata. Et certè ſi Homo extaret in ſtatu puræ naturæ, nimirum nec lapſæ, nec integræ, ſed puræ, adhuc intelligeret per converſionem ad phantaſmata.

6. Prob. præterea quò ad eandem p. alia communi ratione. Si Anima ſeparata intelligeret per ſpecies, quas hinc deferr, ſequeretur, quòd Animæ parvulorum, qui vix lucem attigere, ac ſacro ſonte ſunt expiati, ferè nihil; & à fortiori Animæ eorum, qui in materno adhuc utero deceſſerunt, nihil cognoſcerent.

Dum enidam publico diſputatorio in congreſſu rationem iſtam objicerem, eveſtigiò ullo abſque incommodo totum conceſſit, ſicut & Maſtrius ubi ſupra annuit, dicens, quòd infantes illi nihil agnoſcent per ſpecies hic acquiſitas; tamen intelligent per ſpecies, ibi comparatas. Sed

Contra. Ultraquamquod feſtinè oſtendemus, Animam ſeparatam non acquirere ſpecies ab objectis, adhuc inſtatur. Siquidem ſequeretur, quòd infantes illi complura meliùs, ac perfectiùs cognoſcerent, quàm DD. Aug. Hierony. Thoma, &c. quia cognoſcerent ibi per ſpecies ab objectis deſumptas puriores, ceu abſque ulla cum dependentia à phantaſmate formatis. Vides quem tot ex ſtudiis, quemque ex tot elucubratis materiis reportaſſent proventum, cùm meliorem conditionem quò ad cognitionem fuiſſent pueruli ſortiti.

Nec tamen ſpecies, quas Anima illò aſportavit forent otioſæ. Non, inquam, quia, ut inquit Jo: à S. Th. q.10. de Anima art.5. ad 2. arg. licèt non repræſentent objecta, nec cum intellectu cognitionem efficiant; tamen ad aliquid deſerviunt, & ſunt neceſſariæ ad hoc, ut determinent ſpecies infuſas, quæ, ceu de ordine illarum, quæ Angelis infunduntur, ſunt improportionatæ Animæ rationali, quæ proinde ſolùm confuſaneè, at non diſtinctè, per tales ſpecies cognoſceret res naturales omnes: Sicut ſi Deus uni Angelo inferiori infunderet ſpecies Angeli ſuperioris, forent illi improportionatæ. Idcircò Anima ſeparata naturaliter per ſpecies ſibi à Deo infuſas cognoſcit diſtinctè omnia objecta, quorum notionem habuit in hac vita; ad quæ ſpecies inſola determinatur à ſpeciebus, quas illuc detulit hinc, propter connexionem aliquam, quam cum illis retinet, licèt non retineat cum illis omnimodam proportionem ſufficientem ad illorum cognitionem per ſeipſam ſolam, De quo ex profeſſo Zuchi agit hic art 6. Quamobrem eſt unum ex conſuetis Maſtrii mendaciis, quòd S. Th. minùs conſequenter ſit locutus, dicendo, quòd remaneant ſpecies in Anima ſeparata; & quòd conſultiùs fuiſſet id negare, cùm ibi forent otioſæ.

Per virtutem autem ſupernaturalem poterit Anima plura alia diſtinctè dignoſcere ſecundùm virtutem, quam ei dare Deus voluerit. De quo fuſiùs in tract de Beatitudine veſtigando, *quid Beatus videat in Verbo*. Ubi inter cætera dicuntur Beati videre extra beatam viſionem, quæ ad proprium eorum pertinent ſtatum hocce in mondo, V. G. Dominicus omnia quæ ad ſuum ſpectant inſtitutum Religioſorum; ſed virtute ſua non videntur cognoſcere, quæ hic aguntur in via, eò quòd non videntur pertinere ad Animam ſeparatam, quæ in ſtatu ſeparationis eſt, in termino; adeoque ſola Divina revelatione nonnulla cognoſcunt; ſicut etiam orationes, & preces, quæ ad Sanctos diriguntur, Divina eis, ad quos diriguntur, innoteſcunt revelatione. De hoc idem Zuchi citatus hic q 16. art.6. num.55.

7. Quò ad 3. p. nimirum quòd non per ſpecies ab objectis in ſtatu ſeparationis deſumpta intelligat, Prob. Res multoties, quas Anima etiam ſeparata cognoſcit, ſunt materiales; ſed Anima ſeparata nequit accipere ſpecies à rebus; ſeu objectis materialibus: ergo Anima ſeparata nequit ſaltem naturaliter intelligere per ſpecies ab objectis deſumptas. Prob. min. Species materialis nequit recipi in intellectu, niſi mediis ſenſibus; ſed Anima ſeparata, ut art. 1. conſpeximus, non retinet ſenſus, vel ſaltem ſenſuum non retinet actus: ergo &c. Prob. maj. Inter ſpeciem, & potentiam debet eſſe proportio; ſed inter intellectum, & rerum materialium ſpecies immediatè, & non mediis ſenſibus productas, non eſt proportio: ergo &c. Min. ex eo emicat, quòd ſpecies illæ ſunt materiales, intellectus verò immaterialis eſt. Maj. prob. Hac enim ratione objectum materiale nequit immediatè per ſe ipſum uniri potentiæ, ſed indiget ſpecie.

Conf. De extremo ad extremum ſaltem naturaliter non ſit tranſitus, niſi per medium; ſed ſenſus ſunt quid medium inter intellectum, & objectum: ergo &c.

Reponit Maſtrius, ſufficere proportionem moventis, & mobilis, at non requiri proportionem convenientiæ, & ſimilitudinis. Idque comprobat exemplo phantaſmatis, quod materiale eſt, & extenſum; & tamen movere poteſt intellectum agentem, imò poſſibilem. Et adjicit, quòd tametſi materialis poteſt immaterializari per intellectum agentem, ne otioſus iſte in Anima ſeparata remanere dicatur.

Ad Conf. dicit, ſenſum non eſſe medium ex rei natura exigitum ab intellectu, ſed ratione connexionis, quam hocce pro ſtatu intellectus cum ſenſibus habet. Sed

Contra. Nequit iſta adeſſe proportio moventis, & mobilis, niſi etiam convenientiæ & ſimilitudinis in immaterialitate proportio adſit: ergo ſi iſta non extat, nec illa. Prob. ant. Non alia ratione objectum indiget ſpecie, nec immediatè ſuam per entitatem poteſt aptari in ratione moventis cum potentia ut mobili, niſi quia eſt materiale: ergo &c. Phantaſma autem non movet intellectum poſſibilem, benè verò ſpecies alia, quæ ab intellectu agente medio phantaſmate producitur, ut feſtinè dicetur.

Contra id; quod de agente intellectu dicitur Inſto. Inter Intellectum agentem, & ſpeciem, licèt non tanta requiratur immaterialitatis ſimilitudo, quanta inter intellectum, poſſibilem, & ſpeciem, quia iſte cognoſcitivus eſt, at non ille; ſuo tamen modo etiam ſimilitudo iſta requiritur: ergo &c. Prob ant. Non alia ratione intellectus agens nequit depurare ipſam in ſe objecti materialis entitatem, & requiritur ſpecies ab objecto immiſſa, ſecùs & ipſum poſſet immediatè poſſibili intellectui aptari.

Præterea negari haud poteſt, quòd Phantaſiæ ſpecies, ideſt phantaſma, qua media intellectus agens aliam producit ſpeciem in intellectu poſſibili, ſit magis immaterialis, quàm illæ, quas objectum producit in medio, & quàm illa, quam mediis iſtis producit in ſenſibus externis: ergo majorem cum illa proportionem intellectus agens obtinet; adeoque ſaltem naturaliter eam exigit. Eò vel maximè, quòd in ſeparationis ſtatu meliori modo elicitur cognitio, adeoque major requiritur proportio inter concurrentia ad cognitionem. Prob Ant. Medium, puta aer, non eſt ita craſſum, ut objectum in ſe, puta lapides, parietes, &c. ſenſus externus non eſt ita materialis ut in ſe objectum materiale eſt; ergo &c.

Illuſtrantur hæc omnia. Non eſt imaginandum, quòd illa eadem ſpecies, quæ ab objecto immediatè producitur in medio, illa eadem ſit, quæ in ſenſu poſtea recipitur externo, & ab illo retranſmittatur ad internos, & ab illis ad intellectum. Non, inquam, ſecùs idem numero accidens naturaliter, & reapſe migraret de ſubjecto in ſubjectum. Quod naturaliter ſaltem loquendo, nec Maſtrius approbat agendo de principio individuationis accidentium. Igitur objectum materiale producit ſpecies in medio, & mediis iſtis aliam in ſenſu externo, & media iſta quadantenus minùs materiali aliam in ſenſu interno; & media iſta iterum magis à materiæ immerſione ſemotam, aliam in intellectu poſſibili ope intellectus agentis.

Id, quod ad Conſ. reſpondet, refutatum jam eſt ſub num.5.

8. Prob. quò ad eandem p. quod nec ab objecto immateriali queat Anima ſeparata ſpecies recipere. Talis ſpecies ſi ab objecto produceretur in Anima ſeparata, vel produceretur immediatè ab illo immediatione ſuppoſiti, vel immediatione virtutis; ſed propugnari neutrum poteſt: ergo Anima ſeparata nec objecta immaterialia intelligit per ſpecies ab eis acceptas.

Prob. min. Et 1. quò ad p. p. Tum quia Anima ſeparata, ſicut & Angelus poteſt objecta etiam materialia in aliqua diſtantia cognoſcere. Tum quia ſi produceret immediatè immediatione ſuppoſiti, deberet producere per hoc, quod objectum intimè illaberetur ipſi Animæ vel uniendo ſe ut ſpeciem intellectui ejus, non ſecùs, ac Eſſentia Divina unitur Beatorum mentibus. Et hoc abſit, non ſolùm quia hic illapſus eſt proprius ſolius Divinæ Eſſentiæ, ut univerſim SS. PP. dogmatizant; verùm etiam quia quemadmodum duo corpora nequeunt ſaltem naturaliter eodem eſſe in loco circumſcriptivo, ita nec duæ ſpirituales ſubſtantiæ eodem in loco definitivo. Ob idque Eſſentia Divina ſupernaturaliter, at non naturaliter illabitur Beatorum mentibus, quatenus Beati mens medio lumine gloriæ, quod eſt Divinæ naturæ participatio, elevatur quodammodo ad ordi-

nem

Digitized by Google

nem Divinum. Ultraquamquod Eſſentia Divina ratione ſuæ infinitudinis omnia & loca, & locata eminenter continet. Vel per hoc, quod illi immediatè contiguè admoveatur, & uniatur. At neque hoc modo, quia cùm nequiret ei uniri ſecundùm partes, eò quòd Spiritus, ceu indiviſibilis, partes non habet, deberet uniri ſecundùm ſe totum, ſicque illabi, hoc eſt *intus labi*, adeoque in eodem eſſe loco, quemadmodum duo corpora ſi ſecundùm ſe tota ſeſe contingerent, penetrarentur eodem in loco. Quamobrem poteſt quidem ſpiritus illabi corpori quod movet, quia tunc ſpiritus eſt in eo loco definitivè, & corpus circumſcriptivè, adeoque diverſo modo, at non illabi ſpiritui. Eapropter Anima ſeparata ſeipſam duntaxat per ſuam ſubſtantiam ſine ſpecie diſtincta cognoſcit. De quo nonnihil Zuchi hic q. 16. art. 6. à num. 62.

Dicere autem, quòd operaretur Angelus intra ipſam Animam ejus intellectionem, vel quid aliud; eſt error priore pejor; Tum quia intellectio, ceu actio vitalis, petit eſſe ab intrinſecis ejuſdem Animæ. Tum quia jugiter incommodum illud, quod duæ ſpirituales ſubſtantiæ forent ſimul eodem in loco definitivè.

Secundò. Prob. illa min. quò ad a. p. Species iſta vel foret ſpiritualis. Et hoc non. Siquidem ſpecies illa in medio vel foret ſine ſubjecto. Et id naturaliter eſt impoſſibile. Vel reciperetur in ſubjecto corporeo. Et neque hoc ſaltem naturaliter eſt poſſibile: Vel in ſubjecto medio ſpirituali. Et neque hoc propugnari poteſt, Tum quia iſtud non eſt aſſignabile. Tum quia eadem foret ratio de hoc ſubjecto ſpirituali, ac ſupra de objecto ſpirituali, producente ſpeciem, quomodo nimirum ipſi uniretur Animæ.

Ea ex re communiter Noſtrates in tract. de Angelis docent cum D. Th. quòd dum unus Angelorum alium alloquitur, aut ei ſuum manifeſtat conceptum, non producit aliquid phyſicum in illo.

Quomodo autem talis fiat locutio. Ut pleniùs quæ dicta, & dicenda hic à nobis ſunt, aſſequaris

Hoc non te prætereat, quòd Noſtrates cum D. Th. in tract. de Angelis tradunt, Unum Angelorum alterum affari per hoc, quòd conceptum ſuum ad alium ordinat. Quandoquidem cùm ſpecies Angelis à Deo infuſæ repræſentent cuncta naturalia, nimirum quæ naturalem ad Univerſi ordinem ſpectant, & quæ illum ad Angelum, cui ſunt infuſæ, attinent: Hinc quia ex eo, quod unus conceptum ſuum ad alium ordinat, jam talis conceptus eſt aliquid illius Angeli, ad quem ordinatur, adeoque ad eum ſpectat: Idcircò & talis conceptus eveſtigiò per ſpeciem ejuſdem Angeli repræſentatur tali Angelo.

Aſt quia magna ibi difficultas emergit; eò quòd hoc, quod eſt, talem conceptum ad alium ordinari, eſt mera denominatio extrinſeca, vel ad ſummum quid intrinſecum purè morale, adeoque imperceptibile videtur, quomodo poſſit reddere hujuſcemodi conceptum de non repræſentato repræſentatum phyſicè; & quonam ſit illud, quod excitet veluti ad mentalem audientiam Angelum illum, cui talis fit mentalis locutio.

Propterea (miſſis aliis dicendi modis, qui ſalebris, & caligine ſcatent) dicerem, quòd talis conceptus cognoſcitur ab eo, ad quem ordinatur, ratione connexionis, quam cum tali conceptu loquentis habet actus voluntatis, per quem ordinatur. Siquidem ſpecies Angeli repræſentans aliquod objectum, repræſentat quoque ea, cum quibus connectitur, secùs non perfectè repræſentaretur, cùm non repræſentarentur ejus connexiones. Omnis autem actus ordinans, ut talis, connectitur cum eo, quod ordinat, cùm relationem ad illud dicat.

Actus verò voluntatis ordinans, cum ut talis, nimirum ut ordinans ſit ſuapte natura quid ſpectans ad illum Angelum, ad quem ordinat conceptum, abſque aliquo alio concurrente ex parte loquentis, cognoſcitur ab Angelo, cui fit locutio; quia cùm ſpecies Angelica ſit quantùm eſt de ſe repræſentativa omnium etiam futurorum, licèt in actu ſecundo ea non repræſentet ex defectu alicujus connotati, & conditionis, nimirum ex defectu exiſtentiæ rei; Idcircò hoc connotato poſito, hacque poſita conditione, talis ſpecies in virtute actionis, à qua primò fuit producta eadem ſpecies illius Angeli, cui fit locutio, repræſentat illa objecta; ſicque ſtatimatque exiſtit actus ille voluntatis ordinans, repræſentatur per ſpeciem illius Angeli, cui fit locutio: ſicut in Logica ſcripſimus, quod poſito termino reſultat à fundamento relatio in cui illius actionis, à qua

fuit fundamentum illud productum; & alibi quòd gravia ſublato fundamento ſtatim in cui primæ actionis generantia tendunt ad centrum. Angelus autem, cui fit locutio, excitatur ab eadem ſua ſpecie in virtute ejuſdem actionis agentis, virtute cujus tunc habet in actu ſecundo repræſentare ad poſitionem illius conditionis, ſive connotati requiſiti.

Nec obſtat, quòd etiam talis actus ordinans ſit actus liber, adeoque videatur & ipſe alterius Angeli cognitionem ſubterſugere; eò quòd Thomiſtæ communiter dicant, Angelum non cognoſcere Hominum ſecreta cordium, niſi ei vel à Deo, vel ab ipſomet, cujus ſunt, per ſigna, aut per corporalem locutionem manifeſtentur (quod à fortiori valet de ſecretis mentis Angelorum) quia ceu libera ſunt altioris ordinis, & quia voluntas, ceu libera à ſola Divina pendet voluntate.

Non, inquam obſtat, quia loquitur Thomiſta de actibus liberis, qui non ſunt ipſamet ordinatio ad revelandum, vel ipſamet revelatio. Iſte namque actus liber, qui eſt ordinatio ad revelandum, ſeu ipſamet revelatio, tollit rationem ſecreti tum à ſe, tum ab eo, quod revelatur; quia dum *ut quod* revelatur illud, quod erat ſecretum, revelatur *ut quo* ipſemet actus revelans. Undè Thomiſtæ loquuntur de eo, quod eſt liberum, ſed non per modum revelantis, benè verò revelabilis tantùm. Talis autem actus ordinans eſt liber, non utcunque, ſed per modum revelantis.

Ex hoc modo etiam unus Homo poſſet Angelo loqui, imò & alteri Homini eodem poſſet modo loqui, niſi obſtaret ex parte audientis, vel in Angelo, quia ut diximus ſub 6. num. quæ ſunt in hac vita non ſpectant ad Beatos, ceu illos, qui jam ſunt in termino; vel in Homine corporis groſſities, & dependentia à phantaſmatibus in cognoſcendo.

9. Quò ad 4. denique p. nimirum quòd Anima ſeparata intelligat per ſpecies ſibi à Deo infuſas, Prob à ſufficienti diviſione. Non per ſpecies à ſui natura dimanantes, nec per ſpecies hìc comparatas, nec per ſpecies ab objectis depromptas intelligit: ergo reliquum eſt, quòd per ſpecies à Deo infuſas intelligat.

Præterea prob. ratione, qua plerique Thomiſtarum ex D. Th. probant, Angelos intelligere per ſpecies à Deo infuſas. Anima ſeparata eſt de numero illarum rerum, quæ ſtatim à principio, ac eſt ſeparata, petit totam à Deo ſui perfectionem accipere, non verò paulatim, & ſucceſſivè: ergo ſtatim ac eſt ſeparata petit ſuapte natura habere à Deo cunctas ſpecies ad ejus conducentes perfectionem. Prob. ant. Anima ſeparata eſt in ſupremo ordine ſupra ſeipſam ut corpori mortali unitam, ſaltem quò ad cognitionem, in quo unionis ſtatu ſpecies paulatim acquirit, & omnes à ſuæ conditionis exordio: ergo &c. Prob. conſeq. Videmus inter corporales res hunc ſervari ordinem, quòd ſuprema corpora, videlicet Cœli totam obtinent ſui perfectionem à ſuo conditionis principio, non verò ſuccedaneè acquirunt, attenta Cœli, ſaltem naturali, incorruptibilitate: ergo à fortiori ſervari idem in ſpiritualibus debet.

Nec obeſt, quòd Anima etiam ſeparata ſit in inferiori gradu ad Angelos. Non, inquam, eò quod eſtò ſit in inferiori gradu; eſt tamen eodem in ordine ſpirituali *ut quod*, hoc ipſo, quod eſt ſeparata; ſicut & unus Angelorum eſt inferiori in gradu ad ſuperiorem; & unum Cœlum inferius eſt in inferiori perfectionis gradu ad aliud, & ſpecie diverſum, ut in tract. de Cœlo agendo de ordine corporum cœleſtium, ſcripſimus.

Rationem iſtam extensè examinant Noſtrates in materia de Angelis; nobis autem, eam indigitaſſe ſit ſatis.

§. III.

Adverſantium argumenta diſſolvuntur.

10. ADverſus p. p. nullum alicujus momenti arg. militat, ſolumque objici poſſet, quòd in ſententia apud Thomiſtas probabili Angeli intelligunt per ſpecies ab eorum natura dimanantes; adeoque quod idem de Anima ſeparata ſit dicendum videatur. Verum levi diſſolvitur labore, dicendo, ſententiam illam, quòd de Angelis, idem de Anima ſeparata ſentire. Et alia ſolutio legatur apud Zuchi.

Arg. 1. contra a. p. concl. Anima ſeparata retinet ſpecies

hic acquiſitas etiam per nos: ergo intelligit per ſpecies hic comparatas. Prob. conſeq. Anima ſeparata cum ſpeciebus hic comparatis habet ſufficiens intellectionis principium; ergo ſi &c. Prob. ant. Integra intellectionis principia ſunt facultas intellectiva cum ſpeciebus intelligibilibus: ergo &c.

Conſ. ſecùs tales ſpecies otioſæ, proindeque ſuperfluæ remanerent.

Reſp. ad arg. nego conſeq. Ad prob. nego ant. loquendo de principio ſufficienti pro illo ſtatu. Ad prob. diſt. ant. cum ſpeciebus intelligibilibus proportionatis, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Illæ autem ſpecies hic comparatæ ſunt pro ſeparationis ſtatu ad intelligendum ineptæ, quia, ut num. 5. probavimus, dependent in operando à Phantaſmatibus. Vid, ibi

Contra. Intellectus ſuapte natura non petit dependenter à phantaſmatibus operari: ergo tunc poterit per illas ſpecies independenter à phantaſmatibus intelligere. Prob. ant. ſecùs nullatenus independenter à phantaſmatibus intelligeret: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. quando intelligit per ſpecies non miniſterio phantaſmatum ſuppeditatas, concedo, quando operatur per ſpecies depromptas à phantaſmatibus, nego. In hoc ſiquidem caſu quemadmodum dependenter ab iſtis ſpeciebus operatur, ita operatur dependenter ab his, à quibus tales pendent ſpecies. Quamobrem, cùm, ut num. 5. probavimus, iſtæ à phantaſmatibus dependeant, deberet & intellectus dependenter à phantaſmatibus operari.

Contra. Phantaſma non ideo requiritur pro ſtatu conjunctionis, quaſi quod ſit principium actus intelligendi, ſed duntaxat ratione connexionis potentiarum inferiorum: ergo poterit independenter ab illo haberi talium ſpecierum uſus.

Reſp. diſt. ant. & aliàs talis connexio eſt exigita ab illis ſpeciebus in ſuis functionibus, concedo, ſecùs nego ant. & conſeq. Redintegrentur dicta num. 5.

Ad Conſ. habes ex dictis num 6. qualiter non erunt otioſæ. Præterea etiam hypotheticè dato, quòd otioſæ forent, adhuc nego, quòd ſuperfluæ forent. Remanerent namque ad ornatum, quemadmodum in Beatorum corporibus poſt reſurrectionem generativa remanebit, & augmentativa potentia, quamquam non ultrà generabunt, aut erit augmento locus. Non ergo hinc Maſtrio fas erat carpere S. Th. Vid. dicta num. 6. & iterum num. ſequenti 12. ad 2.

11. Arg. 2. contra 3. p. probando, quòd Anima ſeparata ſpecies ab objectis etiam materialibus emendicet. Objecti materialitas non officit quin Anima ſeparata ſpecies ab objectis ſuſcipiat: ergo &c. Prob. ant. Præſtò adeſt intellectus agens, cujus eſt materialia depurare, & ſpecies intelligibiles abſtrahere, ſecùs fruſtra intellectus agens ſuperites in anima foret ſeparata.

Conſ. Niſi præſente objecto poſſet in actum exire per ſpecies ab eò petitas, ſequeretur, deterioris eam conditionis fore lapide, & alia quacunque creatura, quia quælibet creaturarum præſente paſſo cum communi influxu poteſt operari.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. diſt. ant. præſtò eſt intellectus agens, & cum ſpeciebus proximè ſuo muneri idoneis, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. redintegrentur dicta num. 7. Et ad id, quod ſubjicitur, habes tum per dicta prægreſſo art. ſub numeri 7. finem ad 1. arg. tum hic num. antegreſſo 10. ad Conſ.

Contra. Etiam phantaſma eſt materiale, & tamen eſt proximè aptum, ut intellectui deſerviat agenti ad ſpeciei ſpiritualis intelligibilis productionem: ergo ſimiliter objectum eſtò materiale erit proximè aptum, ut intellectui agenti deſerviat ad ſpeciei intelligibilis productionem.

Reſp. diſt. ant. eſt materiale tanta materialitate, quanta eſt ſpecies immediatè ab objecto immiſſa, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Objectum namque in phantaſmate (ut ita cum Zuchi loquar) deſæcatum magis extat. Redintegra dicta hic num. 7. per totum.

Inſt. Intellectus agens in ſtatu ſeparationis eſt magis expeditus: ergo poterit etiam ſine medio phantaſmata ſpecies producere.

Reſp. diſt. ant. eſt magis expeditus, & magis immaterialis, concedo, ſecùs nego ant. & conſeq. Eapropter quemadmodum quia immaterialis etiam pro conjunctionis ſtatu eſt improportionatus cum ſpecie immediatè ab objecto producta; ita multò magis in ſtatu ſeparationis, in quo eſt magis à materia ſegregatus.

Dices ex Conimbr. Saltem uti poterit alterius Hominis phantaſmate, ſicque illo medio ſpecies intelligibiles producere.

Reſp. diſt. ant. ſupernaturaliter, tranſeat, naturaliter, nego ant. & conſeq. vel eodem modo diſt. conſequens. Cùm namque potentiæ ſint quolibet in homine invicem connexæ, fit inde, quòd Phantaſia unius nequit naturaliter deſervire, niſi intellectui ejuſdem, vel ſanè ſaltem complurimum non aliter evenit, & juxta ordinarium curſum. Nos autem loquimur naturaliter. Dixi *tranſeat*, quia cùm ſint potentiæ vitales immanenter operantes, & aliàs nec ſupernaturaliter accidens queat etiam ſuccedaneè pluribus incubare ſubjectis, ceu illud, quod à ſubjecto individuatur, nonnulli abſolutè negant ant. volentes, quòd actio immanens nec virtualiter queat eſſe tranſiens, ſaltem pro ſtatu conjunctionis ad corpus, in quo foret Anima, cujus per phantaſma produci ſpecies illa deberet; eò quòd pro conjunctionis ſtatu ejus virtus eſt magis craſſa, minuſque efficax ob impedimentum à corporis craſſitie.

Ad Conſ. quæ potiùs probat, ſpecies dimanare à natura Animæ, licèt ſui ad intentum ea utatur Maſtrius, nego ſequelam. Ad prob. antecedenter diſt. ant. ſi id proveniret ex ejus impotentia, & defectu, concedo, ſi ſolummodo ab extrinſeco, nego. Imò major in hoc emicat perfectio, quia defectus oritur ex objecti imperfectione, ejuſque vilitate, quod ceu materiale, eſt ea indignum, nec fieri dignum poteſt, niſi in immateriali perficiatur ſpecie.

Adde, quòd confugium ad intellectum agentem eſt merum Adverſariorum effugium, cum id, quod de Anima dicunt ſeparata, aſſeverent quoque de Angelis, in quibus locum non obtinet intellectus agens.

12. Arg. 3. ad idem. Res ſpirituales ſunt objecta immaterialia: ergo ab his ſaltem poterit Anima ſeparata ſpecies ſumere, ac per iſtas intelligere.

Conſ. Objectum immateriale eſt per ſe in actu intelligibile; ſed ſpecies dantur ad reddenda objecta intelligibilia in actu: ergo ſaltem ad iſta intelligenda non indigebit ſpeciebus à Deo infuſis.

Reſp. ad arg. dato ant. diſt. conſequens quantùm eſt ex hoc capite, concedo, ſecùs nego conſeq. Quantùm igitur eſt ex hoc capite, ut Anima una ſeparata aliam ſeparatam dignoſceret, poſſet ab ea ſpecies ſumere; Ideirò lib. 3. de Anima ſcripſimus, objectum ipſius Animæ ſeparatæ proportionatum eſſe ipſius Animæ quidditatem. Aliundè tamen ſeſe impedimenta offerunt, ut conſpeximus num. 8. quia nimirum talis ſpecies nec poteſt produci in medio, ſeu diffundi per medium; nec per illapſum, nec alio modo: Propterea ſunt neceſſariæ ſpecies infuſæ. Redintegrentur hic dicta n. 8.

Præterea, quia, ut n. 9. ſcripſimus, talis eſt natura Animæ rationalis ſeparatæ, ceu de numero eorum, quæ ſunt in ſupremo ſpiritualitatis ordine, ut à nulla creatura produci ejus perfectio queat, ſed à ſolo Deo: quemadmodum cœleſtia corpora ceu ſupremo corporum in ordine, ſunt talis naturæ, ut à nullo creato agente eorum produci perfectio queat.

Ad Conſ. quæ potiùs eſt contra ult. concl. p. & probat (ſi quid probat) nec per ſpecies infuſas, nec per ſpecies ab objectis petitas, ſed per ipſam immediatam objecti entitatem intelligere, Reſp. primitèr ſolùm probare, quando objectum eſt intimè præſens. At explicatum eſt, etiam abſentia objecta poſſe dignoſci. Præterea dato ant. diſt. conſequens, ſi poſſibilis foret intimus illapſus, concedo, ſecùs, nego conſeq. Foret ſiquidem ad hoc neceſſarius intimus illapſus, quem impoſſibilitate laborare conſpeximus n. 8. Redintegrentur ibi dicta.

Intellige hoc pro alia dignoſcenda Anima. Quandoquidem pro aliis dignoſcendis rebus ſunt, ultra jam dicta, alia obſtacula. Siquidem cuncta alia ſpiritualia, ceu diverſæ ſpeciei, ſunt ea vel perfectiora ut Angeli, vel imperfectiora, ut ſunt accidentia ſpiritualia, adeoque ſunt improportionata, non modò in eſſe entis, verùm etiam in eſſe attingibili, ut ab ea dignoſcantur, ſi ſemel eorum entitas deberet eſſe attingibilitatis ratio.

Nec inde ſequitur, quòd ſpecies repræſentans objectum, quod eſt imperfectius, nequiret repræſentare illud, ceu illi improportionata. Non, inquam. Etenim tunc ſpecies illa eſtò foret inepta objecto illi ſecundùm ſe inſpecto, non tamen ut elevato. Per illam autem ſpeciem objectum elevatur majorem ad immaterialitatem in eſſe repræſen-

Digitized by Google

præſentati, & modo magis immateriali repræſentatur.

Arg. 4. contra ult. p. probando, quòd Anima ſeparata non per ſpecies à Deo infuſas intelligat. Nam ſequeretur, quòd damnatorum animæ nihil dignoſcerent; ſed hoc eſt contra illud Lucæ 16. de divite, qui cognovit Lazarum: ergo &c. Prob. maj. Deus non ſatagit exornare damnatos: ergo ſi &c.

Reſp. ad hoc, in quo exultat Maſtrius, nego ſequelam maj. Ad prob. diſt. ant. non ſatagit damnatos ornare ornatu cadente in eorum bonum, concedo, ornatu cadente in eorum damnum, nego. Siquidem poſt judicii diem dabit Deus damnatis corporis immortalitatem, quæ eſt ornatus quidam, cadens tamen majus eorum in ſupplicium. Sic cognitio diviti, Lazarum deprehendenti acerbior eſt pœna. Non abs re fuerit exemplum Mitridatis, de quo fert officina Textoris lib. 5 cap. 19. pag. 74. dicere ſolitum, quòd affectabat, non tanta celebri ſua abundare memoria, eamque minuendi artem quæritabat, ut poſſet interdum oblivisci rerum quarundam, quarum reminiſci moleſtum ei erat.

54. Colligi ex dictis poteſt, quòd ſpecies illæ eſtò à Deo infuſæ non ſunt ſupernaturales; quia (ut inquit Zuchi infunduntur à Deo, non ut Authore ſupernaturali, ſed ut Authore naturali juxta exigentiam naturæ ipſius Animæ ſeparatæ.

De his iterum in Theologicis in tract. de Angelis.

PERCONTABERIS PRIMO.

Quas res dignoſcat Anima ſeparata.

AD hoc, quantùm opus eſt, habes per dicta art. immediatè prægreſſo 3. §. 2. ſub numeri 6. finem. Et ex profeſſo agit Zuchi hic art. 6.

SCISCITABERIS SECUNDO.

Num Anima ſeparata diſcurrendo, componendo, & dividendo cognoſcat.

§. I.

1. DUbium hoc illud idem eſt, quod proponi in tract. de Angelis conſuevit, num ſcilicet intelligant diſcurrendo, componendo, & dividendo. Et qui annuunt ibi, nimirum Scotiſtæ, & hic aſſeverant; qui verò ibi abnuunt, ut Thomiſtæ, & hic cum aliis negant. Propter Thomiſta in Angelo non diſtinguit, ſicut in Anima ſeparata, tres intellectus operationes, quæ in nobis pro hoc ſtatu diſcernuntur, ſed dicit, unico actu attingere principia, & concluſiones. Et ſimiliter docet, quòd non priùs apprehendit, & poſtea judicat, ideſt affirmat, & negat, ſed eodem prorſus, quo apprehendit, actu, affirmat, aut negat; quia loquimur de compoſitione, & diviſione ut diſtincta ab apprehenſione. Pro reſolutione autem

2. Hoc admonitus ſis, quòd dubium procedit de diſcurſu formali, compoſitione, & diviſione formali, at non de virtuali etiam ad ſcientiam ſufficienti, cùm & in Deo perfectiſſima extet ſcientia, nec tamen formalis extet diſcurſus, nemine inficias eunte. Quam doctrinam extensè dilucidare non eſt hujuſce loci.

§. II.

RESOLUTIO DUBITATIONIS.

Anima ſeparata intelligit, non diſcurrendo, componendo, & dividendo.

3. PRobo 1. Si Anima ſeparata intelligeret diſcurrendo &c. deberent in ea diſtingui operationes intellectus, quæ in nobis ſecernuntur; ſed iſtæ in Anima ſeparata non diſtinguuntur: ergo &c. Maj. eſt dicto ipſo certior. Si namque non plures extant operationes; jam non priùs cognoſcit principia per unum actum, & poſtea per alium concluſiones, uti ad formalem requiritur diſcurſum; & ſimiliter non priùs ſimplici apprehenſione cognoſcit, & per aliam poſtea actum aſſeverat, ac negat, benè verò unico, ut vult Thomiſta, actu. Min. verò prob. In Anima ſeparata pauciores debent operationes diſtingui, quàm in nobis hocce pro ſtatu: ergo &c. Prob. ant. Quoties aliquid obtinet meliùs, ac perfectiùs operari, quàm aliud, vel in uno ſtatu, quàm in alio, debent in eo pauciores multiplicari operationes, maximè ſi ſit in ordine ad æqualem effectum, aut æqualem perfectionem; ſed Anima in ſtatu ſeparationis habet meliùs, perfectiùſque veritatem comparare, quàm hocce pro ſtatu: ergo &c. Min. ex eo eſt perſpicua, quòd Anima ſeparata intelligit non ſenſuum miniſterio, nec per converſionem ad phantaſmata. Min. exemplo illuſtratur. Certè Polycrates V. G. vir unico impulſu propellet lapidem ad centum paſſuum diſtantiam, quò nonniſi plures per impulſus, ſive impulſivos actus, non impellet Philaletes V. G. puer, quia Polycrates vir habet fortiùs, & perfectiùs impellere: Similiter Polycrates in virilitatis ſtatu unico impulſu, vel paucioribus ſaltem, propellet ad centum paſſus lapidem, quo nonniſi plures per impulſus impuliſſet in infantiæ, aut pueritiæ ſtatu.

Qua ex re nemine impellente ruit reſponſum Maſtrii, dicentis, Quòd Anima ſeparata nobiliori, expeditiorique intelligit modo, non quia unico intelligat actu, ſed quia intelligit ſine converſione ad phantaſmata, ſine ſenſuum miniſterio, &c.

Corruit inquam. Siquidem ex hoc, quod intelligat abſque ſenſuum miniſterio, abſque converſione ad phantaſmata, &c. infertur, quòd meliori, ac præſtantiori modo intelligat; at ex eo, quod meliori, perfectiorique modo intelligat, infertur, quod per pauciores actus intelligat; uti noſtram præfatam expendenti rationem perſpicuum fiet.

4. Prob. 2. Anima ſeparata omnia cognoſcit immediatè in ſeipſis; ſed ad diſcurſum requiritur, quòd unum cognoſcatur mediante alio, nimirum concluſio mediis principiis, ideſt priùs in principiis: ergo Anima ſeparata non diſcurrendo intelligit.

Reſpondit Arriaga, ex hoc duntaxat ſequi, quòd Anima ſeparata non diſcurrat circa ea, quæ cognoſcit immediatè in ſeipſis. Cum quo ſtat, quod diſcurrat circa ea, quæ non immediatè in ſeipſis cognoſcit. Et ſi ſciſciteris, quænam ſint iſta, quæ non cognoſcit immediatè in ſeipſis. Dicit, eſſe res poſſibiles. Sed

Contra. Res poſſibiles in ſtatu poſſibilitatis vel ſunt duntaxat ipſa Divina omnipotentia: Et hanc dignoſcit in ſeipſa cognitione ſaltem abſtractiva; quia ejus habet ſpeciem ab ipſo Deo ut ab objecto acceptam in ſententia eorum, qui volunt, quòd Anima ſeparata accipiat ſpecies ab objectis, aut ei à Deo ut à cauſa efficiente infuſam. Vel ſunt quid nominale in ſeipſis ſignatè: Et hoc modo ea cognoſcit in ſeipſis, non quidem in particulari (cùm eorum ſpecies non habeat, adeoque nec cum diſcurſu, nec ſine diſcurſu ea in particulari dignoſcit) ſed in communi. Abſtinemus enim ab illa controverſia, *num Beati videant in verbo cuncta poſſibilia*. Tum quia illa eſt duntaxat de Beatis, at non de omnibus Animabus ſeparatis, inter quas ſupputantur & damnatorum Animæ. Tum quia illa eſt cognitio ſupernaturalis. De quo iterum ſub num. 6. ad Conſ.

Aliæ ſunt rationes, quæ in tract. de Angelis produci conſueverunt.

5. Objicies 1. Intellectus Beati non eſt actus purus, benè verò eſt potentialis, ac plurium actuum receptivus; diſcurſus autem exigit ordinem naturæ, non durationis: ergo Anima Beati per plures intelligit actus, diſcurrendo, componendo, & dividendo.

Conf. Ideo Divinus intellectus unico, atque ſimpliciſſimo actu ponitur, attingere ſimplices terminos, principia, & concluſiones ullo abſque diſcurſu; quia eſt infinitus, & actus purus: ergo &c.

Reſp. ad arg. conceſſo ant. nego conſequentiæ ſubſumptum. Ad hoc namque, ut non ſit actus purus, non eſt neceſſe, quòd illos plures actus habeat, qui in diſcurſu importantur, ſed ſat eſt, quòd per multiplicatos actus multiplices concluſiones unà cum principiis multiplicatis cognoſcat V. G. quòd unicum per actum intelligat unam concluſionem phyſicalem, ſimulque principia ejus; & alium per actum realiter diſtinctum à primo, ſed indiſtinctum in ſeipſo, concluſionem logicalem, ſimulque principia. Præterea ut non ſit actus purus ſat eſt, quòd intellectus & Anima non identificentur realiter cum ſuo actu.

Per quæ patet ad Conſ. Non ideo namque præciſè quia intelligat ſine diſcurſu, dicitur infinitus, & actus purus, nec id ſufficit, licèt id requiratur; ſed quia unico actu cunctas, etiam diverſas, ac diſparatas attingit concluſiones,

Digitized by Google

omniaque principia, imò & res infinitas poſſibiles. Præterea quia identificatur realiter principium operativum cum ſua operatione.

6. Objic a. Alius debet eſſe actus, quo Anima etiam ſeparata cognoſcit ſimplices terminos; alius verò, quo cognoſcit principia, & alius, quo dignoſcit concluſiones; ſed in hoc ſtat diſcurſus: ergo &c. Prob. maj. Actus cognoſcitivi multiplicantur, & variantur juxta multiplicitatem objectorum cognoſcibilium; ſed ſimplices termini, principia, & concluſiones, ſunt diverſa cognoſcibilia: ergo &c. Maj. patet, quia actus cognoſcitivi ſpecificantur ab objectis cognoſcibilibus.

Conſ. Tametſi concedatur, intellectum ſolutum principia quædam notiſſima unico apprehendere actu abſque compoſitione; adhuc tamen non omnia immediatè cognoſcit, nec omnium rerum ſpecies poſſidet, præſertim poſſibilium: ergo ſaltem circa ea, quorum ſpecies non habet, poterit diſcurrere ex iis, quæ immediatè novit.

Reſp. ad arg. nego maj. Ad prob. diſt. maj. juxta objectorum multiplicitatem in eſſe cognoſcibili, concedo, in eſſe entis, nego maj. & diſtinguo min. ſunt diverſa cognoſcibilia diverſitate in eſſe entis, concedo, in eſſe cognoſcibili ſubdiſt. reſpectu intellectus, qui modo minùs amplo cognoſcit, concedo, reſpectu intellectus ampliori, univerſaliori, ac elevato modo, cognoſcentis, nego min. & conſeq. Reſpectu namque iſtius ſe habent per modum unius, non ſecùs ac num. 3. ſcripſi, quòd diſtantiæ illæ, quæ plures ſunt termini reſpectu pueri impellentis, ſe habent per modum unius reſpectu viri.

Ad Conſ. nego, quòd non omnia immediatè cognoſcat, & dico, quòd omnium quæ dignoſcit, habet ſpecies infuſas, loquendo etiam de poſſibilibus, quæ cognoſcit, nimirum eorum poſſibilium, quæ ſimilitudinem, vel connexionem cum iis, quæ ſunt extra poſſibilitatis ſtatum, habent modo prædeclarato num. 4. Et ſanè quædam prima notiſſima principia etiam pro conjunctionis ſtatu abſque diſcurſu cognoſcit. Vel dicas, quòd poſſibilia cognoſcit per quandam virtualem duntaxat illationem, ea inferendo ex aliis, quorum ſpecies obtinet, & per diſcurſum quendam virtualem, ſed unico actu. Hunc autem virtualem poſſe haberi ſine formali diſcurſu perſpicuum eſt in Deo, in quo exploratum eſt, extare virtualem diſcurſum, cùm certum ſit, extare in eo ſcientiam, quæ cùm ſit cognitio rei per cauſam, petit illationem aliquam ſaltem virtualem ex præmiſſis, quæ ſunt cauſa concluſionis. Neque hunc diſcurſum quis unquam negavit, ut liquet per dicta num. 2. ſecùs ſcientias cunctas & Animæ ſeparatæ, & Angelo negaſſet.

7. Duæ leves ſuperſunt objectiones, quas ſolvit Zuchi, nimirum quòd Anima rationalis conſtituitur tanquam per ultimam differentiam per rationalitatem; & quòd etiam ſeparata vocitatur rationalis à ratiocinando, ideſt diſcurrendo; & quòd Anima ſeparata ſpecie diſtinguitur ab Angelo.

Verùm facilè diſſolvuntur. Prima quidem dicendo, quòd eſt rationalis, ſed non ratiocinatur; quia ſeparata non eſt in ſtatu abſolutè connaturali. Ad id, quod ſubditur, dicas, quòd Anima ſeparata retinet denominationem ab eo, quod fuit, quemadmodum Eva etiam poſtquam erat formata in mulierem dicitur os, *hæc os ex oſſibus meis*; quia priùs fuit Adæ os: & Hoſtia conſecrata vocitatur adhuc panis, quia panis fuit, eſtò non ampliùs panis ſit.

Secunda quoque. Siquidem ut ſpecie ab Angelo ſecernatur, ſat eſt, quòd ei abſolutè ſit connaturale ratiocinari ſumptum pro diſcurrere, licèt non ex ſuppoſitione: ſicut conſpeximus art. 1. ſeparationis ſtatum eſſe Animæ connaturalem ſolummodo ex ſuppoſitione, at non abſolutè. Angelo namque nec abſolutè, nec ex ſuppoſitione, eſt connaturale.

SCISCITABERIS TERTIO, & ULTIMO.

Num Anima ſeparata poſſit ſeipſam naturaliter movere? & num queat corpora movere.

§. I.

1. DIctum in titulo eſt *ſeipſam* quia non quæritamus, num ſit mutationis alicujus localis, ſaltem impropriæ, capax, modo infra diſplicando, ſive ab alio, ſive à ſe, ſibi præſtandæ; quoniam hoc Fidei dogma eſt, quo didicimus, Animas, quæ probè præſentem tranſegerunt vitam, hinc ad Paradiſum, vel Purgatorium tolli, improbas verò ad inferos vel rapi, vel pergere.

Dixi etiam *naturaliter*, quia exploratam eſt ſaltem ſupernaturaliter movere ſeipſam poſſe; eò quòd Chriſti Anima ad limbum deſcendiſſe, non tantùm quòad aliquem ſui effectum, verùm etiam per ſui ſubſtantiam, communiter ex Sanctis Patribus dogmatizatur cum D. Th. p. p. q. 53. art. 1. contra Durandum. De quo legi nonnulla poſſunt apud apud Jo: à S. Th. p. p. in tract. de Angelis q. 53. diſp. 20. art. 1. num. 2. & apud eundem in lib. de Anima quæſt. 12. art. 7.

2. Pro dubii reſolutione præmitto, quòd Noſtrates in tract. de Angelis docent, Angelum (& idem eſt de Anima ſejugata) eſſe in loco per operationem, at non per ſui ſubſtantiam; quia cùm incorporeus ſit, & quantitatis expers, nequit per ſui ſubſtantiam tangere locum qui ſola quantitate tangi unitivè poteſt; adeoque duntaxat per ſui operativam virtutem poteſt Angelus locum tangere, aliquid in ipſo operando, vel patiendo.

Qua ex doctrina infero, quòd quemadmodum eſſe in loco ſtat dupliciter. Uno modò preſsè & poſitivè per loci contactum; & alio modo latè, per hoc nempe, quod aliquid eſſet in loco tanquam quid extramundaneum, quatenus nec per quantitatem, nec per operationem tangeret locum, ſi nihil ibi operaretur: Ita localiter cieri dupliciter ſtare poteſt. Uno modo impropriè, per hoc, quod tranſeat de eſſe in loco tanquam quid ſtans ibi in Univerſo, ac ſi eſſet extra Univerſum, ad eſſe alio in loco, itidem ibi exiſtendo, ac ſi foret quid extramundanum, nimirum per nullum loci contactum. Alio modo propriè per hoc, quod migret de contactu unius loci ad alterius loci contactum p. p.

3. Quòad dubii Lerma lib. 3. de Anima q. 24. num. 2. probabilem reputat negativam, licèt num. 10. dicat, probabiliorem eſſe oppoſitam. Item Salm. p. p. in tract. de Angelis, qui eſt Tract. 7. diſp. 2. dub. 3. §. 14. docent, Animam noſtram ſeparatam relictam propriæ ſuæ naturæ, ſeipſam non movere; quia, dicunt, quòd ſolum obtinet vim ad movendum corpus ab ipſa vivificatum, ut ſcripſit S. Th. p. p. q. 117. art. 4. Et idcircò volunt, eam eſſe in loco duntaxat per paſſionem, qua alligatur alicui loco. Et quid in tract. de vitiis, & peccatis p. 2. q. 87. diſp. 18. num. 102. pag. 848. dicant de animabus in Limbo degentibus, ſcripſi art. 2. ſub numeri 6. finem ad 2. arg. Nihilominùs ſe explicant tum hic, tum p. 2. in tract. de vitiis, & peccatis q. 87. dub. 3. folio 844. num. 90. quòd ad hoc, ut ſe moveat non indiget virtute aliqua ſupernaturali, ſed hanc virtutem licèt non obtineat ſuapte natura, tamen eſſe ei debitam ſuapte natura, non ut dimanantem ab intrinſecis, ſed ut infundendam à Deo ut authore naturæ, ſicut prægreſſo art. ſcripſimus, eſſe ei debitas ſpecies intelligibiles. Et ita etiam ſe explicat Cajet. p. p. q. 117. art. 2. ubi videbatur, negativè ſentire.

Jo: autem à S. Th. q. 12. de Anima art. 8. & tom. 3. in p. p. tract. de Angelis diſp. 20. art. 1. num. 2. tetur abſolutè, Animam ſeparatam habere ex ſe virtutem, ſe localiter movendi. Ita quoque ſentiunt Soto in 4. ſent. diſt. 45. Serra p. p. q. 117. art. 4. quos refert, & ſequitur Lerma lib. 3. de Anima q. 34 num. 10. Sic quoque autumant communiter Exteri Scotiſtæ, & Jeſuitæ, qui ſententiam oppoſitam tanquam communem Thomiſtarum oppugnant, ſed immeritò, ut ex citatis Authoribus palam eſt.

§. II.

DICO

Loquendo de motu locali lacitate latè dicta diſplicata num. 2. concedendum eſt, Animam ſeparatam ſeipſam poſſe de loco ad locum movere; ſecùs loquendo de locitate ſtrictè dicta.

4. QUòd debeat, modo aliquo ſe poſſe localiter movere Prob. Potentia, ſive virtus loco-motiva conſequitur ad cognitionem, & appetitum ut etiam 2. de Anima ſcripſimus cum Stagyrita eodem 2. de Anima cap. 55. Nemo autem inficiari poteſt, quòd Anima ſeparata queat aliorum locorum cognitionem habere, & appetitum alio pergendi,

gendi, ſecùs unus duntaxat locus foret ei connaturalis, ille nimirum, in quo ejus fieret ſeparatio, cùm iſtum ſolum appeteret. Hoc autem quanta laboret falſitate deprehenditur ex eo, quod non minùs in uno, quam in alio talis fieri potuerat ſeparatio.

Accedit, quòd non minùs durum videtur, facere Animam ſeparatam ſuapte natura penitùs immobilem, quaſi verò corporis hujus vinculis ſoluta, ſibi ipſi foret natura vinculum incomparabiliter durius, cùm in corpore moveri ſaltem cum corpore poſſet.

5. Quænam ſit loco-motiva potentia, qua ſe movere ſic poteſt. Nonnemo cum Arriaga dicit, eandem eſſe potentiam loco-motivam organicam, qua in corpore motum obtinebat. Cujus dicti falſitas deprehenditur per dicta art.2. ubi conſpeximus, non remanere in Anima ſeparata potentias organicas. Imò & in ſententia eorum, qui tutantur, tales perdurare organicas potentias, non remanent actus illarum, ut conſpeximus ibi art.2 §.1. num.5. ſub finem, & præſertim P. Arriaga.

Averſa, & Maſtrius ex Scoto dicunt, quòd duæ ſunt in Anima loco-motivæ potentiæ; organica una, inorganica altera, qua dicunt Chriſtum fuiſſe uſum, quando eum Judæi ad montis verticem perduxerunt, ut ipſum præcipitem darent Lucæ 4. quæque moveat corpus totum ſimul, at non partem poſt partem, ut organica facit loco motiva potentia. Inorganicam itaque dicunt remanere in Anima ſeparata, at non organicam. Quæ doctrina aliqua debuiſſet naturali comprobari ratione. Et ſanè ſi talis in nobis extaret naturali potentia inorganica totum ſimul ciens corpus, & nos ea interdum uti poſſemus, ac ad actum reducere, quemadmodum ea fuiſſe uſum Chriſtum confingunt.

Alii cum Jo: à S. Th. autumant, Animæ potentiam loco-motivam eſſe voluntatem, vel intellectum practicum ejus, ſicut S. Th. opuſc.2. art.3. ſcribit, *Angelos conceptione intellectus, quæ eſt imperium, Cœlos movere*:

Contra quam doctrinam emergit difficultas, quia potentiarum harum operationes ſunt immanentes. Ad quod

Reſpondet Jo: à S. Th. q.12. de Anima; poſſe dici, quòd ſint virtualiter tranſeuntes: De quo videri poteſt etiam Guerinois in tract. de Cœlo q 2. art 4. §.4.

Sed & dici poteſt, nec eſſe neceſſum, quòd ſint virtualiter tranſeuntes; quia cùm hujuſcemodi motus localis non ſit per contactum loci, non requiritur, quòd effectum aliquem in ipſo producat loco, ſed duntaxat in ipſamet Anima indiviſibiliter.

Nec ibi paradoxum videatur, quòd quidpiam exiſtat abſque loci contactu. Non, inquam. Etenim ſi Deus omnem convelleret creaturam, certè Deus exiſteret abſque loci alicujus contactu. De quo vid. Jo: de S Th. loco nuper appellato ex tract. de Angelis, & Salm. ibi q. 52. diſp.20. art.2. num.13.

Cajet. ubi ſupra, cui idem adſtipulantur Jo: à S. Thom. q 12. de Anima art.8. & Salm. locis, quæ num.3. appellavi, ſentit, eſſe virtutem quandam ei à Deo communicatam ut authore naturali, tanquam ab ejus natura exigitam, adeoque non miraculoſam, ſicut de ſpeciebus intelligibilibus, & infuſis, dictum eſt.

Et ſic loqui cenſetur Jo: à S. Thom. conformiùs menti S. Th. qui videtur aliquam ponere virtutem ab intellectu, & voluntate diſtinctam. Quandoquidem q 6. de pot. art.3. ad 2. dicit, *quòd Angelis mediante voluntate, & voluntas mediante virtute, & virtus immediatè movet motum localem*. Ubi ly *virtus* condiſtinguitur à voluntate.

6. Si autem ſciſcitaveris, cur Anima ſi poteſt ſe movere ſeparata, non abſcedat à corpore, & ad iſtud redeat quoties ei placuerit abſque violentia, ac ſine corporis læſione, aut morbo prævio. Reſp. quòd quamquam id vulgus quondam opinaretur quodam de Hermotimo apud Tertullianum lib. de Anima, eò quòd ille interdum ſic ſenſus ſigno careb.t, ut ad tempus ſive altiſſimæ ejus auribus inſonarent voces, ſive graviſſimis afficeretur verberibus, nullum vitæ præſtaret ſignum: Tamen id minimè poſſibile creditur, tum quotidianum propter experimentum in oppoſitum; Tum quia ejus unio eſt vinculum naturale. Vel quia hic non eſt nata exercere ſe ſola, niſi munus formæ.

7. Plures objici conſueverunt authoritates, indigitari quibus videtur, Animas deportari, ut Lucæ 16. Anima Lazari dicatur in ſinu Abrahæ delata; ſicut & improbæ Animæ dicuntur ad inferos deferri.

Aſt facilè ſolvuntur dicendo, quòd illum per loquendi modum ſignificatur Angelorum, vel Dæmonum comitatus, quo honorantur, vel dehonorantur.

8. Quòd demum moveri nequeat motu poſitivè ſtrictè dicto, debes probare per ea, per quæ Thomiſta in tract. de Angelis probat, Angelum non eſſe in loco, niſi operationem; Anima namque ſeparata non eſt deputata ad operandum determinatis in locis, ſicut Angelus, cùm excogitabile minimè ſit ad quid operandum ſit deputata. Ob idque vide dicta hic §.1. num.3.

§. III.

DICO SECUNDO.

Modus dicendi Salm. & Jo: à S. Th. cum Cajet. eſt probabiliſſimus. Sed ſi de ſtrictè & poſitivè locali motu loquantur, dicere tenentur, quòd eo in motu Anima ſeparata aliquid producat, ſive operetur, ſi patiantur in loco: ſicut Jo: à S. Th. dicit, Chriſti Animam deſcendendo ad limbum, quidpiam ibi produxiſſe, nimirum lucem aliquam.

9. INfertur hoc ex eo, quod, Thomiſticis hærendo veſtigiis, Anima ſeparata, ſicut & Angelus, non eſt in loco poſitivè, niſi per operationem.

§. IV.

DICO TERTIO

Anima ſeparata nequit naturaliter corpora movere.

10. ITa Capr. in 4. ſent. diſt. ulr. Cajet. & Banez p. p. ad quæſt.117. & art.4. D. Thom. quos refert, ac ſequitur Lerma lib.3. de Anima quæſt.24. num.13. Cæteri verò Thomiſtæ nihil de hoc habent. Ex adverſo cuncti ſtant Exteri.

Prob. ex D. Thom. p. p. q.117. art.4. Anima non habet movere, niſi corpus, quod informat, & animat; ſed Anima ſeparata nullum informat corpus: ergo Anima ſeparata nullum poteſt corpus movere. Prob maj. Conſpicimus, quod ſi membrum aliquod fiat aridum, non ultra Anima illud movet: ergo &c.

Reſpondes Arriaga, cui adſtipulatur Maſtrius, negando maj. loquendo de movere extrinſecè. Ad prob. dicit, convincere duntaxat, quòd nequeat movere alia corpora per modum formæ informantis, & animantis. De cætero videmus, quòd ſi V. G. brachium unum ſit aridum, ſi iſtud altero apprehendatur, poteſt iſtud illud movere, licèt movere illud nequeat motu animativo. Sed

Contra. Non ſtat actus ſecundarius abſque primario, ſaltem naturaliter loquendo; ſed actus primarius Animæ eſt movere motu animativo per modum formæ informantis, & animantis proprium corpus, movere verò extrinſecè alia corpora eſt actus ejus ſecundarius: ergo non ſtat, quòd moveat extrinſecè alia corpora, niſi proprium intrinſecè animativè moveat corpus. Maj. eſt conſpicua. Siquidem quia calor, ſive calefacere eſt actus primarius Solis, indurare verò lutum, & liquefacere ceram, eſt actus ejus ſecundarius, non ſtat, quòd Sol induret, aut ceram liquefaciat, niſi calefaciat, ſaltem naturaliter loquendo. Min. eſt luculentior. Anima ſiquidem ſuapte natura eſt per ſe primò intenta propter ſuum informandum, & animandum corpus, at non propter movenda extrinſecè alia corpora.

Dices, diſcrimen eſſe, quia Sol lutum indurat, ceramque liquefacit mediante calore. At neceſſum non eſt, quòd Anima medio corpore corpus moveat, ut exploratum in Angelo eſt, qui nullo abſque medio corpore Cœlos ciet; licèt ſine alio corpore nequeat hocce pro ſtatu movere ratione impenetrabilitatis eodem in loco, quæ à quantitate habetur. Sed

Contra. Sol nequit indurare lutum, nec liquefacere ceram, niſi medio calore, ſive calefactione, qui eſt primarius Solis actus: ergo pariter Anima nequibit aliud movere corpus, niſi media ſui corporis informatione, quæ eſt primarius Animæ actus.

Id

Digitized by Google

Id autem, quod de Angelo dicitur, non eſt ad rem; quia Angelus, non habet pro actu primario informare, & animare corpus, ceu ille, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis omninò completa.

Oppugnatio alia videri apud Lermam poteſt ubi ſupra.

11. Objic. 1 Anima in ſtatu conjunctionis ad corpus poteſt alia movere corpora: ergo & multò meliùs ſejuncta Prob. conſeq. Separata habet vires magis expeditas: ergo ſi &c.

Conſ. Anima ſeparata obtinet eſſe ad Angelorum inſtar; ſed Angeli poſſunt corpora movere: ergo & Anima ſeparata.

Reſp. ad arg dato ant. nego conſeq. Ad prob. diſt. habet vires magis expeditas, & habet ſuum actum primarium, nego, & aliàs ſuum non habet actum primarium, concedo ant. & nego conſeq. Solutio per jam dicta eniteſcit.

Ad Conſ. diſt. ant. & aliàs primarius Angeli actus eſt informare, & animare corpus aliquod, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Solutio alia videatur apud Lermam ubi ſupra num. 16. & 17.

12. Objicies 2. compiures animarum apparitiones corpora moventium præſertim in Benefactorum ſuorum tutamen etiam dimicando.

Reſp. miraculoſas fuiſſe. Nos autem de eo loquimur, quod fieri naturaliter poteſt, ut perpetuò dictitavimus.

Et hæc ſatis de Anima ſejungata, pro qua operam demus, ut Deo jungatur Beanti, cujus unà cum rer Vergine Matre, Patriarcha Dominico, Angelico Gymnaſiarcha S. Thoma, ad honorem, & gloriam ſit Univerſæ Philoſophiæ

FINIS.

Cuncta quæ conſcripſi, meque ipſum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubjicio; cui ſi quid minùs conſonum dictum à me fuerit, reverenter pariter, ac lubenter retracto.

5-2-72